Geo. Duffield.

1845



Geo Duffield

HERMANNI VENEMA COMMENTARIUS

AD

LIBRUM PROPHETIARUM

JEREMIÆ

QUO

CONCIONES RITE DISTINGUUNTUR, SCOPUS, NEXUS ET SERIES, SERMONIS ACCURATE INVESTIGATUR, PERPETUA PARAPHRASI EXPONITUR, ET SELECTIS OBSERVATIS VOCES ET PHRASES ILLUSTRANTUR, AC INPLEMENTI DEMONSTRATIONE, UBI OPUS FUERIT, CONFIRMANTUR.

PARS PRIOR.

LEOVARDIÆ,
Apud H. A. DE CHALMOT, MDCCLXV.

CELSISSIMO ET SERENISSIMO

GULIELMO V.

ARAUSIONENSI ET NASSAVIO

PRINCIPI.

FOEDERATI BELGII GUBERNATORI HEREDITARIO

ET

ARMORUM TERRA MARIQUE PRÆFECTO SUPREMO.


ETC. ETC. ETC.

CUJUS GLORIOSÆ MEMORIÆ PARENTI ANTE PLUSQUAM TRIGINTA ANNOS PRIMUM MEUM OPUS, IN PUBLICUM, ET GRATI ANIMI SIGNUM PRO SINGULARI EJUS FAVORE, QUO GAVISUS SUM, ET INTIMI ANIMI MEI SENSUS, QUO EJUS, DOMUSQUE ILLUSTRISSIMÆ, ET REIP. FOEDERATI BELGII SALUTEM, CONNEXAM ESSE, SEMPER STATUI ET PROLIXE EXPOSUI, SACRUM FECI.

HOC, ULTIMUM FORTE, CUJUS PRIOR NUNC PRODIT PARS, CUM SUMMA ANIMI DELECTATIONE, QUOD HUNC PHOENICEM EX CINERIBUS PARENTIS SUSCITATUM, HOC DECUS ET SIDUS REIP. ET ECCLESIÆ ORTUM, ET IN CULMINE FERE POSITUM, ADSPICERE DETUR, CUMQUE PERENNIS FELICITATIS, VITÆQUE DIUTURNÆ, IN ILLUSTRISSIMÆ DOMUS PERPETUITATEM, ET REIP., ECCLESIÆ, STUDIORUMQUE PATROCINIUM ET SPLENDOREM, ADPRECATIONE.

VERUS EJUS CULTOR
DEDICAT.

HERMANNUS VENEMA



LECTORI BENEVOLO

P. S. D.

H. VENEMA.

Commentarium, cujus priorem partem Tibi sisto, quam posterior brevi sequetur, non tam meæ, quam illorum, qui sua interesse opinabantur, electioni acceptum feras. Vires enim in Ezechiele, vel Zacharia, qui in pluribus majore luce, magis quam Jeremias, indigent, periclitari maluissem, quorum expositionem, licet adfectam habeam, promittere præ ætate non ausim. Incessi eodem pede, quo in reliquis, qui lucem vident, commentariis, eandem tenui methodum: cujus, non opus est, ut notitiam Tibi dem. Recte explicita vel omisi, vel adtigi tantum: omnem excursum, ulterioremque illustratio-

nem, ad intellectum prophetæ minus necessariam, studio vitavi, scopo & sensui sermonis unice intentus: varias interpretationes non discussi, non quod spreverim, magni enim Interpretum, in primis Schmidii, labores facio, sed quod mea cogitata in medium tantum adferre voluerim; sive ea priva, sive cum aliis communia, habeam. Fieri etiam potest, ut nonnulla, quæ meæ industriæ sunt, occupata sint ab aliis, sive a me non lecta, sive non adnotata. Omnes enim Interpretes, sive totum librum, sive pericopam aliquam tractarint, ad manus non fuerunt; nec omnia excerpsi. Qualia si offenderis, ne mihi vitio vertas; acsi aliena mihi rapuerim, quod nostrum non est; sunt enim manentque quoque mea, æque ac aliorum: sed parum interest, cui inventionis laus debeatur, modo prophetæ, seu Spiritus per ipsum loquentis, mentem exprimat: quo omnes mei tendunt labores. De quo cum ex aliis meis commentariis, eorumque præfationibus, tibi constare satis possit, non est, quod te diutius morer.

Tuum

Tuum quoque fuerit judicare, quid præstiterim; cui mea omnia lubens submitto, modo æquum, & veritatis studiosum, te sine præjudicio & adfectu præbeas. Dissensum ab Interpretibus, sive nimius, sive nimis fidenter expressus, fuerit visus, æqui bonique consulas; neque, acsi nimium mihi sumserim, vitio vertas: ea tantum usus sum, vel uti volui, in aliorum cogitatis dijudicandis libertate, quam aliis in meis lubens concedo; mea seponi, vel refelli, ægre non laturus, quin cum melioribus lubens commutaturus. Nihil enim mihi magis in votis est, quam ut Verbum Dei, in primis Propheticum, novæ lucis adhuc in multis indigum, in vera sua luce tandem collocetur: unde ingens ad fidem nostram firmandam, & pietatem virtutemque promovendam, utilitas redundaret. Utinam Theologi, vere eruditi, litteraturæ in primis orientalis, & historiarum periti, omnibusque præjudicatis opinionibus vacui, præclarum hoc & utilissimum opus, hoc potissimum ævo nostro, susciperent: nul-

lum

lum enim nostro, quo subsidia illa copiose ad manus sunt, regia in primis via ad linguam Hebræam penitius cognoscendam, quam magnus Schultensius stravit, & cui varia vestigia inpressit, omnibus patet, mihi ad id videtur adcommodatius. Faxit Deus, cum messis sit copiosa, ut digni in eam inmittantur operarii. Franequeræ d. 8. Octobr. 1764.



COM-



COMMENTARIUS

AD

JEREMIAM.



PROLEGOMENA.

§. I.



Adpellatur Propheta ירמיהו, vel, ut c. XXVII: 1., ירמיה, *Jeremia*, quasi dicas *exaltatus Domini*, ex יו nominis Jehova, & רום rad. רום vel רמם, quæ eadem est ac רום in Script. superstes: ut recte Simon [a]; ex spe quidem & voto Parentum, sed secundum Dei destinationem & directionem, respondente eventu. Fuit enim valde a Deo exaltatus, Propheta insignis, fatis singularibus celebris, & mirabili virtute, constantia & patientia, conspicuus, singulari etiam Dei cura & favore semper ereptus, & ex summis angustiis elevatus ac liberatus. Patrem habuit sacerdotem, dictum *Hilkiam*; uti habet inscriptio: *filius Hilkiæ ex sacerdotibus*; non utique, quod nonnulli voluerunt, *summi sacerdotis* istius,

A ejus-

a) Onom. p. 535.

ejusdem nominis, qui anno 18 Josiæ regis *librum legis invenit*, 2 Reg. XXII: 3. 8. cum quod ex *sacerdotibus* simpliciter fuisse dicatur, tum quod ex oppidulo *Anathoth* oriundus est, quod pertinebat ad *Ithamaris*, & non *Eleazaris*, utriusque filii Aaronis, familiam, 1 Reg. II: 26. Ithamaris vero lineæ in *Abjathare*, tempore Salomonis, desiit Pontificatum habere, ad Eleazaris & Pinehasi familiam translatum; unde fuit *Hilkias* Pontifex; sed pater Jeremiæ ex Ithamaris domo. Fuit tamen ex sacra, & Deo consecrata, stirpe inter Judæos honoratissima, & Templo, sacris, ac legi, inserviente. Locus *nativitatis* fuit *Anathoth in terra Benjamin*, cujus diserta videtur facta fuisse mentio; quia & ibi in principio fuit vaticinatus, donec a civibus suis vexatus, & ad mortem quæsitus, inde secedere coactus fuerit Hierosolymam; uti a Ligtfoto *a* recte est observatum ex cap. XI & XII. 8. confirmatum ex eo, quod Josias, libro legis reperto anno regni decimo octavo, consuluerit *Huldam*, & non *Jeremiam*, cujus alia vix dari potest ratio, ac quod illa præsens, hic absens erat. Fuit autem urbs *sacerdotalis* in tribu *Benjamin* Jos. XXI: 8. tria milliaria Hierosolyma distans ad septentrionem, teste Hieron *b*, & 20 stadia, secundum Jos. *c*, h. e. *duo milliaria & dimidium*. Cujus etiam mentio est Jes. X: 30, inter loca, quæ Assyrius, tempore Hizkiæ, hostiliter transiret. Unde Jeremias absolute, licet non sine aliqua contumelia, vocatur *Anathotaus*. De *dotibus*, *virtutibus*, *fatis*, & munere prophetico Jeremiæ cum ex hoc libro inprimis judicandum sit, suis locis de iis agemus. Quamdiu vixerit, ubi & quo genere mortis fuerit defunctus, non constat. Traditiones & apocrypha de Jeremia si quis velit, adeat Fabricium *d*.

§. II. *Tempus*, quo incepit prophetico munere fungi, & spatium, quod in eo trivit, inscriptio libri definivit, a 13tio Josiæ usque ad finem reip. per Chaldæos destructæ, adeoque

a Chron. T. V. p. 114. *b* ad h. l. *c* Ant. X: 10.
d Cod. Pseudep. V. T. p. 1102.

que 40 annorum & quod excurrit. Ex quo tamen non est colligendum, eum postea fuisse aut mortuum, aut a munere cessasse; cum ex hoc ipso libro contrarium pateat: versatus enim post excidium reip. & urbis est primum in Cananæa inter superstites ibi relictos, dein in Aegypto, vi eo abductus a Judæis, ubi adhuc concionatus & vaticinatus est, sed incertum, *quamdiu?* Memoratur itaque dictum temporis spatium tantum, quia præcipuum fuit muneris, & regnum Judæ tunc abolitum fuit. Quot annos habuerit, quum auspicatus est munus, non constat, nec tanti est; sed *adolescentem* adhuc fuisse dicendi inperitum, nec ad tam arduum munus paratum, ex vers. 6. c. 1. recte colligitur; quemadmodum ex c. XVI: 1, eum aliquandiu post nondum contraxisse nuptias. Ceterum *temporis* hujus qualitates fuerunt singulares, probe notandæ, ad plurium locorum hujus libri intellectum. Quarum, 1. prima est, periodum regni, exitio devoti a Deo, jam aliquandiu fluxisse; a tempore nim. *Manassis*, a quo secundus fuit Josias: uti patet ex 2 Reg. XXI: 10-- XXII: 16-- XXIII: 26. Adeo ut vel Judæi sese hoc tempore ad Deum communiter debuerint convertere, vel cum rep. actum fuerit, longanimitatis tempore jam finito. 2. *Secunda* est, ultimum conamen ad conversionem fuisse a pio rege Josia institutum; cum aliquo quidem ad speciem externam successu, sed parvo vel nullo vitæ & morum, ut & *durationis* externæ speciei, quæ post Josiam evanuit plane. 3. *Tertia* est, singularia fuisse populo subministrata *media* ad ultimum excidium præveniendum; qualia, præter Josiæ reformationem, fuerunt *a.* liber legis a 18vo Josiæ in lucem protractus, *b.* efficacissimæ conciones poenitentiales *Jeremiæ* & *Ezechielis*, illius in Judæa, hujus in exilio jam degentis, sed Judæos in Cananæa redarguentis, & ad poenitentiam vocantis. *c.* gravia Dei judicia, ut *sterilitatis* & *famis*. Jer. XIV. & alibi, &c. 4. *Quarta* est, varia fuisse a Deo data signa imminentis, & proxime instantis, excidii; ut in *morte Josiæ*, *subjugatione* transitoria a rege Aegypti, regem Judæorum deponente &

abducente, novumque substituente; clade Aegyptiorum a Nebucadnezare, hujusque progressibus singularibus; variis quoque gradibus *exilii* sub Jojakimo & Jojachino; diuturna denique obsessione Hierosolymæ, per bellum Nebucadnez. cum rege Aegypti quoque interrupta; ut Judæi rebus suis consulerent, & de pace cum Nebucadnez. cogitarent. 5. *Quinta* est, varia quoque concurrisse *moventia* ad securitatem carnalem & incredulitatem, qua ultimum excidium sibi eventurum non credebant: inter quæ erant *a.* promissa Dei de regno Davidis & Templo, æternum duraturo, *b.* relatio populi ad Deum foederatum, non passura, ut exstingueretur resp., & religio, *c.* pseudo-prophetarum multitudo, & impudentia in populo vana spe lactando; ut ex nostro propheta clare constat; *d.* denique fiducia in rege Aegypti, arcto foedere cum Judæis conjuncto; quam sæpe taxarunt prophetæ; quæque reges Judæ ultimos ad rebellandum contra Nebucadnez. incitavit. 6. *Sexta* denique est incredibilis populi, & totalis, & inexpugnabilis, corruptio cum vitæ & morum, tum religionis, tum judiciorum respectu; ita ut parum sani superesset, & prophetarum monita ferri non potuerint; piis lugentibus & se occultantibus; postea etiam cum Jechonia in exsilium abductis, aut mortuis.

§. III. Quod ad *locum* adtinet, ubi concionatus est: functus quidem præcipue & longissime est munere *Hierosolymis*, in præsentia regum & Principum ac sacerdotum & Levitarum, uti ex ipsis concionibus & fatis prophetæ liquet; attamen & in initio & in fine quoque alibi fecisse videtur; utique, rep. excisa, id factum esse etiam in Aegypto, certum est ex hoc libro; sed in urbe patria idem contigisse, antequam Hierosol. sese contulerit, probabile esse supra observavi, & demonstravi. Explevit vero officium duplice modo, & *ore* & *scripto*, ne de externis signis symbolicis dicam. Ipsum enim Prophetam conciones suas conscripsisse, vel a Barucho conscribi fecisse, multa docent. 1. expressum Dei mandatum, c. xxx: 1. 2. Clara mentio *libri* prophetiarum Jere-

miæ contra Gentes, c. xxv: 13. LI: 60. 3. Ut & *libri* ad exules missi c. xxix. 1. 4. denique memoratur vaticiniorum liber, a Barucho, dictante Jeremia, scriptus, qui comprehendit omnia vaticinia ejus usque ad 4tum Jojakimi. c. xxxvi: 1. xlv: 1. cui postea multa alia sunt, eodem scriptore, addita ib. vers. 36.

§. IV. Sed non sine ratione quæritur, num eo ordine, quo nunc occurrunt, ea digesserit Jeremias; numque *omnia* in hoc libro occurrentia eum habeant autorem? Ad quod *posterius* quæsitum facilius mihi responderi posse videtur; negando, Jeremiam *ultimi* cap., quod totum est historicum, esse autorem, sed Ezram potius, ut Huetius [a] recte observavit; cum quod liber Jer. c. LI: 60. eadem formula, *hucusque verba Jeremiæ*, claudatur, qua incepit, c. I: 1. tum quod inutilis foret & inusitata rerum ab eodem autore repetitio; nam multa occupaverat Jer. in præcedentibus; tum quod Jeremias, qui a 13tio Josiæ jam orsus erat munus, vitam non videatur produxisse ad 37mum deportationis Jechoniæ, quin mortem ejus, ut hic narratur, vers. 31. Videtur itaque hæc lacinia forte maximam partem ex schedis Jeremiæ ab Ezra, seu collectore vaticiniorum ejus, confecta, & ideo libro Jeremiæ adnexa; ad cujus illustrationem quoque multum conferre poterat. *Prius* quæsitum non adeo facile est solutu. Dubium quidem mihi non est; ordinem temporis, quo factæ sunt propheticæ conciones, fuisse migratum, quod ex ipso libro facile constat, & postea nobis patebit; sed num hinc colligi pro certo possit, ab ipso Propheta non fuisse ita digestas, adfirmare non ausim. Potuit enim hujus *ordinis* rationes habuisse nobis ignotas; potuit etiam prophetias ejusdem fere argumenti secum connexuisse, licet vario tempore habitas, uti factum est in iis ad Gentes vicinas spectantibus. Quod si hinc colligas cum Cl. Vitringa [b], *probabilius* esse, prophetias ab ipso Jeremia non in eum ordinem fuisse digestas; eadem superest difficultas in migrato or-

[a] Dem. Euang. p. 437. [b] Proleg. ad Jes. p. 12.

ordine, quid collectorem ad hanc confusionem moverit? cum, virum sapientem fuisse, negari nequeat. Quod si confusionem in nonnullis casu fuisse factam statuere fas foret, ea nec Jeremiæ, nec collectori, foret adtribuenda; adeoque de autore ordinis nihil definiret: si *certa* possit in nonnullis dari ratio, ea æque in Jeremiam ac collectorem quadraret, nisi talis sit, ut non illi, sed huic, conveniret. De quo rectius ad ipsas conciones, loco motas respectu ordinis temporum, agitur. Quare hic plura non dicam: nec res tanti est: nihil enim *autoritati* decedit hujus libri, a quo & quo ordine collectæ sint conciones.

§. V. Nec majoris momenti quæstio est de *loco*, quem hic liber habet in *canone* prophetico? num hunc semper habuerit, quem nunc, an alium olim? Antiqua Judæorum traditio habet, *Jeremiam* primum locum olim tenuisse in ordine prophetarum majorum, & libro Regum proxime fuisse adnexum: cujus ratio a Judæis nonnullis datur *adfinitas* argumenti in Jeremia *comminatorii*, & in libro II. regum *tristis* quoque, ac *desolatoris* reip. per Chald. Sed illa ratio nulla est, cum mixti argumenti sint omnes prophetarum libri, nec ea adfinitas argumenti sufficiat ordini ætatis & celebritatis prophetarum turbando. Rectius inde derivatur, quod libri Regum censiti fuerint ex Jeremiæ schedis, vel a Jeremia ipso, confecti; hoc forte fundamento, quod ultima *libri Regum* pericopa sit libro Jeremiæ subnexa. Quod licet non sufficiat, nec satis solidum sit fundamentum, ut modo vidimus, *ordinis* tamen prophetarum ita digerendi rationem præbere potuit. Sed rectius, licet res parvi sit momenti, fecerunt posteri, quod ordinem temporis in prophetis ordinandis observarint, uti nunc obtinet. Vid. de toto hoc negotio Cl. Vitringa a, qui recte etiam observavit, ruinosum esse fundamentum, quo nonnulli hinc derivarunt, nomine *Jeremiæ* subinde reliquos prophetas omnes comprehendi, quia primum occupavit locum, & inde exponunt, *Jeremiam* Matt. XXVII:9. citari pro *Zacharia*.

§. VI.

a Proleg. ad Jes. p. 19.

§. VI. *Argumentum* hujus libri, ut ad propiora prolegomena veniam, sive sit *doctrinale* & declamatorium, sive *propheticum*, utriusque enim naturæ res hic occurrunt, *partim* est *elencticum*, sive convictorium, reprehensorium, & interminatorium, partim *consolatorium*, adhortationes & promissiones complexum; præcipue quidem ad *Judæos* directum, sed ad populos vicinos, in primis hostiles Judæis, sese quoque porrigens. Vitia & crimina Judæorum, præcipue idololatriæ, & contra leges Decalogicas, grassantia in lucem protrahuntur, & Judæi de culpa ac reatu suo convincuntur, reprehenduntur, & judicia Divina, ipsis imminentia, mox executioni mandanda, graphice depinguntur, & iis denunciantur, in specie totale reip. & Ecclesiæ in Cananæa excidium per Chaldæos. Sed ab altera parte continuæ adhortationes ad pietatem & virtutem, legisque observantiam, immiscentur, & melior populi pars luculentis promissis de tolerabili exilio, & de liberatione ab eo post 70 annos, denique de gloriosa reip. instauratione post, suo tempore, futura, nec non de Messia & meliore foedere ac oeconomia, erigitur ac confirmatur. Quo etiam pertinent vaticinia de populis vicinis, per judicia Dei delendis, vel reprimendis. Quæ omnia ex ipsa libri lectione sponte sua sese offerunt unicuique. Ipse quoque Deus, quum Jeremiam ad hoc munus vocavit, hoc argumentum ipsis verbis ipsi patefecit, c. 1: 10. quibus declaravit, ipsum esse a Deo *Gentibus & regnis præfectum ad evellendum* & *destruendum*, *ad ædificandum* & *plantandum*; scilicet per conciones suas cum doctrinales tum propheticas, partim *elencticas*, partim *consolatorias*.

§. VII. Ex quibus de *scopo* facile liquet, qui in genere, ut omnium prophetarum fuit, est, partim populum ad poenitentiam & resipiscentiam vocare, partim fidem & spem piorum corroborare per promissa, & prædictiones fatorum mundi & Ecclesiæ. De quo legi meretur Cl. Vitringa a. Sed *Jeremiæ* concionum præcipuus est, Judæos corruptos convincere de fi-

a Proleg. ad Jes. p. 15.

finali judicio, ipsis incumbente, proxime per Chaldæos efficiendo, nisi resipiscentia sua præveniant & avertant; simul pios contra illud confirmare per luculenta conservationis & liberationis promissa. Missus est Jeremias, currente jam periodo labentis reip. Judaicæ, & proxime destruendæ per Chald.; cui adcommodatæ sunt ejus conciones, quæ eo, quo dixi, tendunt, ut populus omnibus modis excitaretur ad finem suum & reip. avertendum. Quem scopum duo prima visa, prophetæ facta in initio muneris c. I: II. &c: manifeste declarant. Alterum enim *virga amygdalina* docebat, Deum ad opus judicii faciendum *festinare*; alterum *olla succensa* versus *aquilonem* judicium illud per Chaldæos exsequendum repræsentabat.

§. VIII. *Methodus*, qua hoc argumentum tractatur, est vel *verbalis* vel *realis*. Ad *verbalem* præcipue pertinet *stylus*, quo usus est Propheta; de quo paucis absolvam. *Sermonem* Jeremiæ aliis nonnullis Prophetis, ut Jesaia, Hosea &c: esse *rusticiorem* ac *simpliciorem*, ausus est pronunciare Hieronymus, minus peritus hujus rei judex, argumento forte ducto a *loco*, *in quo natus est*: quod ipse addit. Secuti sunt ipsum etiam ex Christianis recentioribus aliqui. Sed illa a loco nativitatis derivata ratio nullius est momenti, cum fuerit proximus Hierosolymis, & urbs sacerdotalis; ipse etiam Jeremia ex sacerdotibus, qui Hierosolymæ quoque diu est versatus. Sed Abarbanel stilum ipsi etiam adtribuit minus *elegantem* & *accuratum*, propter frequentes *ellipses*, *enallages*, & *anomalias*, ac *metatheses* aut vocum transpositiones: quod partim falsum est, partim ad orationis elegantiam & emphasin facit. Genus dictionis quidem tam altum & sublime non est quam Jesaiæ, licet in *sex* ultimis capitibus, cap. XLVI–LI., parum ab eo mihi abesse videatur, sed non minus purum, emphaticum ac copiosum, multis quoque figuris & metaphoris, tanquam luminibus, interstinctum; sed adfectibus movendis, & animis ad poenitentiam accendendis, adcommodatum, & eo destinatum. Quæ ex ipsa pertractatione

pe-

patescent. Soli *Threni* sufficiunt Jeremiæ ab ignorantia & rusticitate vindicando; quippe quibus *antiquitas nihil habuit*, ut recte Sanctius, *gravius*, *numerosius* & *sonantius*.

§. IX *Partes* hujus libri, si ultimum cap. adpendicis, ab alia manu additæ, loco habeas, *tres* generales sunt, suis titulis distinctæ. I. *Prima* continet conciones, intermissis narrationibus historicis, ad Judæos, durante adhuc rep., habitas a 13to Josiæ ad finem Zedekiæ. cap. I--XL. II. *Secunda* pars comprehendit fata Judæorum, in Cananæa, post reip. excidium, relictorum, & conciones ad eos, sive in Cananæa, sive in Aegypto. cap. XL--XLV. III. *Tertia* complectitur conciones pure propheticas contra populos vicinos, Aegyptios, Philistæos, Tyrios, Sidonios, Moabitas, Ammonitas, Edomitas, Syros, Arabes, Elamitas & Babylonios, cap. XLVI--LI. Quæ enim cap. XXV & XXVII. occurrunt vaticinia contra Gentes compendii instar sunt, & prodromi.

§. X. *Prima* libri pars continet, α. inaugurationem Prophetæ divinam in munere prophetico, ejusque instructionem, cap I. β. Ipsas conciones, vario tempore & loco habitas, c. II. &c.

CAP. I.

1. *Verba Jeremiæ filii Chilkiæ, e sacerdotibus, qui fuerunt in Hanathoth, in terra Benjaminis.*
2. *Verbum Jehovæ, quod factum est ad ipsum*, vel *ad quem factum est verbum Jehovæ, diebus Josiæ, Amonis filii, regis Judæ, anno decimo tertio regni ejus.*
3. *Fuitque diebus Jojakimi, filii Josiæ, regis Judæ usque ad undecimum annum exactum Zedekiæ filii Josiæ regis Judæ, usque ad transmigrationem Hierosolymæ mense quinto.*

4. *Factum est verbum Jehovæ ad me, dicendo.*

5. *Antequam te formarem in utero, cognovi te, & priusquam emicares ex utero, sanctificavi te, dedi te* nunc *Gentibus prophetam.*

6. *At dixi, ah! Domine Jehova, ecce! non novi loqui, quia puer sum.*

7. *Sed dixit Jehova mihi, ne dicas, puer ego sum; quia, ad quoscunque mittam te ibis, & quodcunque præcipiam tibi loqueris.*

8. *Ne timeas a faciebus ipsorum, quia tecum ego ad eripiendum te, dictum Jehovæ.*

9. *Et misit Jehova manum suam, & adpegit ori meo, dixitque Jehova mihi, ecce! dedi verba mea in ore tuo.*

10. *Vide, præfeci te hodie* Gentibus *& Regnis ad evellendum, demoliendum, perdendum, & dissipandum, & ædificandum & plantandum.*

11. *Et factum est verbum Jehovæ ad me dicendo, quid vides tu, Jeremia? dixique; baculum amygdali video.*

12. *Et dixit Jehova mihi, bene & egregie vidisti, quia invigilo verbo meo festinus ad illud efficiendum.*

13 *Et iterum adlocutus me est Jehova, dicendo, quid tu vides? dixique; ollam sufflatam ego video, cujus facies est a faciebus septentrionis.*

14. *Et dixit Jehova mihi, aperiet sese malum a septentrione instar auroræ super omnes incolas terræ hujus.*

15. *Quia ecce me convocantem omnes familias* (turmas militares) *regnorum septentrionis, inspiratum Jehovæ, ut veniant & tendant quisque solium suum*

(ten-

(tentorium) ad fores portarum Hierosolymæ, & contra omnes muros ejus circumquaque, & contra urbes Judæ.

16. *Etenim elocutus sum judicia mea contra ipsos propter omnem malitiam ipsorum, quod deseruerunt me, & suffitum fecerunt diis peregrinis, & opera manuum suarum adorarunt.*

17. *Tu vero accingas lumbos tuos, & stes, & loquaris quicquid præceperim tibi, ne consterneris a faciebus eorum, ne te conteram coram iis.*

18. *Etenim en ego posui te hodie instar urbis munitæ & columnæ ferreæ, & muri ænei, super universa hac terra, contra reges Judæ, principes ejus, & populum terræ.*

19. *Quum tecum pugnaverint, non prævalebunt tibi; quia tecum ego, inspiratum Jehovæ, ad te eripiendum.*

§. XI.

Capitis hujus partes sunt, præter *inscriptionem* generalem, sequentes. α. *Prima* est *vocatio* divina Jeremiæ, animo ipsius intimata & persuasa, vers. 4--8. β. *Secunda* est inauguratio sub symbolo *oris* ejus tacti a Deo, vers. 9. γ *Tertia* est *instructio* ejus respectu *scopi* & *argumenti* muneris, symbolis quoque illustrata, vers. 10--16. δ. confirmatio & corroboratio ejus in munere, ad illud fideliter & intrepide implendum, vers. 17--19. *Inscriptio* nihil habet, quod moram injiciat; cum in prolegomenis necessaria ad ejus intellectum protulerim. Tantum notari velim, vers. *primo* generalem totius libri inscriptionem exhiberi, & vers. *secundo* primam libri partem, conciones, durante rep. habitas, complexam, usque ad c. XL. cujus indicium est, quod terminus ad

quem ponatur finis Zedeciæ & regni Judæ; ultra quem sese tamen porrexit functio muneris ejus; præterea quod nova occurrat inscriptio c. XL. Facilius flueret sermo, quia nova hic occurrit inscriptio, si, vocibus prioribus vers. 2. transpositis, ita ordinaretur, *Verbum Jehovæ, quod factum est ad ipsum* &c: sicut alias passim. Quod tamen non urgeo, cum Hebraismum censeri possit redolere, quo אשר אליו est pro אל אשר *ad quem* factum est verbum Jehovæ.

§. XII. Memorat in *prima* parte *vocationem* suam divinam, non sine tergiversatione susceptam, vers. 4--8. non tantum ut majorem autoritatem muneri suo adderet, & obligationem verba sua audiendi imponeret omnibus, sed & ut, se non ambitiose talem provinciam desiderasse, aut eam temere suscepisse, sed divina autoritate & jussu coactum, indicaret. Quod ipsum postea subinde repetiit, ut cap. XX. Memorat vero *vocationis* suæ nomine Dei tres *gradus*, tribus verbis expressos, *destinationis* ab æterno, *sanctificationis* in utero matris, & *constitutionis* in prophetam. Quorum *primum* verbum nos ducit ad æternum decretum, *secundum* ad præparationem ab ipsa nativitate, *tertium* ad actualem electionem, nunc factam. Phrasis, *cognovi te antequam te formarem in ventre vel utero*, non nudam cognitionem, sed adprobationem ac destinationem comprehendit, &, *antequam te formarem*, tempus generationem præcedens indefinitum signat, & æternitatem involvit; ut a *Schmid.* & aliis jam est observatum. Lectionem textualem אצורך non habere litteram ו redundantem, ut Masorethæ ad marginem notarunt, sed radicem habere אור, ejusdem significationis ac יצר, observavit jam & docuit Cl. *Schultens* a. *Secunda* phrasis, *antequam emicares ex utero sanctificavi te*, indicat, Jeremiam in ipso utero a Deo fuisse consideratum tanquam prophetam futurum, simul ita a Deo, animæ & corporis respectu, formatum, eam accepisse dispositionem, ut suo tempore aptus fieret ad tam arduum munus; non quod sine pec-

a ad h. l.

peccato originali natus fuerit, sed semina sanctitatis jam tum receperit, cum aliarum dotium necessariarum principiis. Quod omne recte per *sanctificationem* intelligitur, ut facile cernitur. Non itaque cum aliis ad *sanctificationem* in decreto retulerim, sed ad actualem consecrationem ac dispositionem, jam ab utero factam; uti de Johanne baptista habetur, Luc. 1: 15. cum quod *decreti* modo facta fuerit mentio, tum quod phrasis diversa sit, non antequam te *formarem*, sed tu *emicares ex utero*, tum quod verbum *sanctificare* nos eo ducat aptius. Fuit ergo Jeremias, uti *Samuel*, *Johannes Baptista*, iam ab utero quasi *Naziraeus* Dei, Deo consecratus; cujus aliquod in ipso nomine ejus fuit indicium: ut supra notavi. *Tertia* phrasis, *dedi te Gentibus prophetam*, actualem & praesentem vocationem ad munus propheticum exprimit, & non, ut alii, in aeterno decreto factam: differt enim a superioribus phrasibus, & *sanctificationem ab utero* sequitur, nec phrasis alium fert sensum; non enim dicitur, antequam formavi te, aut simile quid, sed simpliciter *dedi* te, adeoque *nunc*. Quae particula nonnunquam deficit, mente supplenda.

§. XIII. Vocationis omnes gradus tam distincte expressit & solenniter Deus, ut in animum prophetae altius penetraret, & tergiversationem ejus, Deo probe notam, expugnaret. Excusat tamen sese adhuc, ad infantiam suam solum provocans, occultam & in animo latentem rationem, in *meticulositate* sitam, silentio involvens; ut ex responso Dei elucescit, vers. 8. Excusat se ob infantiam in loquendo, vers. 6. *non novi loqui*, dicens, *quia puer sum*, h. e. non scio *quando* & *quomodo* loqui debeam, tam gravi & arduo munere digne; quia aetate adhuc puer vel juvenis sum, sine exercitatione, sine prudentia. Sensus non est, se esse rudem & plane imperitum sermone; sed ignorare *tempestive & copiose* loqui ad convincendum & persuadendum: quemadmodum ex responso Dei mox patebit. Praesupponit Propheta, Deum quidem ipsi res proferendas suppeditaturum,

 sed

ſed ſuum fore, & *tempora* diſtinguere, quibus enunciare debeat, & *genus* ſermonis eligere ad rem aptiſſimum. Quod utrumque ſuam ſuperare capacitatem confeſſus eſt; non præ modeſtia, ſed & ex vero; quia *juvenis* erat.

§. XIV. *Reſponſum* Dei ulterius ſeſe extendit, quam ad rationem prolatam, ad occultam etiam, quam manifeſtare non audebat; *timiditatem* nimirum, Deo probe notam. Eſt itaque duplex, *alterum* contra manifeſtam, *alterum* contra occultam rationem moventem. *Prius*, verſ. 7. *ne dicas, puer ſum; quia, ad quoscunque mittam te, ibis, & quodcunque præcipiam Tibi, loqueris*, duplicem fert ſenſum, *alterum*, quo ratio prophetæ ſimpliciter rejicitur, tanquam inſufficiens, &, ea non obſtante, idem munus ipſi injungitur, *alterum*, quo *ratio* prophetæ diſtincte e medio tollitur. *Priore* ſenſu Deus diceret, hæc ratio tua nulla eſt, nec mihi ſufficit, qua te uti nolo; adeoque perſiſto in propoſito, & volo, ut eas, quo te miſerim, & loquaris, quod tibi præceperim; ſive, quod idem eſt, ut prophetæ mei perſonam fideliter agas. Qui ſenſus ſi obtineat, ſtatuendum eſt, Deum, ad animum ejus reſpicientem, probe noviſſe, hanc infantiam non eſſe præcipuam rationem, quæ prophetam deterrebat, ſed prætextum magis; vel ſponte prolapſuram, ſi vera *ratio* fuerit animo erepta; quam Deus mox tangit. Sed *altero* ſenſu, cui ſtructura orationis per voculam כי *quia* maxime ſavet, Deus diſtincte ad excuſationis rationes reſpondet, easque plane aufert. Dixerat propheta, ſe eſſe *infantem*, adeoque nec *quando* nec *quomodo* loqui debeat ſcire; reſpondet Deus, ut hunc ſcrupulum ei eximat, 1. ad *prius*, Deum momenta & loca & perſonas monſtraturum, quando, & ubi, & quibus loqui debeat; *ibis*, dicens, tantum ad *quos te mittam*; adeoque non tuum, ſed meum erit definire, quando fuerit opportunum, 2. ad *poſterius*, Deum ipſum vel verba ipſi inſpiraturum, vel contentum fore qualicunque ſermonis genere, modo *voluntatem* & *juſſa* Dei fideliter eloquatur; adeoque ipſum de *modo* loquendi, non debere eſ-

esse solicitum. Conjungamus utrumque sensum, recte cohærentem, & in rem aptum.

§. XV. *Altera* responsi Divini pars ad occultam rationem, quæ præcipue eam tergiversationem produxerat, scilicet, *timiditatem* ejus, respicit, eamque luculento promisso plane tollit, vers. 8. *ne timeas a faciebus ipsorum, quia tecum ego ad eripiendum te, dictum Jehovæ.* Quæ omnia egregia pollent emphasi; ut facile adparet: tantum notabo; 1. emphatice dici *a faciebus ipsorum*; ut indicaretur, personas ab ipso adeundas esse, easque fore superbas, eminentissimas, obstinatas & truculentas; simul *hostiles* & inimicas. Quæ voce *facierum* comprehensa sunt. Quam ob caussam etiam, vers. 7. dixerat non אל, sed על *contra quoscunque te mittam*; ut & *ad* & *contra* significaretur: quod ideo quoque observandum, quia nonnulli hinc etiam indicium *ruditatis* Jeremiæ in sermone derivant, quod pro אל dixerit על. 2. non sine magno pondere addi, *dictum Jehova*, ut propheta magis corroboraretur, ad animum revocans, *Jehovam* esse Deum veracem, qui hoc dixit, & eo dicto promissum obsignavit.

§. XVI. β. Secuta est mox solennis *inauguratio* Prophetæ, divinitus facta, externo sub symbolo, instar *unctionis*, & in ejus locum, verbo etiam seu promisso explicito & confirmato, vers. 9. *Et misit Jehova manum suam & adpegit ori meo, dixitque Jehova mihi: ecce dedi verba mea in ore tuo. Manus* Jehovæ ori prophetæ adpacta, uti visum fuit prophetæ, (non enim corporaliter, sed in viso contigit, quod recte observatum multas tollit difficultates & quæstiones; sicut Jes. VI. Ez. III. 2. & alibi) *symbolica* fuit prophetæ inauguratio, cum promisso conjuncta, *verba Jehovæ* ipsi esse in os danda; ipsumque ad munus apte & decenter exsequendum fore idoneum. *Manus* Divina signat potentem & sapientem ejus Spiritum; ejusque ad *os adpactio*, quæ vis verbi נגע est, denotat oris ejus apertionem, & formationem, ad copiose, apte & intrepide loquendum: est itaque manus *forma-*

matrix & *aptatrix* oris, ejusque *directrix*, quæ ipsi ab hoc tempore conceditur in perpetuum; ut firmiter ei adhæsura sit. Symbolum itaque fuit sacramentale, quo ipsi hoc donum est obsignatum, seu os apertum ac aptum promissum, & concessum. Sicut *pruna ardens de altari adtigit os Jesaia.* c. VI. liber Ezechieli datus est comedendus c. II. & Johanni in Ap.; ita Jeremiæ os tetigit *manus Divina.* Dominus quoque, in Apostolos *sufflans*, dixit, *accipite Spiritum.* Linguæ denique ignitæ insederunt ipsis Act. II. Ceterum *symbolum* fuit non *nudum*, sed cum effectu conjunctum, quo Propheta *donum* prophetiæ reapse consecutus est; sicut addit Deus: *dedi verba mea in os tuum*, & nunc & deinceps.

§. XVII. γ. Prophetam inauguratum Deus instruit muneris partibus & scopo, 1. verbis nudis, vers. 10. 2. Symbolis, vers. 11-16. 1. *Prius* vers. 10. his verbis fit: *vide, præfeci te hodie gentibus & regnis ad evellendum, demoliendum, perdendum & dissipandum, ad ædificandum & plantandum.* h. e. constitui te inspectorem & judicem gentium & regnorum, ut declares cum effectu partim eorum excidium & exilium, partim eorum instaurationem. Nihil fere hic nobis relictum est observandum; cum facilia sint, & recte jam exposita. Verba, *destruere & ædificare*, hic sumi pro adnunciatione, declaratione, & prædictione, facile liquet, & pertritum est. Observo tantum, non *prædicere*, sed ipsum illud *efficere* prophetæ attribui, ut indicaretur *certitudo* eventus, ad verba prophetæ implenda; simul *autoritas* divina, qua verba illa eloqueretur, acsi ipse Deus, inspector & judex mundi, id faceret. Præmittitur vero *judicium* destructionis; quia propter inemendabilem populorum statum præcederet; subjungitur *reædificatio*, quia ea passim exciperet judicium destructionis, utique in populo Dei Verba multiplicata copiosam faciunt & elegantem orationem, sine inepta repetitione. Priora *duo* verba, ad excidium pertinentia, prætèrquam quod paronomasiam, seu adliterationem, involvant,

orien-

orientalibus adamatam, metaphoram continent duplicem, *alteram* ab arbore, quæ eradicatur, *alteram* ab ædificio, quod funditus evertitur, desumtam: priorem נתש, posteriorem נתץ; quod verbum proprie adhibetur in ædificiis dirutis Ez. XXVI: 12. & significat *demolitionem* ac *destructionem* inde a fundamentis. Quæ utraque metaph. quoque manifeste residet in duobus verbis, ad instaurationem exprimendam adhibitis, *ædificare* & *plantare:* ut facile intelligitur. Adduntur ad judicii descriptionem duo alia, quæ destructionis aliquod adtributum declarant, in *dissipatione* partium eradicatarum, vel destructarum, situm; quæ nos ducit ad remp. excisam, seu civium abductionem in exilium. Rad. enim אבד proprie de eo adhibetur, qui *aberrat*, *&* *divagatur* de sede sua, e conspectu abit sine spe redeundi, Lat. *perire*, *interire*. Altera radix הרס dicit *contundere vehementius*, & ad ædificia transfertur, quæ diruuntur, & *contunduntur*, & partibus *solutis dissipantur*.

§. XVIII. 2. Instructio symbolica duplex est, & duplici scopo facta, *altera* virgæ amygdalinæ ad vigilem & festinam Dei curam in verbo suo implendo significandam, *altera* ad media, quæ adhiberet, quibus populum rebellem destruat, exhibenda, & ab *olla sufflata* desumta. *Prior* vers. 11, 12. virgam seu *baculum*, cui quis innititur in ambulando, & quo utitur pastor ad regendum & gregem compingendum in unum (quem usum habet vox מקל, pro מנקל, a נקל proprie *fulcivit*, nisus est, hinc translulit nitendo, & simpliciter progressus est de loco in locum) sed *baculum* שקד *amygdali* repræsentat. Vox enim Hebr. usu suo de *amygdalo* usurpatur, ut præter alios demonstravit, & illustravit, Olavus Celsius *a*; vid. & Hillerus *b*, ratione petita a maturitate præcoce: *floret enim omnium prima amygdala*, ut Plinius testatur, & *Martio pomum maturat*. Involvit vero שקד & *adsiduitatem* & *festinationem*, adeoque *vigilantiam*; ut loca in Lex. obvia docent. Visum indirecte eo tendit, ut propheta experimentum

a Hiero-bot. p. II. p. 297. *b* Hiero-phyt. p. I. c. 22.

tum suæ aptitudinis ad munus propheticum caperet, simul officii sui esse disceret, vigilem & adsiduum esse in opere demandato, ad exemplum Dei. Quo facit, quod cum Deus ipsi *baculum nudum* objecisset spectandum, & ipse mox *amygdalinum* esse perspexisset, Deus eum laudet, dicens, *bene & egregie vidisti*; capax ergo es visionum propheticarum, & te *adtentum* demonstrasti ac *vigilem*, sis & maneas talis: sed *directe* eo collineat, ut Deum ad judicium suum exsequendum esse paratum, & vigilem, indicaretur; adeoque verba prophetæ, modo memorata, vers. 10. non fore irrita, sed certo implenda, nec demum postea, sed cito, & e vestigio; cum periodus judicii jam esset in cursu: uti in prolegomenis observavi. Sic Deus ipse declarat imaginem; *quia vigilo ego super verbo meo ad illud faciendum.* Vis & elegantia comparationis est in verbo שקד, modo explicita, quod adsiduitatem & vigilantiam signat, & cujus derivatum de *amygdala* adhibetur. *Baculus* vero inde desumtus prophetæ fuit monstratus, ut *actuosa Dei cura* significaretur: est enim baculus *ambulantis*, ac *regentis*, simul *castigantis*. Reliqua aliunde facile petuntur.

§. XIX. Posterius symbolum est *olla sufflata*, *cujus facies a faciebus septentrionis.* h. e. ollæ tumidæ & effervescentis, in terra Cananæa seu Judæa positæ, anteriore parte Aquilonem versus respicientis. Interpretes passim intelligunt ollam, igni adpositam & folle sufflatam; ita ut ignis & sufflatio fuerit ante ollam a septentrione orta. Sed nihil hic de *igne*, nihil de folle & sufflatione aliunde orta; simpliciter memoratur *olla sufflata*, quæ est olla in tumorem erecta, & effervescens; sive ab alio, sive se ipsa, sufflata. Sic Job. XLI: 11. *e naribus ejus*, sive crocodili sive draconis, *exit fumus*, *tanquam olla sufflata*, & *stagni vel aheni.* Olla itaque sufflata est, quæ tota est tumida, & igneum vaporem ebullit. Hujus ollæ *facies*, seu anterior pars, quæ rei *facies* adpellari solet, spectabat Septentrionem versus, sed ita ut visa fuerit prophetæ ab Aquilone mota & in Judæam translata. Quam

ob

ob causam non dixit [illegible] sed [illegible] a *faciebus septentrionis*, ut indicaret, ollam ad septentrionem spectasse simul, simul inde venisse: uti in adplicatione emblematis etiam habetur, vers. 14, 15.

§. XX. Sed cujus rei emblema hic gerit *olla tumide effervescens?* Interpretes plerique Hierosolymam intelligunt, tanquam regni metropolin, quæ a Chaldæis accensa incolas suos, tanquam carnes in olla, consumeret: *ignem* itaque & *sufflationem* expingere Chaldæos, urbem obsidentes, &c. Cui hypothesi obstat, 1. quod propheta nihil præter *ollam sufflatam* a se visum memoret. 2. quod in adplicatione *malum* a septentrione oriundum, & copiæ militares Chaldæorum Hierosolymam & totam terram occupaturæ tantum repræsententur. Verum est, Ez. XI & XXIV. Hierosolymam cum olla comparari: sed inde ad nostrum locum nihil concludi potest, cum alio sensu ibi occurrat, & alium gerat conspectum. Rectius itaque cum Chaldæo, & ex recentioribus paucis, interpretamur de *motu* & *impetu bellico* Chaldæorum contra Hierosolymam & Judæam. *Ollæ* enim æstuantes in sublimi orientalium stylo figuram gerunt, ut recte advertit Rev. Kuypers. *a*, & Lette, *b bellorum*; uti apud poetam veterem: *æstuat contra nos olla eorum, at eam sedamus atque a nobis refutamus, postquam efferverit.* Aqua æstuans, & *ventus* fervescens, eo etiam sensu frequenter in Script. occurrunt: uti notum est. *Dominatur illa ollæ figura*, inquit Cl Schultens *c*, *in cothurnato Arabum stilo, & strenue ingenio suo in ea exornanda indulgent, si quando se odia bellaque obtulerint: in domestica nostra lingua simile quid radices cepit. Non alio etiam initio profectum est Latinorum coquere bella, consilia, coepta*, & Græcorum [illegible] ἕψειν. *Olla* itaque tumide effervescens, & igneum exhalans vaporem, repræsentat regnum Chaldæum sub Nebucadnezare, & vasta molimina coquens, & summe sese efferens, simul iratum & ad omnia absorbenda pa-

a ad carm. Ali. p. 126. *b* ad Jud. v. *c* Orig. l. 1. p. 78.

ratum; ac commotum. Quo respicit, quod *facies ejus fuerit a faciebus Septentrionis*, sive anterior ollæ pars intelligatur septentrionem versus, indeque veniens, ut modo notavi, sive potius in genere *conspectus* ollæ intelligatur, sed conspectus tremendæ Majestatis ac vehementis impetus. Vox enim Hebr. *facies* & pro *majestate veneranda*, cum Principibus attribuitur; ut Job. XI: 19, & pro instantia, ac impetu cujusque rei, sumitur. Vid. Schultens a. Quando sensus foret, conspectum ollæ terribilem, & impetuosum, fuisse *a faciebus* septentrionis, cum magna violentia & terribilitate sese ibi obtulisse primum, & visum fuisse sese moventem versus Judæam. Cui explicatio, seu applicatio, mox addita exacte respondet. Dicitur enim *malum instar auroræ sese aperturum a septentrione*; quam emphasin habet verbum פתח, uti observavit Cl. Schultens b, *super omnes incolas terræ* &c, quæ parum habent obscuri. Tantum notetur, *familias* regnorum, vers. 15. hic, ut & c. XV: 3. stilo militari signare *turmas*, quippe ejusdem passim *nationis*. Denotat vero vox proprie *diffusionem*, a radice שפח *fundere*, *diffundere*, inde gentem, familiam diffusam, ex una stirpe natam. Sic & כסא *solium* eodem stilo pro castrensi *prætorio* sumitur, seu tentorio. Denique verbum קרא *vocare* quoque eundem in modum de militum *convocatione* ad bellum usurpatur. Præf. ו in ובאו hic scopum & eventum *vocationis*, modo memoratæ, exprimit, & reddi debet per *ut*. Quod satis usitatum est. Sed vers. 16. in ודברתי est *etenim*, & rationem reddit præcedentium, vertique debet, *etenim elocutus sum judicia mea contra ipsos*, scilicet, Judæos. Exserit דבר usum forensem, & in specie *sententiam* condemnatoriam pronunciare dicit, uti 2 Reg. XXV: 6. Jer. LII: 9. Ez. XXXVI: 5.

§. XXI. *d.* Inaugurationem & instructionem apte excipit *adhortatio* ad munus fideliter & intrepide adgrediendum, magno etiam cum studio & impetu, confirmata & intermina-tio;

a ad Prov. XIX: 2. b Orig. l. I. c. [illegible]

gione, si mente frangatur, & promisso, si fidelem se præstiterit. Qui scopus & verus conspectus est pericopæ, vers. 17-19. cum superioribus ea, qua dixi, ratione recte cohærentis. Adhortatio habet, *ut lumbos accingat, stet & loquatur*, verba Dei, h. e. lumbis accinctis stet, seu bene paratus, & firmatus, munus magno impetu adgrediatur. Quæ cum facilia sint; tantum observetur, verbum *stare* hic exserere vim opus adgrediendi cum studio & impetu; de quo vid. Schultens *a*. *Interminatio* exprimitur his verbis, *ne consterneris a faciebus eorum, ne te conteram coram iis*. Quod utrumque uno, & eodem, verbo חתת effertur; quippe quod a primaria *friationis* potestate sese porrigit cum ad *destructionem*, qua quid in pulverem quasi friatur, tum ad *consternationem*, qua mens quasi conteritur. Vid. Schultens ad Prov. variis in locis. Utramque hanc potestatem exserit hic in eadem pericopa, emphatice & eleganter. *Promissum* continet *inexpugnabilitatem* prophetæ per Dei potentissimam præsentiam. *Inexpugnabilitas* per egregias figuras *urbis munitæ, columnæ ferreæ*, & *murorum æneorum*, super tota terra, contra reges &c., exhibetur. Ubi tantum observo, 1. orationem figuratam scandere, ab urbe munita ad columnam ferream, & dein *muros*, non murum simpliciter unum, æneos. 2. Vocem על *totam terram* non *contra*, sed *super* totam terram vertendas esse; mox enim sequitur recensio eorum, contra quos staret immotus. *Super tota terra* foret columna, h. e. ubique locorum, quo se verteret. 3. Præt. in *pugnarunt*, ac fut. in *prævalebunt*, secum construi ad denotandum antecedens & consequens, vertendumque, ut feci; *quum* tecum pugnarint, non prævalebunt. Quod satis usitatum est, nec tamen satis observatum semper.

a ad Job. I: 21.

CONCIO PRIMA

CAP. II.

1. *Et factum est verbum Jehovæ ad me, dicendo,*
2. *Ito & proclama in auribus Hierosolymæ, dicendo. Sic dixit Jehova: commemoro tibi studium juventutis tuæ benevolum, amorem sponsaliorum tuorum, ambulationem tuam post me in deserto, in terra non sata.*
3. *Israel est sanctus Jehovæ, primitiæ proventus ejus, quicunque eos comedere voluerint rei erunt; malum superveniet iis. Inspiratum Jehovæ.*
4. *Audite verbum Jehovæ domus Jacobi! & omnes familiæ domus Israelis.*
5. *Sic dixit Jehova. Quam invenerunt Patres vestri in me iniquitatem? Quia longius a me recesserunt, & iverunt post vanitatem turgentem, & turgore inflati evanuerunt.*
6. *Nec dixerunt, ubi est Jehova, qui nos e terra Aegypti duxit, qui deduxit nos in deserto, in terra solitudinis & foveæ lutosæ, in terra ariditatis & umbræ mortis, in terra, per quam nemo transit, quamque nullus inhabitat.*
7. *Et introduxi vos in terram frugiferam, ad comedendum fructum ejus & ubertatem ejus; & intrastis & contaminastis terram meam, & hæreditatem meam posuistis abominationem.*
8. *Sacerdotes non dixerunt, ubi est Jehova? &*

tract

tractatores legis non noverunt me, & pastores in me rebelles fuerunt, & prophetæ prophetarunt in nomine *Baalis, & post non profutura ambularunt.*

9. *Propterea adhuc vobiscum litigabo, inspiratum Jehovæ, & cum filiis filiorum vestrorum litigabo.*

10. *Transite insulas Chittæorum, & videte, & mittite ad Kedarenos, & distincte intelligite, & videte; ecce factum ne est sicut hoc?*

11. *An continuo gens mutavit Deos suos, licet sint non Dii: at populus meus mutavit gloriam suam in id, quod nihil juvabit.*

12. *Obstupescite ad hoc attoniti coeli, & horrescite stupescite valde. Inspiratum Jehovæ.*

13. *Quia duo fecit populus meus mala, me fontem aquarum vivarum missum fecerunt, ut sibi exscindant puteos, puteos confractos, qui aquas continere nequeunt.*

14. *Num Israel servus? an verna ipse? quare fuit prædæ?*

15. *Contra eum rugierunt leunculi, ediderunt vocem suam, & posuerunt terram ejus in vastationem; urbes ejus horrescunt carduis late comantibus, absque ut sit incola.*

16. *Etiam filii Noph & Tachpanes depascentur tibi verticem.*

17. *Nonne hoc tibi facies, deserere tuo Jehovam, Deum tuum, eo tempore, quo te in viam duxit?*

18. *Et nunc quid tibi cum via Aegypti, ad bibendum aquas Sichoris? & quid tibi cum via Assuris ad bibendum aquas fluvii?*

19. *Nequitia tua te castigabit, & aversiones tuæ redarguent te; & cognosce, & vide, malum &*

ama-

amarum esse deserere tuum Jehovam Deum tuum, & non pavorem meum ad te esse: inspiratum Domini Jehovae exercituum.

20. *Quia a seculo fregisti mihi jugum tuum, disrupisti mihi vincula tua, & dixisti, non serviam, quia super omni colle alto, & sub omni arbore patula, tu transfundens meretrix.*

21. *Et ego plantavi te vitem generosam, totam semen fidelitatis; & quomodo conversa es mihi in palmites degeneres vitis peregrinæ?*

22. *Quod si te nitro ablueris, & multiplicaveris tibi smegma; solide coagmentata est coram me iniquitas tua: inspiratum Domini Jehovæ.*

23. *Quomodo diceres, non sum polluta, post Baales non ambulo? vide viam tuam in valle illa, cognosce quid fecisti dromas levis, implicans, corrigiarum modo, vias tuas.*

24. *Asinæ ferae adsuetae deserto, quae in flagrante libidine animae suae haurit auram, inpetum quis avertet? quicunque eam quaerunt minime delassantur, in mense ejus,* vel libera vagatione ejus, *invenient eam.*

25. *Coerce pedem tuum a discalceatu, & guttur tuum a siti, & dixisti desperatum non, quia diligo peregrinos, & post eos ibo.*

26. *Ut pudet furem, quando deprehenditur, sic pudore adfecta est domus Israelis; ipsi, reges eorum, principes eorum, & sacerdotes eorum, & prophetæ eorum.*

27. *Dicentes ligno, pater meus es, & lapidi, tu genuisti me, quia verterunt cervicem ad me, & non faciem, & tempore calamitatis eorum dicere solebant, surge & serva nos.* 28. *Ubi*

28. *Ubi Dii tui, quos fecisti tibi? surgant, si servabunt te tempore calamitatis tuae, quia numerus urbium tuarum sunt Dii tui, o Juda!*
29. *Quare litem mihi intendetis? rebelles fuistis in me: inspiratum Jehovae.*
30. *In vanum percussi filios vestros, disciplinam coercentem non receperunt: absumsit gladius vester prophetas vestros, instar leonis* vastatoris.
31. *o aetas! vos videte verbum Jehovae. An desertum fui Israeli? an terra densae caliginis? quare dixerunt, populus meus, ultro citroque vagabimur, nec ad te amplius veniemus.*
32. *An obliviscetur virgo ornatus sui; an sponsa zonarum suarum? at populus meus oblitus est mei diebus innumeris.*
33. *Quam pulchram facies viam tuam, ad quaerendum amorem; ad firmandum etiam mala instimulasti vias tuas.*
34. *Etiam in alis tuis inventus est sanguis animarum egenorum innocentium; non in perfossione inveni eos. Quia super omnibus his*
35. *etiam dixisti, profecto mundus sum, certe aversa est ira ejus a me: ecce me judicantem te, propterea quod dicas, non peccavi.*
36. *Quid lubricas valde mutando vias tuas? etiam ab Aegyptiis pudore adficieris, sicut pudore adfecta es ab Assyriis.*
37. *Etiam hinc egredieris cum manibus tuis super caput tuum, quia exulcerato animo est Jehova in tuas securitates summas, nec prosperabis in iis.*

CAP. III.

1. *Dicendo: ecce si dimittat vir uxorem suam & ea ab ipso discesserit, & alterius viri facta sit, num ad illam redibit? Nonne labasceret terra haec summopere? & tu scortata es cum amasiis multis, & revertere ad me; inspiratum Jehovae.*
2. *Tolle oculos tuos ad loca prominentia, & vide ubi non constuprata fueris: juxta vias sedisti ipsis, instar Arabis in deserto, & nutare fecisti terram scortationibus tuis, & malitia tua.*
3. *Et inhibiti sunt imbres, nec pluvia serotina fuit, & frons meretricis fuit tibi fixa, recusasti pudore frangi.*
4. *Nonne ab hoc tempore vocasti mihi; pater meus mihi, dux adolescentiae meae tu es.*
5. *Num acri oculo intuebitur in aeternum? num servabit iram in purum putum? ecce dixisti mihi, & fecisti mala, & praevaluisti.*

§. XXII.

Concio, hoc capite comprehensa & primis 5. versibus cap. III., male ab hoc cap. avulsa, ut facile adparet, & ex vers. 6., ubi nova occurrit inscriptio, extra dubium collocatur, 1. est omnium prima a propheta habita, mox, postquam inauguratus esset, ipsi revelata, adeoque anno Josiae 13., uti ex nexu cum cap. praecedente, & quod tempus non addatur, uti vers. 6. cap. III., elucescit. 2. Revelata quidem ipsi est in *Anatoth*, ubi est inauguratus, sed habita, seu pronunciata, *Hierosolymis*, uti vers. 1. habetur, *i & proclama in auribus Hierosolymae*. 3. Continet contestationem seu litigationem judicialem, in superioribus beneficiis Dei,

Dei, & populi defectione præcedentium temporum, fundatam, eoque collineantem, ut populus de corruptione, ejusque indecentia & atrocitate, causaque malorum non in Deo, sed populo, quærenda, convinceretur, reprehenderetur, & si pote, corrigeretur, ad mala imminentia, quæ & hic denunciantur, prævenienda. Est itaque concio *convictoria*, *reprehensoria*, & *interminatoria*; quæ conspectum *litigationis* judicialis cum populo habet ad Dei justificationem & populi condemnationem; uti vers. 9. diserte habetur. Sed 4. litigatio & expostulatio est non cum Judæo tantum populo hujus temporis, verum cum universo populo Israelis per omnia tempora, ex quo in Cananæam venit; adeoque cum hujus temporis populo, etiam in majoribus considerato, eorumque prava instituta adhuc sequente. Generalis est expostulatio cum universo Israele, etiam superiorum temporum, quod probe ad ejus intellectum notandum est. Rationes sunt, 1. quod oratio ad *omnes familias domus Israelis* vertatur, vers. 4. 2. quod patres eorum memorentur, qui in deserto oberrarunt, & ipsi, quos adloquitur propheta, in Cananæam dicantur introducti, vers. 5. 7. argumento, cum populo disceptari, ex quo in Cananæam venit, universo, 3. Quia bona & mala, quæ populo evenerunt, prava instituta, quæ tenuit, ab antiquis temporibus memorantur, ut vers. 7. &c. 20, 21, 31. &c. 4. Denique quia diserte dicit propheta vers. 9. *propterea adhuc litigabo vobiscum, dictum Jehovæ, & cum filiis filiorum vestrorum litigabo*, h. e. cum vobis majoribus, licet mortuis, id adhuc faciam, & omnibus omnium temporum posteris, ad hoc tempus usque. Qui verborum verus sensus est, & emphasin voculæ עוד *adhuc*, nec non tituli *filiorum*, *filiorum vestrorum*, retinet integram, alias non servandam.

§. XXIII. *Partes* concionis sunt duæ generales, quarum *prior* occasionem & fundamentum expostulationis litigiosæ comprehendit, vers. 2-8. *posterior* ipsam litigationem, vers. 9. ad fin. *Prior* memorat beneficia, adfectus Dei testimo-

nia, in majores collata, & eorum a Deo culposam ac detestabilem defectionem, vers. 2--8. Occurrit α. majorum liberatio ex Aegypto, & fidelis ductio per desertum, cum eorum defectione turpi & ingrata, vers. 2-6. β. populi introductio in Cananæam cum ejus simili defectione, vers. 7, 8. α. *Prior* pericopa, vers. 2--6. exhibet, *a.* beneficia Dei in populum collata, in Aegypto & deserto, vers. 2, 3. *b. ingratam* defectionem majorum in deserto, vers. 4--6, *a.* Beneficia celebrantur *tria*, desponsatio populi ex puro amore Dei facta, ductio per desertum fidelis, foederis pactio, qua Deus declaravit populum esse suum peculiarem, a nemine impune violandum, his verbis, vers. 2, 3. *Ito & proclama in auribus Hierosolymæ, dicendo. Sic dixit Jehova: commemoro tibi studium benevolum juventutis tuæ, amorem sponsaliorum tuorum, ambulationem tuam post me in deserto, in terra non sata. Israel est sanctus Jehovæ, primitiæ proventus ejus; quicunque eos comedere voluerint, rei erunt, malum superveniet iis, inspiratum Jehovæ.* Sunt, qui *studium* & *amorem* de ipso populo erga Deum intelligunt, contra connexionem & scopum sermonis: qui est, beneficia commemorare, quibus populus male respondit: uti mox, vers. 5. diserte exprobratur populo. *Studium juventutis* est erga eam, ut *amor sponsaliorum*, ad ea facienda, seu desponsatio populi ex amore a Deo sibi facta; *ire* ejus post Deum, est Dei sub ductu, & protectione, ire; quod magnum erat beneficium, & *cibationem* in specie involvit; quare additur, *in terra non sata.* Versus 3tius explicandus est de *foedere* ad montem Sinai, & promissum Dei, populo factum, continet; adeo ut, *dictum Jehovæ* tunc factum sit intelligendum, & ad præcedentia referendum, tanquam *materiam* dicti Jehovæ: quando fut. temp. ratio in verbo *rei erunt, malum veniet*, rectius sibi constat. Dictum & promissum Jehovæ fuit, *Israel sanctus Jehovæ. primitiæ proventus ejus* est, & erit; *qui eos comedere voluerint rei erunt*, vel noxæ obnoxii, &c. Notetur in אכל *comedere* quoque respici ad *primitias*; quas qui ede-

cedebant, reatum incurrebant. Reliqua sunt facilia. Tantum notetur usus verbi [illegible] pro *commemorare*, quem & alibi habet, ut Job: IV: 7. *a* & hic omnino exserit; ut ex phrasi, *commemoro tibi*, manifestum est: *Recordari* huc non quadrat.

§. XXIV. *b*, Huic beneficio opponit populi in deserto defectionem ingratam & contumacem a Deo, & inde reperit causam malorum, quæ ei tunc evenerunt, non in se, sed populo quærendam, vers. 5, 6. *Quam invenerunt patres vestri in me iniquitatem?* nullam, nec in eo, quod perierint in deserto, ullam, ut videri posset; nam eo respici omnino videtur: ratio redditur his verbis, *quia a me longius recesserunt, & iverunt post vanitatem turgentem, & turgore inflati evanuerunt*. h. e. non mea sed propria culpa perierunt, non iniquo, sed æquo & justo meo judicio; sicut inde patet, quod me deserentes, & vanitatem sectantes, per eam interierunt. Elegantia & emphasis est in oratione singularis, ire post הבל, post *vanitatem* ire, & fieri ipsam *vanitatem*. Vox Hebr. originem habet in ventoso flatu & *turgere*, & inde inter alia transiit *cum* ad vana, superba, & perversa consilia, & instituta, in specie idololatrica stilo Script., *tum* ad interitum instar turgidi flatus evanescentis *b*. Ceterum *vanitas*, quam sectati sunt Israelitæ in deserto, non idololatriam tantum, sed quævis ventosa consilia & instituta, murmurationis, tentationis, inobedientiæ, concupiscentiæ &c. comprehendit. Scopus verborum est, Deum ab omni culpa liberare, &, populum suis vanis consiliis periisse, demonstrare. Additur, *nec dixerunt, ubi est Jehova? qui nos e terra Aegypti eduxit, qui deduxit nos in deserto, in terra solitudinis & foveæ lusæ, in terra ariditatis & umbræ mortis, in terra, quam nemo pertransiit, quamque nullus inhabitat*. h. e. Nec quæsiverunt Jehovam recto corde, aut ad eum se converterunt vera resipiscentia, toto illo tempore, quo in deserto oberrarunt, tot licet tantisque beneficiis ad-

 fec-

a Vid. Al. Schultens, & Coccej. in Lex. [illegible] *b* Vid. Schultens ad Hamas. p. 383 & ep. 1. ad Menkenium p. 68. [illegible]

fecit, tum per liberationem ex Aegypto, tum per fidelem ductum in horrido deserto: ad cujus descriptionem sequentia ejus epitheta pertinent, in quibus nihil est, quod nos moretur. Uno verbo dicam, desertum eleganter dici *umbram mortis*, propter *horrorem* & omnium *rerum penuriam*, ferarum multitudinem, nec non separationem ab hominibus, ut mox additur; *Terram* vero שוחה, propter *sabulum*, in quod quis pedibus profundius subsidit; quod est שוח *profundius subsidere*. Praeterea negligendum non erat, vocem *terrae* non otiose, sed studio & emphatice repeti, ad varias *deserti* partes, diversamque earum indolem denotandam. Est enim illud, partim sabulosum, partim horridum & siccum, partim sine incolis, & transeuntibus. De quo consuli potest Cl. Vitringa *a*.

§. XXV. β. Posterior pericopa pertinet ad Israelitas Cananaeos, ut sic loquar, qui in terram promissam venerunt, & cum quibus hic in genere expostulat propheta nomine Dei; quae ratio est mutatae personae, quam Interpretes non observarunt, Schmid. perverse exposuit. Sed res ex dictis clara est. Memorat & hic Deus *a.* beneficium in populum collatum, *b.* ejus defectionem ad idololatriam, & citam & obstinatam, ac continuatam. *a.* Beneficium est introductio in terram fertilissimam & optimam, eo scopo ut uberrimis ejus proventibus largiter frueretur; vers. 7. in priore parte, *Et introduxi vos in terram frugiferam, ad comedendum ejus fructum, & ubertatem ejus.* Adpellatur Cananaea *terra* כרמל non a monte Carmelo, quod insolens est, sed a mira, & amoena fertilitate; quam vox Hebr. continet, & unde ad montem *Carmelum* transiit. Vox composita ex כרם *turgit succo*, signat enim proprie *succositatem*, seu *succosum fluorem*, ut verbo notavit Cl. Schultens *b*, & מל vel מול *secuit*, adeoque signat *succosum amputandum*, seu segetem *largam* & *opimam*; vindemiamque succosam, *c*. Terra itaque *Carmel* est inhabitata, exculta, frugifera, & optima in qua vivitur laute

&

a obs. S. l. v. c. 15. *b* ad Prov. xx: 22. *c* Vid. quoque Rev. Kuypers ad carm. Ali. p. 185.

& cum jucunditate; opposite ad *desertum*, modo memoratum, & quamvis aliam terram, lacte & melle minus fluentem, minusque bonam. In quam terram ubi *introducti* dicuntur (hanc enim hic praefert significationem verbum הביא, ut mox אבו) ad *fructum ejus comedendum*: indicatur, terram illam fore suam, & in ea laute, ac pacifice, eos esse victuros. Emphasis est in phrasi *edere fructum ejus & ubertatem ejus*; quae potestas est vocis טוב; ut Schultens a docuit: dicit enim edere fructum uberem, succosum, opimum, magna cum suavitate & abundantia.

§. XXVI. *b*. Defectio populi, 1. in genere, persona secunda, exprimitur, vers. 7. *& intrastis & contaminastis terram meam; & hereditatem meam posuistis abominationi*, scilicet, sceleribus, & in primis idololatria, replendo; tantum abest, ut terram per verae religionis exercitium, ac legis observantiam, sanctificassent, & tanquam *terram Dei*, & *hereditatem* ejus, tractassent, uti oportebat. Sed major hic latet emphasis in verbis secum conjunctis, *& venistis & contaminastis*, minus observata: significatur enim, 1. eos statim fere ac firmum in terra fixerunt pedem eam polluisse. Quem significatum habet *b* & repetitum, *& intrastis & polluistis*, ut 2 Reg. XII: 1. Jer. XX: 9. XXXII: 23. Ez. III: 16. XIV: 1, 2. XVI: 10. XVIII: 59, 60. & alibi. Quod ex historia Judicum satis constat. 2. eos in ea mansisse defectione, & semper ac diu continuasse, & nihil fere fecisse quam terram contaminare: 3. nec id leviter & occulte, sed graviter & palam, idololatria publice dominante. Quam emphasin in specie habet phrasis, *ponere abominationi*, ut structura Hebr. propria requirit. Sumitur enim verbum שים pro *dedicare, initiare, consecrare*, ut apud Lat. ponere statuam, donum in aede &c. Sensus ergo est, ipsam Jehovae hereditatem, quam sibi & gloriae suae destinaverat, & populo suo eo scopo possidendam, utendam, dederat, ab Israelitis fuisse consecratam idolis, quae hic, & alibi saepe, no-

[illegible] mi-
nus ad Prov. & alibi. *b* Vid. c. XI; 13. XXXI: 21. XXXII: 20. Ez. V: 5. VII: 20. [illegible]

mine *abominationis* veniunt. 2. In specie imputatur superioris ordinis viris, qui tantum abest, ut impediverint populi impetum Idololatricum, ut excitarint & confirmarint, vers. 8. *sacerdotes non dixerunt, ubi est Jehova? & tractatores legis non noverunt ille, & pastores in me rebelles fuerunt, & prophetæ prophetarunt in* nomine *Baalis, & post non profutura ambularunt.* Ubi non 4 sed 3 ordines recensentur, *sacerdotes & levitæ*, seu sacri ordinis viri, *ductores* populi, & *oratores* publici, divinitus inspirati. *Primi* adpellantur *sacerdotes* & *tractatores legis*; non enim alius ordinis sunt *tractatores* legis, *tum* quod ad sacerdotes & Levitas hoc officium pertineat, uti notum est, *tum* quod sine ה emphat. simpliciter *tractatores* vocentur, argumento, esse epitheton sacerdotum, modo memoratorum, cum ה emphat. in hoc versu præfigi soleat singulis ordinibus. Ceterum vi verbi תפש, cujus proprietas est *implectendi, circumplicandi* manus, inde implicatis manibus firmiter *prehendendi* a, & *tractandi*, sunt; qui legis librum continuo tractant, & terunt, ejusque contentorum tradunt scientiam. *Secundi* sunt *pastores*, qui, a sacerdotibus & prophetis distincti, alii esse nequeunt ac rectores & ductores politici, eo etiam nomine passim insigniri soliti in Script. V. T. *Tertii* nominantur *prophetæ*, quia pro inspiratis se gerebant. Horum omnium defectio a Jehova ad idola distinctis verbis, facilibus intellectu, proponitur: quare nihil addo. Tantum ad elegantiam orationis notetur paronomasia in verbo יעל ad nomen בעל.

§. XXVII. *Altera* pars capitis continet ipsam *litigationem*, quam propheta nomine Dei se instituturum esse declarat; vers. 9. *Propterea adhuc litigabo vobiscum, dictum Jehovæ, & cum filiis filiorum vestrorum.* Majores adloquitur, in Canaanæam introductos, qui a Deo defecerant, quibuscum prophetæ sæpe contenderant suis temporibus; quam contentionem se resumiturum esse, dicit propheta, & ad omnes eorum posteros, ad hoc tempus usque, extensurum; eo ipso indicans, du-

a Vid. Cl. Joh. W. Schroeder ad Ps. x. 2.

durasse hucusque defectionem per omnia tempora, sed nunc terminum fore, vel hanc litigationem fore ultimam. Quam emphasin habet vocula עוד *adhuc*, h. e. ut sæpe antea, ita & nunc, sed nunc ultimo. Quam emphasin non perspexerunt Interpretes; qui *filios filiorum* etiam minus recte de Judæorum tunc viventium *posteris* interpretati sunt, quod absonum est. Ceterum *litigatio* contentiosa hic est *verbalis*, non *realis*, seu ipsa *poena*, uti multi capiunt, cum ad hanc ipsam concionem pertineat, ejusque *materiam* ac *scopum* declaret. Sita est in *convictione*, *reprehensione*, & *interminatione*, eoque tendit, ut populus se reum agnoscat gravissimi criminis, & judicia Dei vel per resipiscentiam avertat, vel *justa* esse confiteatur.

§. XXVIII. Partes *litigationis* sunt sequentes. I. *Prima* summam Israelis *stultitiam* coarguit, quod, cum gentes omnes in *falsa* religione, suscepta a Majoribus, soleant esse constantes; Israel tanta levitate a vera ad falsam desciverit, Deumque omnisufficientem cum vanis idolis ad propriam perniciem commutaverit, vers. 10--13. Quæ pericopa populum convincit, α. Stultitiæ & *levitatis* in re religionis, vers. 10, 11. β. Summæ & stupendæ stultitiæ, vers. 12, 13. α. Stultitiæ & inconstantiæ in religione rei aguntur Judæi, ex comparatione cum gentibus Idololatricis, quibus hac parte longe pejores sese præstabant, *cum* quod in vero Dei cultu minus studiosi & constantes essent, quam gentes in falsorum Deorum suorum, *tum* quod magis contra rationem & propriam utilitatem agerent, Jehovam cum idolo commutando, quam Gentes fecissent, idolum cum idolo permutando. Verba ita habent vers. 10, 11. *Transite insulas Chitthaeorum, & videte & mittite ad Kedarenos, & distincte accurateque intelligite, & videte, ecce factumne est sicut hoc? An continuo gens mutavit Deos suos? licet sint non Dii: at populus meus mutavit gloriam suam in id, quod nihil juvabit*, vel asylum non præstabit. *Gentes* hic non laudantur absolute, uti facile cernitur, & propheta etiam cavit, ad-

dendo, *falsos* fuisse *Deos*, sed restricte & relate ac comparate ad Judæos. Laudantur præ Judæis tanquam 1. in studio erga Deos suos sinceriores ac ardentiores, 2. in religione constantiores, 3. sapientiores quoque, quod sine ratione, minus cum damno suo, Deos suos cum aliis Diis non commutaverint, 4. denique communi tunc opinioni, quæ habebat, singulas gentes suos proprios habere Deos, convenientius. Judæi itaque *insipientia* hoc gentium exemplo convincuntur, *partim* quod laudabilem hanc sapientiam & constantiam gentium non imitarentur in studio veri Dei; cum multo graviores & justiores haberent, quam Gentes, rationes hoc faciendi; verum enim Deum habebant, gentes falsum, ut propheta expresse propterea monet: *partim* quod longe pejus instituerent, mutando verum Deum cum falso, adeoque sine ratione non tantum & utilitate, quod gentes non fecerunt, sed & contra rationem omnem, & cum proprio & gravissimo damno; *gloriam suam mutantes* in *idolum* nihil proficuum, quin exitiale. Adpellat propterea Jehovam *gloriam* populi, ut vere erat, cum verus Deus sit, & solius populi Judæi sub coelo Deus foederatus, in quo præ gentibus omnibus gloriari poterat; *idolum* vero לא יועיל nihil minus quam commodum aliquod aut tutelam adferens, potius damnum & exitium. Radix יעל Arab. est *scandere culmen*, *culminare*; unde הועיל *fecit culmen scandere*, *asylum aut arcem præbuit*; unde ad tutissimum & omnis boni plenissimum locum statumque transfertur a. Accedit, non semel, aut una alterave vice, sed sæpius & continuo id fecisse Israelitas; quam emphasin exhibet verbum מור vel מר, cujus potestas est in *fluxu reciproco & continuo* b. Unde usus *mutandi*, *permutandi*, quæ est *reciprocatio*, facile fluxit. Ceterum notetur; 1. Chitthæos & Kedarenos ex. gr. tantum memorari, tanquam remotiores & proximiores, occidentales & meridionales ac orientales. *Chittæi* hic late sumuntur pro omnibus *Europæis*, cum proprie sint *Itali*; de quo ad Dan. XI. dixi. Ke-
[illegible] da-

a Vid. Schultens ad Prov. X: 2. b Id. ad Job. XV: 31.

dareni sunt Arabes scenitæ, ex Ismaele oriundi; proximi Nabathæis in Arabia Petræa, de quibus postea suo loco agam. 2. Ubi Chittæos vult *adeundos*, & ad Kedarenos legatos *mittendos*, verba elegantiæ causa divisa sunt, & in utroque membro jungenda, ut sensus sit, *ite* aut *mittite* ad Chittæos & Kedarenos. 3. Quum negatur, *gentem mutasse Deum suum*, sensus non est, id nunquam esse factum, verum raro quin rarissime, si factum sit, nec ita ut Judæi, continuo id facientes, ullam fecisse gentem.

§. XXIX. β. Adgravatur stultitia populi, & summum conscendisse gradum declaratur, per apostrophen propheticam, seu poeticam, figuratam ad *coelos*, in summum stuporem dandos ob enormia & stultissima populi facinora, quibus *Deum, fontem aquæ vivæ deseruit*, & puteos sibi effodit, puteos fractos aquam continentes nullam, vers. 12, 13. *Obstupescite ad hoc adtoniti coeli, & horrescite stupescite valde, inspiratum Jehova. Quia duo fecit populus meus mala, me fontem aquarum vivarum missum fecerunt, ut sibi exscindant puteos, puteos confractos, qui aquas continere nequeunt*. In quibus nihil est difficilis, aut nobis observandum. Apostrophe ad coelos in stuporem dandos nihil habet insoliti, multum emphasios a. Adcumulantur verba ad summam obstupefactionem exprimendam; quæ de copiosa prophetæ nostri eloquentia simul testantur. Primum verbum שמם proprie est *siderari* tanquam *urente pestifero adflatu*, inde inter alia *obstupefacere*, seu in mentis attonitæ horrorem defigere. Secundum in שער proprie est æstuavit; inde *horruit* b. Tertium חרב proprietatem habet in *fissione & laceratione*, unde inter alia transfertur ad *stuporem*, cum mens attonita veluti *findatur & fatiscat*, viribus disjectis, ac stupore defixis. Ceterum conjunguntur *duo* ultima sine copula, ut, priore *qualitatem* posterioris significari, indicaretur; *æstuate findimini* itaque est, æstuatione findimini.

a Vid. Cl. Vitringa ad Jes. 1: 2. b V. d. Rev. Kuypers ad V. T. p. 64.

§. XXX. 2. *Secunda* pars litigationis judicialis eo tendit, ut, exemplo Israelitarum, fratrum Judæi populi, propter defectionem solam desolatorum, Judæis ob oculos posito, eos convinceret, ex simili sorte, iis obventura, & de sua defectione & de necessitate auxilia humana peregrina deserendi, nec iis aut idolis fidendi, sed soli Jehovæ, vers. 14-19. Quæ pericopa ex mea opinione, aliter enim instituunt Interpretes, continet *a.* Exemplum Ephraimitarum propter solam defectionem a Deo ad idola, & auxilia humana vicinarum gentium, a Deo destructioni datorum, & non, quod minoris fuerint a Deo habiti, ut inde discerent, sibi eandem sortem obventuram, non Dei, sed sua propria culpa, vers. 14, 15. *Num Israel servus? an verna ipse? quare fuit præda? contra eum rugierunt leunculi, ediderunt vocem suam, & posuerunt terram ejus in vastationem, urbes ejus horrescunt carduis late comantibus, absque ut sit incola.* Relegamus hæc, &, ubi necesse fuerit, illustremus. *Num Israel servus? an verna ipse?* nihil minus, non magis, quam vos Judæi! æque filii Dei, ac vos, & ejusdem mecum foederis. Interrogatio fortius negat. Pergit propheta: *quare præda sunt?* quæ itaque causa fuit eorum excidii & subjugationis? scilicet nulla alia ac eorum a me defectio, uti notum est, & in omnium oculos incurrit. Subjungitur deprædationis & *raptationis* ignominiosæ, quam emphasin habet בז, plenior descriptio: *contra eum rugierunt leunculi, ediderunt vocem suam.* h. e. instar rugitus leunculorum proclamarunt contra eos, bello eos aggressi; qua ratione *edere vocem* recte subjungitur *rugitui leonum*: quod alias superfluum foret, vel minus concinnum. Pergit, *posuerunt terram ejus in vastationem; urbes ejus horrescunt carduis late comantibus, absque ut sit incola.* Notetur elegantia & emphasis orationis in phrasi, urbes ejus נצתה; uti textualis habet lectio omnino sana; cui male substituerunt Masorethæ ad marginem נצתו, ex ignorantia linguæ: masc. enim plur. nomen recte construitur cum

ver-

verbo foem. sing., uti apud Arab. frequenter & eleganter. vid. Cl. Schultens a. Verbum vero נצה & נצא originem habet in *splendore micante*, unde partic. נוצה *plumam* dicit vel *comam* longius demissam, & ציצ *capillamentum longius* seu *cincinnos*; radices vero hæ sunt ejusdem originis. Hinc fluxit, *prehensis antiis, capillis*, invicem decertare, manus conserere, unde pugnare, etiam rixari; nec aliam habet originem *vastandi* potestas de *urbibus*, quæ, incolis destitutæ, *germina* producunt, sicut Arab. adhibetur *de loco graminoso*; plane ut *coma* Lat. ad gramina luxuriosiora transiit: sed in specie notat apud Arab. *carduum*, in primis speciem eius insignitiorem & horridiorem, quæ quasi prominula coma inhorreat. Si a יצת vel נתץ derivetur, urbium conflagrationem notabit, a propria *crepandi*, dissiliendi cum crepitu, potestate: sed quam ipsam significationem etiam continet נצה, uti docuit nuper & huc adplicuit Cl. Schroeder b, qui de *conflagratione* cepit, *promicantes antias*, quæ, ut dixi, propria est radicis virtus, ad flammas majores inprimis incendii, quæ in arrectos quasi *crines* & *cirros* adsurgunt, & dividuntur, grandiore orientalium stilo, referens. Respici ad Ephraimitarum desolationem jam factam, ex verbis præt. temp. facile liquet: cum vero *Ephraimitis* eo tempore solis, non Judæis, contigerit ea vastatio totalis; de aliis intelligi nequit. Errant itaque, qui de *futuro excidio* capiunt, vel & Judæos includunt antea adflictos. Robur addit, *a.* quod tertia utatur persona Propheta, cum mox rursus adloquatur Judæos, vers. 16. *b.* quod in Ephraimitas suspicio, eos non filios sed *vernas* esse, cum aliqua specie cadere potuerit, ut propheta eam removere necesse habuerit, non in Judæos. *c.* quod exemplum Ephraimitarum recte ad Judæos convincendos locum inveniat in contentione convictoria, & reprehensoria; ut modo notavi. Ceterum propheta interrogatione, *quare factus est præda?* sine causæ additione aut responsione usus est, quia causa erat no-

a ad. h. l. b Vid. Cl. Schroeder ad Orig. c. 7.

toria, & a Judæis agnita; præterea mox in *Judæis* explicaretur, ut fit, verf. 17.

§. XXXI. β. Exemplum Israelis adplicat mox propheta, quæ *secunda* pars pericopæ est, ad *Judæos*, ab illis ipsis, quibus fidebant, rejecto Jehova, propter defectionem suam, robore & ornatu suo privandos haud diu post, verf. 16, 17. *Etiam filii Noph, & Tacphanes depascentur tibi verticem. Nonne hoc tibi facies, deserendo tuo Jehovam Deum tuum, eo tempore, quo te in viam duxit.* Verba occurrunt in *secunda* persona, adeoque ad Judæos directa; & judicium continent sub Josia ab Aegyptiis infligendum in poenam adfectionis eorum ipso tempore reformationis; ut inde de totali excidio, post secuturo, augurarentur. Quod judicium eo aptius memorat, quia Israelitæ, ab Assyriis, quos in auxilium vocaverant, & quibus fidebant, destructi erant; sicut ab Aegyptiis cladem acciperent Judæi ob eandem rationem. Agi vero hic de *judicio* futuro, liquet ex verbo fut. temp., & tempore Josiæ infligendo, patet etiam ex criterio temporis, quo Deus *eos in viam ducere* conatus est; quod per reformationem Josiæ factum est. Ceterum judicium verf. 16. proponitur, & *causa* ejus verf. 17. Filii *Noph* sunt *Memphitæ*, & *Tachpanes Pelusiaci*; נף etiam מף, proprie מנף, unde utrumque nomen fluxit, est *Memphis*, Metropolis Aegypti superioris; de quo vid. Cl. Vitringa [a], *Tachpanes*, etiam *Tachpanches*, est *Daphnes* Græcorum prope Pelusium, munimentum Aegyptiorum fortissimum contra Syros & Arabes; ut habet Herodotus, cujus nominis quoque fuit regina Aegypti tempore Salomonis, 1 Reg. IX: 19, 20. unde forte nomen urbis. Cum autem hæc duo oppida fuerint celeberrima, alterum metropolis, alterum munimentum, regni Aegyptiaci, totum regnum apte designant. Sed quid Aegyptii facerent Judæis? *depascentur tibi verticem tuum*, dicit propheta; aliam enim versionem non ferunt verba, quicquid etiam nonnulli contendant. Fundunt quoque sensum egregium, & in

[a] ad Jes. XIX: 11.

in rem præsentem aptissimum. *Depasci* enim *verticem* populi figurate dicuntur illi, qui eum gloria, libertate & opibus privant, instar hominis per animalcula noxia cute & crinibus orbati. *Vertex comatus* orient. omnia bona & præsidia depingit: est a קדד *resecuit forcipe*, unde *vertex comatus*. De quo alibi *a* dicam. Quod Aegyptii fecerunt Josiam occidendo, Hierosolymam intrando, tributum exigendo, novum regem a populo constitutum deponendo, & secum in Aegyptum ducendo, novumque regem substituendo: uti ex historia satis constat.

§. XXXII. Cujus calamitatis causa a Deo removetur, & populo imputatur, ut defectionis suæ sensum accipiat, vers. 17. Ubi nihil, quod moram injicit, occurrit. Tantum notetur, aggravari defectionem, & punitionem illam justiorem declarari, per ultimas voces; *in tempore, quo te duxit in viam*, (in מלך enim est ellipsis אשר עת) quæ manifeste ad reformationem per Josiam ducunt, ultimum conamen ad populi emendationem; dicuntque, *ire facere in viam rectam*, legi Dei congruam, opposite ad perversas populi *vias* idololatriæ, & corruptionis morum. Declarat propheta, illud ultimum medium frustra quoque cessisse, populo non emendato, adeoque populum juste & sua culpa fuisse ea ratione a Deo punitum per Aegyptios, quibus fidebat, in signum excidii per varios gradus nunc secuturi.

§. XXXIII. γ. Subjungit propheta objurgatoriam dehortationem, ex calamitate, modo memorata, deductam, ad eos deterrendos a fiducia in Aegyptiis, nisi velint sua rursus culpa in perniciem totalem præcipitari, vers. 18, 19. Reprehensio dehortatoria occurrit, vers. 18. his verbis: *Et nunc quid tibi cum via Aegypti, ad bibendum aquas Sichorii? & quid tibi cum via Assuris ad bibendum aquas fluvii?* seu Euphratis. *Et nunc*, dicit propheta, scilicet, post tantam calamitatem ab Aegyptio ortam; cujus modo mentio erat facta. Eo enim respicit vocula, & *nunc*; indicatque po-

a ad Pl. LXVIII:22.

populum tunc temporis adhuc magis fiduciam in Aegyptiis collocaturum esse; uti factum ex historia notum est. Præmisit autem calamitatis istius prædictionem, ut inde dehortationem illam deduceret. Habet vero particula עתה *nunc* quoque vim *illativam*, ut sæpe alias a. Reliqua satis expedita sunt. Fluvius *Sichor* est *Nilus*, a nigredine ob limum sic dictus, & *aquas ejus bibere* est inde quærere consolationem, & refocillationem contra mala, adeoque arctum habere cum eo commercium & societatem: est vero emblema notissimum Aegypti. Phrasis, *quid tibi cum via Aegypti* &c: est emphatica, & seriam continet objurgationem ac dehortationem; estque fere idem, ac quam vanum, stultum & noxium, est; quid tibi necesse est, cum habeas in Deo auxilium? quam stultum est fidere amico, qui verticem jam tuum est depastus? quam male tibi hoc cedet, cum in ruinam te conjiciet; ut mox additur. Sed alterum membrum minus recte solet accipi, acsi Judæi etiam accusarentur fiduciæ in *Assyriis* positæ; quod utique nunc non fecerunt, nec deinceps potuerunt, regno Assyriaco jam fracto. Verba itaque illa, *quid tibi cum via Assuris* &c. hic occurrunt, tanquam rationem dehortationis præcedentis complexa, ex comparatione cum Israelitarum præcedentium fiducia in Assyriis, quæ ipsis tam male cesserat, hoc sensu: *quid tibi cum via Aegypti?* non magis quam olim cum via *Assyriæ*; quid nunc tibi cum Aegypto? sicut antea cum Assyria. Quem sensum clare confirmat vers. 36. *ab Aegyptiis pudore adficieris, quemadmodum pudore adfecta es* ab *Assyriis*. Ceterum idololatricam Aegyptiorum æmulationem & imitationem a Judæis hic videt Cl. Schultens b. Quod non putem verum, cum ad rem hic non faciat. Vers. 19. *Nequitia tua te castigabit, & aversiones tuæ redarguent te, & cognosce & vide, malum & amarum esse deserere tuum Jehovam Deum tuum, & non pavorem meum ad te esse, inspiratum domini Jehovæ exercituum*, qui malum ex hoc instituto oriturum proponit ad urgen-

a Vid. ad Mal. 1: 9. b Orig. l. 1. p. 202.

gendam dehortationem, parum habet, quod nos moretur. Tantum notetur, 1. *priorem* versus partem, *nequitia tua te castigabit, & aversiones tuæ redarguent*, recte haberi pro denunciatione *mali* ex nequitia, & aversione a Deo, orituri, quo tandem discerent per experientiam, quanti sit crimen, a Deo deficere. Sed *posteriorem* partem, *& cognosce & vide* &c: admonitionem complecti, ad experimentum illud præveniendum; ut sensus sit; cum certo experturus sis mala inobedientiæ effecta; agnosce potius nunc & perspice, quam *amarum* & *malum* sit Jehovam deserere; teque ad Deum converte. Qua ratione mutatio temporis fut. & præsentis; nec non modi fut. & imperat. rectius intelligitur. 2. Ambiguum est in verbis, *& non pavor meus ad te*, quæ & de Deo erga populum, & de populo erga Deum intelligi possunt. Posterius communiter statuitur, & sese tueri quoque potest: sed *prius* secuti sunt LXX, qui vertunt, *ϗ ἐκ εὐδόκησα ἐπὶ σε* & *non complacui mihi in te*; seu nulla tui cura adficior: forte punctis mutatis habuerunt pro prim. præt. in Kal: sed non necesse est punctaturam migrare; licet non sit spernendum. Respexerunt ad usum verbi, quo *metum providum* & *solicitudinem piam parentis* dicit; ut Job. XXXIX: 16. Est autem proprietas vocis in *femore*, ut Job. XL: 17. Unde ad *familiam* transiit ex femore prognatam, uti Cl. Schultens a, observavit. Hinc etiam fluxit potestas providæ solicitudinis pro sobole, nec non alio flexu *pavendi*, proprie quo *cauda* contrahitur sub femore; seu, uti apud Arab., quum foemina divaricatis femoribus insidet sellæ camelinæ, inde se *submisit*. Sensus foret, vide *quantum malum* sit, a Jehova recedere; & cura ejus super te propterea carere.

§. XXXIV. 3. *Tertia* pars litigationis, vers. 20-22. comprehensa, ut vel ex formula, *dictum Domini Jehovæ*, qua singulæ partes clauduntur, quæ vers. 22. occurrit, colligitur, continet convictionem reprehensoriam defectionis eorum, & antiquissimæ, & contra primam eorum institutionem,

a ad Job. l.c.

& apertæ ac contumaciæ. a. Antiquissimam defectionem ipsis objicit Propheta, vers. 20. *Quia a seculo fregisti mihi jugum tuum, disrupisti mihi vincula tua, & dixisti, non serviam, quia super omni colle alto, & sub omni arbore patula, tu transfundens meretrix.* h. e. Defectio tua non est recens, sed antiquissima, simul violenta & contumax, qua, omni excusso jugo, libere evagata es, & te effudisti in omnem scortationem spiritualem, sub omni arbore viridi, & super omni colle; ubi idololatria solet exerceri. Interpretes solent priorem partem versus reddere, *ab antiquo fregi jugum tuum*, & *avulsi vincula tua*, *& dixisti non serviam*, sive *tibi*, o Deus, sive *idolis* & gentibus, & de beneficio liberationis a servitute Aegyptiaca interpretari. Sed LXX verterunt, uti nos fecimus, non acsi aliter legissent, sed quod in verbis שברתי & נתקתי non pro nota verbi prim. pers., sed litera paragogica habuerint, quæ cum emphasi abundat, ut Lat. *mihi*; quod clarius conspicitur, si punctetur [illegible], quemadmodum Masoretæ in aliis casibus fecerunt, sed nonnunquam etiam, ut hic, punctarunt, unde ambiguitas sensus orta est. Sic Jud. XVII: 3. *sanctificasti mihi*, Jes XXXVI: 5. אמרתי coll. 2 Reg XVIII: 20., Mich. IV: 13. והחרמתי *devovebis mihi*, Ps. XXXI: 7. שנאתי *odisti* mihi a, & alibi, estque id Arabibus frequens. Commendat sese hæc interpretatio, 1. quod vox *ab olim*, vel antiquo, recte & emphatice tunc locum inveniat; minus in altera expositione. Quid enim illud est, *ab antiquo rupi vincula* servitutis tuæ, h. e. dudum est, quod id fecerim; si *Aegyptiaca* servitus in oculis fuisset, aliter & clarius expressisset. 2. Quod dictum Israelis, *non serviam*, sic enim legi debet, & non secundum notam marginalem, rectius in nostram quadret hypothesin, & orationem aptius connectat, ut facile cernitur. Rupisti jugum & vincula, & dixisti, *non serviam*, sed libere evagari volo; ut mox additur. Quod si reddas, *rupi jugum tuum*, & *dixisti*, *non serviam*; oratio hiabit, nec sensum fundit commodum illud; non

a Vid. comm. noster, & Schultens clav. p. 3[illegible]

non serviam; minus, cum ad jugum modo memoratum manifeste respiciat. Nec satisfaciunt Interpretes. 3 Quod Deus vers. seq. demum incipiat loqui, ut ex voce אנכי *ego*, expresse memorata, adparet: respicitur enim ad populi factum & dictum; hoc sensu, hoc tu egisti & dixisti, quum *ego* te aliter instituerim. 4 Accedit, populum mox describi, tanquam qui omnia vincula perruperit, & libere vagatus fuerit: vers. 23, 24.

§. XXXV. Sensus itaque est, Israelem jam ab antiquo omne jugum excussisse, & *servituti renunciasse*; seu legem & instituta Divina rejecisse. Nec habet *jugi* aut *vinculorum* notio aliquid, quod offendat; cum & alibi occurrat, ut Ps. 2: 3. Act. xv: 10. & alibi, & in legem apte quadret, eo scopo datam, ut petulantia populi constringeretur, & ab Idololatria abstractus populus intra veri Dei religionem contineretur, simul etiam populum undiquaque in omnibus actionibus arcte constringeret. Sed *jugi* & *vinculorum* notiones propterea etiam electae sunt, quod in Israelitarum oculis fuerit illa lex *jugum* satis durum, nec ferendum; quare loqui introducitur, *non serviam*; volo pro lubitu religionem mihi eligere, & delectationem meam sequi. Egregiam adhuc emphasin habet, fregisti *mihi*, quia *jugum* erat a Deo ipsi impositum. *Posterior* versus pars, *quia* &c. eo tendit, ut veritas accusationis confirmaretur; *quia* ipso facto Israel patefecit animum suum a servitute Dei alienum, *sub omni arbore*, *& super omni colle*, *scortando*. Ceterum cum mox *scortationis* fiat mentio, manifestum est ad *jugum* & *vinculum* conjugale respici, quo Israel uni marito, Deo scilicet, erat adligatus: quo nihil est arctius. Egregiam emphasin habet verbum צעה, non nisi ex propria verbi potestate, in *inclinando* proprie *vas* ad effundendum liquorem, inde *transfundendo*, sita, ut docuit Cl. Schultens a, eruendam. *Transfundere* solet inde *ad opes* & *vitam*, aliaque, quae absumuntur, & transportantur, adplicari, hic in specie ad *amorem*, & *uxorem*,

a Orig. l. 1. p. 108.

& *vas* corporis: adeoque *meretrix transfusor* est, quæ sese & vas suum inclinat ad effundendum liquorem, quæ *amorem suum*, ut Cicero in Philippica loquitur, *transfundit* in *alium*, simul honorem & pudorem suum, antea illibatum, profundit; simul *opes* suas dissipat. *Inclinationis* potestatem retinet, & cum ad *scortationem* tum ad *prostrationem* in idololatriam refert Cl. Schroeder *a*, & egregie illustrat.

§. XXXVI. *β*. Quæ defectio eo turpior erat, & populum de reatu & propria culpa convincere debebat, quod in origine sua tam bonus & nobilis fuerit per Dei gratiam & curam; uti mox vers. 21. subjungitur. *Et ego plantavi te vitem generosam, totam semen fidelitatis; & quomodo conversa es mihi in palmites degeneres vitis peregrinæ?* Respicitur omnino ad generationem in Cananæam per Josuam introductam, ut ex *plantationis* verbo liquet, & ex vers. 7. elucet; vertit enim propheta orationem hoc cap. ad Israelitas Cananæos: uti supra observavi. Hæc ætas adpellatur palmes *generosus*, nobilis, ad optimas uvas producendas aptus, quæ vis est vocis שרק, de qua vid. Cl. Vitringa *b*, 1. respectu *ortus* ex Patriarchis, 2. legum præscriptarum ad Sinai, 3. quod hæc generatio esset *bona* & legis studiosa; ut ex Josuæ libro, & Jud. 11: 10. manifestum est. Emphasi non caret, quod expresse dicat, *& ego* ipse, mea manu *plantavi*, mea potentia & bonitate ac cura id feci, ut nomen meum glorificaretur per bonos fructus, inde exspectandos. *Palmiti* vero generoso additur *semen veritatis*, explicationis ergo, ut, quid per *palmitem nobilem* intelligendum sit, declararetur. Vox זרע de *plantis* æque ac *satis* usurpatur, ut Jes. LXI: 11. *semen veritatis* est bona ac fidelis, ad fructus bonos apta stirps, sobolem sui similem productura: ut videbatur. Sed aliter res cecidit, *conversa* est in *degeneres palmites vitis peregrinæ*; proprie qui a planta & stirpe recesserunt, & de *vite* peregrina desumti sunt: quæ est corruptionis, & in specie idololatriæ, descriptio. Notetur, ad elegan-

tiam

a obs. ad orig. Hebr. c. 3. *b* ad Jesai.

tiam sermonis, peculiaris verbi סור usus, quo, de vino usurpatum, designat, *remisit de sapore*, in vappam degeneravit: quod alibi *a* observavi. Particula איך *ubi tibi*, seu *quo pacto, quomodo*, in phrasi *quomodo conversa es mihi*, indicat rem esse turpem, quam quis merito stupeat, damnabilem, & execrabilem; simul eo tendit, ut culpa corruptionis in populum conjiciatur, non in Deum; denique ut populus ad æmulationem, si pote, excitetur, ut sese stirpe sua dignum gerat.

§. XXXVII. γ. Additur, iniquitatem esse in corde coram Deo altius infixam, & solidius compactam, quam ut per externa media tolli possit; &, si videatur etiam ad tempus sublata, tamen mox sese denuo ostendat, vers. 22. *Quod si te nitro ablueris & multiplicaveris tibi smegma; solide coagmentata est coram me iniquitas tua; dictum domini Jehovæ.* Quorum sensus non est, frustraneas esse populi excusationes, palliationes, sive peccata negent, sive extenuent, sive alio modo se excusent, cum Deo nota sint, sed *media* ad peccata tollenda, quæ nunc adhibebantur, esse frustranea, cum nimis alte inhæreant & solidius sint compacta, quam ut tollendis sufficiant. Quo nos omnino ducit, 1. quod non de mediis fucatoriis & incrustatoriis, sed *purgatoriis*, ut sunt *nitrum & smegma*, sermo sit. De quibus vocibus, נתר & ברית, hic nihil observo, cum de *priore* exposuerit Cl. Schultens *b* & de *posteriore* alibi *c* dixerim. 2. quod ratio non repetatur a Dei omniscientia & justitia, quæ se decipi non patitur, sed a peccati *compactione*, Deo probe perspecta, quæ se elui aut purgari non patitur. Hanc enim potestatem habet verbum נכתם; varie admodum ab Interpretibus redditum. Sed vera est significatio, quam exposui. Proprietas est, ut ex Arab. patet, in solide firmo, *compacto*, coagmentato & *clauso*, unde pro auro solidissimo & propterea absolutissimæ puritatis sumitur. Media itaque purgantia, hic *nitrum & smegma* dicta, sunt jejunia, preces, sacrificia, & si-

a ad Ps. XIV: *b* ad Prov. XXV: 20. *c* ad Mal. III.

similia, ad maculam & reatum peccati tollendum destinata, quæ tempore Josiæ adhibita sunt, & optatum videbantur habitura effectum, ad populum emendandum & iram Dei avertendam; quibus populus etiam fidebat hoc tempore; ut ex vers. 35. patet: videbantur quoque aliquam emendationem externam & speciosam produxisse. Sed Deus declarat, rem secus se habere, nec successuram, neque maculæ neque reatus respectu, manente utroque compacto coram Deo, inspectore & judice omniscio & justissimo. Quam emphasin habet vox לפני *coram me*.

§. XXXVIII. *Quarta* pars litigationis continet *convictionem* populi de peccatis, & impoenitentia, nec non *pudefactionem* ejus tempore angustiarum, cum reprehensione impudentis cum Deo expostulationis, vers. 23--29. ubi eadem formula, pericopam claudens, *dictum Jehovæ*, recurrit. Offert sese *a*. convictio populi, idololatriam suam negantis, de ea, notabili producto immanis idololatriæ in *valle* specimine, vers. 23. *Quomodo diceres; non sum polluta, post Baales non ambulo; vide viam tuam in valle illa, cognosce quid fecisti dromas levis, implicans corrigiarum modo vias suas.* Videtur populus idololatriam a se removisse hoc tempore, quo Jeremias eum publice reum egit, hoc prætextu, cum quod cultum Jehovæ publice exercebat, tum quod cultus idololatricus per Josiam esset inhibitus, adeoque palam a toto populo non amplius instituebatur. Sed propheta ei ob oculos posuit cum hypocrisin, tum studium idololatricum adhuc vigens, sefeque data occasione exserens; producto specimine in valle, scilicet, ut nonulli recte notarunt, LXX. πολυάνδριον vertentes, quoque in oculis habuisse videntur, uti ex. c. XIX: 2, 6. liquet, *filiorum Hinnon*, in qua cremabantur pueri Molecho, seu Baali; partim quod *vallis illa* κατ' ἐξοχὴν adpelletur, partim quod maxime notabile specimen censeri debeat produxisse Propheta; cum ejus unius tantum meminerit. Accedit, locum illum non fuisse a Josia purgatum, nisi anno 18vo regni, ante quem hanc concionem ha-

habuit Jeremia; uti ex supra dictis liquet. Ad hanc itaque *vallem* eos ablegat propheta, tunc adhuc recentia præferentem vestigia omnium turpissimæ, & terribilissimæ, idololatriæ. Sed addit comparationem populi, respectu animi idololatrici & hypocritici, cum *dromade levi, corrigiante vias suas*, quia animal illud est agilissimum, & salacissimum; quare apud Græcos meretrices dictæ sunt δρομάδες, ut Hes. δρομὰς ἑταίρα. Denotare vero vocem *camelam juniorem, dromada*, satis demonstravit Bochartus *a*, ab *agilitate* & festino cursu sic dictam; dicit enim radix proprie, *festinare, prævertere*; unde ad *primogenituram, primitias* & *præcoces fructus*, etiam transfertur. Sed quid sibi vult epitheton, quod additur, *corrigians vias suas?* Verbum proprie habet *nectendi* & *instringendi* potestatem *b*, in specie, *corrigiis laxioribus transversim actis*; unde ad *camelam currentem* transfertur, *alterno pedum glomeratu agilem*, dicitque cursum cum celeriorem, tum implexum, hinc & inde transversim actum, nunc in dextram, nunc in sinistram. Usurpatur quoque apud Arab. de falso numine vero Deo adsociato, innexo & illigato: ut observavit Cl. Schulteus *c*, & nostrum locum etiam inde illustravit, in tractatu de *ambiguis d*. Sensus hinc oritur amplissimus, qui cum ardentissimum idololatriæ studium, tum hypocrisin in veri Dei & falsorum numinum cultu conjungendo, tum mutabilitatem populi, dum nunc Jehovam, nunc Baales colebat, & similia comprehendit.

§. XXXIX. β. Subjungit propheta *licentiam* populi, omne jugum spernentis, *incorrigibilem*; quæ non possit non eum in perniciem præcipitem dare facillime, sine ullo labore; instar asinæ feræ libere vagantis, & oestro libidinis percitæ, non reprimendæ, quæ facile in manus vel casses venatorum incidit, vers. 24. *Asina fera, adsueta deserto, quæ in flagrante libidine animæ suæ hauriat auram, impetum quis avertet? quicunque eam quærunt minime delassantur, in mense, vel vagatione, ejus invenient eam.* Hac enim ratione ver-

tem

a Hieroz. I. ii. c. 3. *b* clav. p. 250. *c* ad Tarpab. p. 76. *d* p. 68.

renda, & secum construenda, sunt verba, quod Linguæ peritus, & admonitus, facile perspexerit. Antea, vers. 20. dixerat Propheta, Israelem jam a longo fregisse *jugum*, & omnem servitutem detractasse; quod nunc ulterius persequitur, simul libidinem illam esse insuperabilem, & ad summam pervenisse maturitatem, ex diuturna consuetudine ortam, declarat, adeoque subactionem ejus esse facilem & ante fores. Comparat populum cum *asina silvestri*, פרה, alias פרא dicta, propter *cursus velocitatem*, ut jam observavit Bochartus *a*. Proprietas radicum, cum א & ה, quæ in origine eædem sunt, est in *findendo*, *secando*, unde secundario, *trajecit*, *celerrime pervasit*, *transcurrit*. Vid. Schultens *b*. Est autem animal unum omnium libertatis amantissimum & prorsus intractabile; ut l. c. docetur, & a Bocharto pluribus illustratum est. Symbolum solet esse apud Orientales *efferæ* & *indomitæ contumaciæ* & obstinationis. Vid. quoque Schultens *c*. Additur, ad indomitam illam indolem adgravandam, asina *adsueta deserto*; uti Job. XXXIX. *solitudo ipsi domus* dicitur posita, & Hos. VIII. 9. Significatur insociabilitas populi, & licentiæ summus amor, qua se ab homine non patitur regi. Pergit propheta, & libidinosam ejus indolem depingit, *in flagrante libidine anima sua captat auram*, sive in genere liberam, sive refocillantem, in signum vehementioris æstus libidinosi; sicut c. XIV: 6. *captare auram* onagris sitibundis attribuitur, sive etiam libidinosam onagri, seu asini sylvestris maris, *auram*, ad coitum; *auram* itaque, odore maris adflatam. De quo jam monuit Clericus. *Libidinis* maxime furentis & indomitæ lineas ducit verbis, quæ sequuntur; *impetum ejus quis avertet?* sc. nemo; proprie ardorem ejus summo gradu æstuantem, & ad maturitatem coctum, ut sedari amplius nequeat. Radix און sedem habet in *fervente aqua*, unde *maturitatis* coctæ notio succrevit, & *lugendi* fortius usus cum æstu, & in genere ad omnem *maturitatem*

tran-

a Hieroz. l. III: c. 16. *b* ad Job. XXXIX: 18.
c ad Job. XI: 17.

transiit, ac maturam occasionem rei *a*. Hoc nostro in loco libidinis æstus, ad summam maturitatem adductus, in asina fera, marem adpetente, & præ æstu auram captante, intelligitur, & cum idololatricus populi impetus, tum indomita ejus indoles vivide depingitur. Ultimum membrum videtur intellectu difficilius, *quicunque quæsiverint illam non delassabuntur, in mense ejus invenient eam*; & vario modo expediri solet. Illud mihi facile adparet, orationis structuram in genere dicere, asinam talem facile, & sine multo labore, a quæsitoribus inveniri; aut a quæsitoribus *infatigabilibus* esse inveniendam. *Quærentes eam non lassabuntur invenient eam* est, sine lassitudine, aut sine labore, aut infatigabiliter quærendo invenient. Verba enim duo sæpe secum sine copula, ut hic, junguntur, ut prius posterioris *qualitatem* exprimat: sed quid sit *in mense* ejus invenire, difficilius est. Incidit aliquando, pro בחדשה rectius legi בחפשה *in libera vagatione ejus:* uti Job. XXXIX: 5. *quis emittet onagram libere*, חפשי? sicut Lev. XIX: 20. vox חפשה pro *liberà ejus dimissione* occurrit; sensumque esse, Israelem, instar onagræ vagantem, sine ulla cura Dei, ut vers. 19. habuimus, facillime futurum prædæ hostium. Adhibetur enim vox Hebr. in specie de expulsione & eliminatione e societate, etiam cum publica ignominia & maledictione, Ps. LXXXVIII: 6. 2 Reg. XV: 5. Respiceret itaque ad effrænem populi vagationem, sed indicaretur, voce hac paulo aliter sumta, eam vagationem conjunctam fore cum *solutione* a *cura* & tutela Dei, & populi abjectione a Deo; quo in statu facile caperetur, & in perniciem rueret. Sed si חדשה retineatur, quod tutius forte fuerit, aliter vix explicari posse videtur, quam de *mense* onagræ, quo libidine maxime ardet, ut solent animantia certa sua libidinis tempora habere: quod a nonnullis jam est observatum. *Mensis* ejus itaque erit tempus *maturitatis* ejus *destinatum*, uti modo in תאנתה vidimus. Sed observo, eo aptius hanc vocem adhiberi, quod in origine habeat *fricantem*

a Vid. Schult. ad Prov. XII: 23.

tem scalpturam. Radix enim proprie dicit *scalpere, scalpendo fricare*, atque ita ad nitorem perducere, unde ad *recentem* & *nitentem* vigorem transfertur *a*. Hic autem, ut in voce maturitatis modo vidimus, honeste refertur ad fricationem libidinosam, ut Lat. *scalpurigo* pro *pruritu*, seu adpetitu voluptatis ex scalpendo seu scabendo, & Gr. τρίβειν, & κατακνῆσαι. Posset itaque, ad propriam vocis potestatem respiciendo, verti, *in scalpurigine ejus.* Nec desunt ejus vestigia apud Arab. Aliter instituit Præstantiss. Juvenis Sypkens *b*, qui vocem de *vagatione* interpretatur, origine etiam a *terendo* ducta, ut *terere viam* pro vagari. 3. *Quærere* denique & *invenire*, hic non de onagris maribus, sed venatoribus capi debet, & judicium Dei in populum tam ferinæ & effrænis indolis comprehendit, quo fieret, ut onagra hæc, tam indomita alias, & nunc magis, cum libidinis oestro percita vagatur, in manus quærentium facile incideret, idque eo tempore, quo furor idololatricus ad summum venerit, & omnem refrænationem respuerit. *Scortatio* enim & *ebrietas cor* aufert, seu omnem adtentionem & prudentiam Hos. IV: 11, 12. *Quærere* & *invenire*, est in *malum*, & ad *perniciem*. uti alias *quærere* animam alicujus, &c. & sic *invenire*, Ps. XXXII: 6. CVII: 2. CXVI: 3. & alibi. Sensus ergo versus est, feram hanc, quam indomitam, & impetuosam non refrænandam, in summo æstus furore esse fine labore subigendam per hostes qualescunque. Quod factum esse, constat.

§. XL. γ. Insuperabilis corruptio populi, omnes admonitiones, & interminationes, spernentis cum incredibili obstinatione, ulterius urgetur & deducitur, vers. 25. *coerce pedem tuum a discalceatu, & guttur tuum a siti, & dixisti desperatum non, quia diligo peregrinos, & post eos ibo*, h. e. sæpius es de emendandis moribus, & calamitate secutura, admonitus, facio & adhuc, sed respondisti, sicut & nunc fa-

a Vid. ad Ps. LI: 12. *b* In diss. sub Schroedero ad V. T. Loca selecta p. 20.

facis, per *desperatum illud non*, obstinate recusasti, & dixisti palam, *amo idola* & *sequar* ea. Prior versus pars continet admonitionem, sed sæpius factam, & nunc iterum, quæ & dehortationem comprehendit, & vitationem mali tristis. Verba enim habent sensum divitem; qui huc redit: cave tibi ab infamia, ne fias infamia, ab ardore peccandi, ne in malo necesse habeas *sitire* præ sensu æstuante miseriæ: quod Schmidio etiam in mentem venit. Prius membrum est, *cohibe pedem tuum a discalceatu*. h. e. abstine ab ignominiosis & pudendis facinoribus, ne incidas in veram infamiam, & luctum; cujus symbolum est *discalceatio*; uti Jes. XX. XLVII. 2. Nah. III. & alibi, quæ vilitatem, servitutem, & pudendum statum repræsentat. Sed simul indicatur, ut ipse talia facinora non præstet servilia, & pudenda; ut plene sit, *ne pedem tuum denudes ipse*, nec in causa sis, ut *denudetur*. Additur, cohibe *guttur tuum a siti*, h. e. ardorem idololatricum exstingue, nec efficias, ut in statum miseriæ, & omni solatio orbum, quo frustra desiderabis consolationem & recreationem, incidas. Ceterum utroque membro turpitudinem libidinis honesto involvi tegumento, quod primo hic dixi indicari, observavit quoque Cl. Schultens *a* & illustravit. *Posterior* pars declarat obstinationem & indurationem populi, si non verbis apertis, utique opere & facto ipso, admonitiones salutares semper & nunc eludentis, & respondentis, *desperatum non*, sive illud hominis desperabundi solenne dictum, *non* faciam, frustra est & inutile; sive *desperatum est*, spes omnis abjicienda est obsequii nostri, quo monitum illud admittamus; *non faciemus*, quia amamus Deos peregrinos, & eos colemus, quicquid etiam admonueris, aut interminatus fueris. Vid. c. XVIII: 12.

§. XLI. *b*. Redit ad *convictionem* populi ex propria confessione, tempore afflictionis sæpe expressa cum pudore, quum a Deo petierunt auxilium, quem deseruerant; eo ipso confessi, idola ipsis opem ferre non posse; nec se stultitiam

a Orig. Hebr. l. 1. p. 202.

suam amplius tegere; simul obstinationem taxat, qua, non obstante eo pudore & confessione, tempore mali tamen semper ad idololatriam se receperint: vers. 26, 27. *Ut pudet furem, quum deprehenditur, sic pudore adfecta est domus Israelis, ipsi, reges eorum, principes eorum, & sacerdotes eorum, & prophetæ eorum, dicentes ligno, pater meus es, & lapidi, tu genuisti me; quia verterunt cervicem ad me, & non faciem, & tempore calamitatis eorum dicere solebant, surge & serva nos.* Interpretes de futuro capere solent; sed verba sunt præt. temp., & unicum illud fut. יאמרו *dicent* consuetudinem denotat, pro *dicere solent*, & dixerunt antea, & dicent postea. Scopus verborum est, ut dixi, populum convincere de vanitate idololatriæ, ex pudore inde concepto, & propria confessione, cum ad Deum confugere solitus esset, ab idolis nihil exspectans solatii; similitudo est a fure in ipso facto deprehenso, & nihil a raptis suis bonis exspectante solatii aut auxilii: cui similis sæpe fuit Israel, in calamitates cum incidit, & frustra ab idolis liberationem exspectavit, ad Deum etiam sese convertens confessus est, apud eum solum esse auxilium suum. Verba ita cohærent, ut 1. similitudinem furis & Israelis exhibeant, vers. 26. & in priore parte vers. 27. *ut pudet furem, quando deprehenditur, sic pudore adfecta est domus Israel, ipsi* (populus), *reges eorum, principes eorum, & sacerdotes eorum, & prophetæ ipsorum* (ductores, sacræ personæ, & doctores; tres enim rursus ordines memorantur, quare *reges* & *principes* conjunguntur sine copula *&*, quæ alias additur, sicut, vers. 8. habuimus) *dicentes ligno, pater meus es, & lapidi, tu genuisti me.* (idolo adscribentes, quod vero Deo competit, & ita *lapidi* & *ligno*, cum nihil aliud sint:) 2. *rationem* exponant similitudinis, seu demonstrationem pudoris ex propria confessione tempore adflictionis, his verbis vers. 27. *quia verterunt ad me cervicem & non faciem, & in tempore mali eorum dicent*, vel dicere solebant, *surge* & *serva nos.* h. e. quam verum sit, quod dixerim, Israelem esse sæpe instar furis deprehensi pudefactum in

cal-

cultu idololatrico & prostitutum, vel inde manifestum est, quod cum mihi cervicem obverterint, & me deseruerint, ad me tamen tempore adflictionis confugerint, ut eos servarem; eo ipso vanitatem idololatriæ clare & cum ignominia propria confessi.

§. XLII. 1. Cum Deus in proxime præcedente convictione indicasset, populum, non obstante continua pudefactione, semper ad idololatriam rediisse; subjungit eandem prostitutionem deinceps redituram, cum ultima populi pernicie; adeoque eum non cum Deo, quem respuerant, sed cum idolis, quæ sibi elegerant numina tutelaria, expostulare debere, vers. 28, 29. *Et ubi Dii tui, quos fecisti Tibi? surgant, si servabunt te tempore calamitatis tuæ, quia numerus urbium tuarum sunt Dii tui, Juda. Quid contenditis mecum? omnes vos defecistis a me, dictum Jehovæ.* Omnia sunt facilia, & eo, quo dixi, tendunt. Not. tantum 1. verba, *si servabunt te*, vel per modum ironiæ insultatoriæ capi posse, ut אם vertatur *profecto surgant, profecto servabunt te, quia* in singulis urbibus præsto sunt. Quem usum sæpe habet אם: vel per modum fortissimæ negationis, de juramento quid trahentis, uti אם frequenter per ellipsin, sic & sic fiat &c: *si hoc* contingat: quando כי *quia numerus urbium tuarum* &c: erit pro *quamvis*, uti sæpe alias: quamvis tot habeatis Deos, quot urbes, *si servent te* &c: 2. Verba, vers. 29. esse elliptica, hoc modo supplenda, *quare litigabitis mecum, a quo defecistis?* quod non servabimini die mali, *litigate* cum numinibus vestris tutelaribus, quæ elegistis; quid mecum expostulatis, cum quo vobis nihil rei est, facite hoc cum *idolis*, quibus confiditis.

§. XLIII. *Quinta* pars continet expostulatoriam convictionem de obstinatione, ingratitudine, indecentia & vanitate, ac insipientia populi, per varios articulos institutam; vers. 30 ad c. III: 1. 1. *Primus* offert pervicaciam populi, sese castigari ac emendari non passi, sed contra insurgentis & prophetas occidentis, vers. 30. *In vanum percussi filios ve-*

stros, disciplinam coercentem non receperunt: absumsit gladius vester prophetas vestros, instar leonis vastatoris. h. e. cives & posteros vestros emendaturus variis plagis adfeci, & per prophetas castigavi; sed tantum abest, ut meliores facti sint, ut & vos prophetas occideritis, haud secus ac *leo vastator* in eos grassati. Quod temporibus præcedentibus sæpe fuisse factum, constat. 2. *Secundus* articulus indecentiam & ingratitudinem populi, in genere considerati, per omnia tempora, complectitur, oratione convictoria ad ipsam ætatem, nunc viventem, versa, ut ipsa, re probe considerata, de eo judicium ferat, ad Dei justificationem, vers. 31, 32. *o ætas! vos videte verbum Jehovae. An desertum fui Israeli? an terra densae caliginis & defecta? quare dixerunt, populus meus, ultro citroque vagabimur, nec ad te amplius veniemus. An obliviscetur virgo ornatus sui? an sponsa zonarum suarum? at populus meus oblitus est mei diebus innumeris.* Adloquitur nunc directe homines suæ ætatis propheta, eo scopo, ut de majorum suorum insania & ingratitudine ipsi judicent, & ita meliora discant, quo pertinet præfatio, *ô ætas! vos videte verbum Jehovæ*: sic enim verba vertenda sunt, uti recte nonnulli observarunt; licet alii aliter & varie instituant. Emphasin præterea habere videtur vox absolute posita דור *ô ætas*, seu *generatio*, genus hominum, ut γενεά: proprie dicit *circumvolutionem* quandam ætatum, & hominum in una ætate viventium, a propria *gyrandi* & *circumeundi* potestate, Vid. Schultens *a*, post Bochartum *b*. Sed *generatio* seu *ætas* est emphatice in malum sumta, ætas *prava & adulterina*; uti in Euangeliis nonnunquam, vel & *ætas* ultima, quacum peribit *respublica*. Nec sine ratione dixit propheta, *videte vos* ipsi, licet talis sitis ætas, *videte verbum Jehovæ*; h. e. acri oculo intuemini causam Jehovæ, ejusque disceptationem, & sanum ferte judicium. Verbum ראה proprie *vibrationem radiantem* signat, & acrem dicit, ac splendentem, intuitum. Vox דבר hic usum forensem, uti ali-

a ad Florileg. p. 184. *b* H. p. II. p. 712.

ubi Pf. CXII: 5. & verbum דין sæpius, exferit, & actionem judicialem seu controversiam judiciariam denotat. Quod huc egregie & unice quadrat. Proponitur autem *duplex* quæstio, vel eadem duplici forma; altera, verf. 31. his verbis: *an desertum fui Israeli? an terra densa caliginis? quare dixerunt, populus meus, ultro citroque vagabimur, nec ad Te amplius veniemus.* h. e. judicate vos ipsi, num me patribus præstiterim omni auxilio & sustentatione orbum, sterilem & consumtum, cui nihil boni, nihil opis, supererat? nonne contrarium, & omnis boni largitorem, omnis prosperitatis ac lucis autorem ipsis exhibui? quid ergo eos movit, præter vesanam & obstinatam indolem, ad jugum meum excutiendum, ultro citroque ad pabulum quærendum discursandum, mihique plane renunciandum? Interpretum observationibus nihil habeo, quod addam, præter hæc duo: 1. terram מאפליה non esse simpliciter densa caligine obscuratam, ut verf. 6. *umbra mortis*, dicitur, sed & omni vi ac vigore defectam, quæ nihil habet boni, nihil commodi. Usurpatur enim apud Arab. in *lacte deficiente* & *exhausto in uberibus*, unde transfertur ad vires exhaustas, & sic ad *occasum* solis, tanquam viribus exhaustis, ex opinione vulgi, deficientis: respondet Gr. φθινὴν. Vid. Schultens *a*. Vocem esse ex nomine Dei יה compositam, ad augendam vim, fatis quidem tritum est, sed minus verum, cum sit a specie אפל cum ה heemant. Vid. D. Waenen *b*. 2. Verbum רוד, unde נרד, proprie signat *ultro citroque movit*, unde nata est notio *pabulandi*, & quaquaversum pabuli causa vagandi, nec non *desiderandi*, quo quis magno desiderio, animum quaquaversum movente, & quasi trepido discursu aliquid ambit. Vid. Schultens *c*, nec non Lette *d*, inprimis Cl. Schroeder *e*. Complectitur itaque ambitu suo 1. animum irrequietum, & jugi impatientem, sefeque ad illud excutiendum moventem, ut Gen. XXVII: 4.

2. ani-

a ad Job. III: 6. *b* in Disp. fub Schult. p. 58. *c* ad Har. conss. I. p. 6. II. p. 56. IV. p. 57. *d* in fymb. lit. Iken. §. III. p. 574. *e* Obf. ad Orig. Heb. c. I. p. 9.

2. animum cupiditatibus agitatum, & quaquaversum ad eas explendas sese vertentem; in primis ad *pabulum*, seu bona terrestria, quærendum. Quæ quam apte huc quadrent, facile perspicitur. Altera quæstio est, vers. 32. *an obliviscetur virgo ornatus sui, an sponsa zonarum suarum? at populus meus oblitus est mei diebus innumeris.* h. e. cum ego majori sim longe ornamento populo Israelis, & ornaverim quoque ipsum lege & multiplici gloria ac prosperitate; multo indignius & incredibilius judicari a vobis, ô ætas! debebit, me a populo meo tradi oblivioni, & deseri, quam quod virgo ornatum, & sponsa zonam, quam pretiosissimam, quæ sponsam constituit & ornat, abjiciat. Nihil hic difficilis; quare tantum observetur; voce קשרים *cingulum* vel *zonam* designari, a rad. קשר, quæ *ligandi* & *constringendi* habet potestatem a. Ceterum *oblivisci* est non solum deserere, sed animo abalienato & in perpetuum id facere, instar rei, quæ memoria plane excidit.

§. XLIV. 3. *Tertius* articulus convictionem *hypocrisios* comprehendit, qua sub fucata specie quævis mala facinora patrabant, & se per ipsam illam reformationis speciem in peccatis obfirmabant, illi ipsi, qui a Deo citati erant ad insipientiam majorum inspiciendam, & condemnandam, vers. 33, 34. *Quam pulchram facies viam tuam, ad quærendum amorem: ad firmandum etiam mala instimulasti vias tuas, Etiam in alis tuis inventus est sanguis animarum egenorum innocentium; non in perfossione inveni eos.* Prior pars, vers. 33. exponit, ex mea opinione, speciosam faciem, quam populus sibi formare conabatur sub Josia per reformationem cultus publici, quæ inceperat, sed nondum perfecta erat, quare fut. temp. etiam utitur propheta; dicens: *quam pulchram facies viam tuam ad quærendum amorem*, κατ' ἐξοχὴν sic dictum, adeoque Dei, mariti & sponsi, a quo defecerant, & ad quem nunc redire conabantur; ut est vers. 35. & c. III: 4, 5. unde nostra hypo-

a Vid. Schroeder ad Jes. III. c. 9.

pothesis egregie firmatur, sumitur vero טוב & יטב subinde pro pulchro & venusto. Reliquæ partes versuum eo tendunt, ut corrupta indoles & pravitas, sub speciosa illa facie latens, in lucem proferatur; quæ tantum abest ut ablata sit, ut confirmata potius: sic enim pergit propheta, *ad confirmandum etiam pravitates docuisti vias tuas;* h. e. interea, dum vias tuas nitidas facis ad amorem quærendum, vias etiam tuas instruis ad *malitias* confirmandum; licentiam peccandi, & scelera patrandi, eo ipso tibi comparatam esse, censens. Vid. c. III: 5. Not. 1. לכן non esse *propterea*, quod huc minus quadrat, sed pro להכין ad *confirmandum*, uti Zach. XI: 7. ubi vid. Coccejus, & in Lex. 2. Vocem הרעות vel in genere *pravitates*, vel *vias malas* significare; ut & c. III: 5. 3. *Docere vias* est, se & alios in suis institutis obfirmare, & instruere, nec non instimulare. Addit specimen corruptissimæ indolis in sanguine innocuo effundendo, non obstante speciosa religionis facie, quam præferebant sub Josia, vers. 34. quemadmodum Jes. I. eos sub Hizkia, reformationem quoque similem instituente, *sanguinis innocui* effusi reos egit, dicens vers. 15. *etiam cum multiplicaveritis preces non exaudio vos: manus vestræ sunt sanguinibus plenæ.* Uno alterove defungar observato. 1. verba, *non in perfossione inveni eos*, sicut ad innocentes, modo memoratos, nullius criminis reos, omnino pertinent, uti facile cernitur, ita forma verbi, מצאתים, de ambiguo quid trahit, cum verti possit, & *inveni eos*, & *invenisti eos:* quod ab Interpretibus non est neglectum, sed utrumque hic admitti potest, ut sensus sit, *nec ego inveni, nec vos invenistis eos reos.* Vox *in perfossione* nos cum ad perfidiam in genere, adeoque crimen capitale, qualecunque commissum contra legem, *perfidiæ* nomine sæpe insignitum, tum ad *furtum* nocturnum ducit, in perfossione ædium, ut est Exod. XXII 2. quo Interpretes aliqui inclinant. Sed utrumque conjungi potest, ut sensus sit amplior. Verbum חתר in origine habet *cavitatem laxatam & luxatam*, unde ad *perfidiam* & *deceptionem* apud Arab.

etiam transfertur, cum perfidus sit intus totus *cavus*, Gr. χαῦνος: unde quoque *perfodiendi* usus fluxit, quo cavitas *laxa* & hians efficitur. 2. Ultima verba, *quia super omnibus istis*, uti verbi debent, & non *apud aut super omnem quercum*, quod nullum sensum tolerabilem fundit, nec punctaturæ convenit, ab Interpretibus expediri non potuerunt, quod non observarint, ea ad seq., & non præced., pertinere, prava versuum distinctione decepti. Cum seq. optime cohærent, & facile exponuntur, hac ratione; *quia super omnibus istis & dixisti* &c. quia, non obstantibus omnibus istis, adhuc dixisti, *purus sum, ecce me tecum disceptantem* &c: de quo mox. Vocula על haud infrequenter, & eleganter dicit, *non obstante, quantumvis*. Vid. Schultens *a*. Ceterum, quod 3. notetur, ad prophetarum & aliorum nunciorum Dei cædes hic non respicitur, quod Interpretes volunt, sed in genere ad innocentium qualescunque oppressiones: & *tenuium neces*, ut ipsæ voces indicant: nec ullum est indicium aliorum, seu prophetarum &c.

§. XLV. 4. *Quartus* articulus *judicium* Dei repræsentat in populum hypocriticum pronunciandum & exsequendum, quod in mediis sceleribus se propter speciem religionis putet innocentem, & ab ira Dei liberatum, vers. 35. *Quia super his omnibus etiam dixisti, profecto* (hic enim est usus כי hoc loco, ut sæpe alias) *mundus sum, certe aversa est ira ejus a me: ecce me judicantem te, propterea quod dicas, non peccavi*, aut reus sum. In quibus cuncta plana sunt; quare nihil observo. 5. *Quintus* articulus reprehensionem populi in lubricando in viis suis, modo ad Assyrios, modo ad Aegyptios, auxilii causa confugiendo ad propriam perniciem semper, comprehendit, vers. 36, 37. *Quid lubricas valde mutando vias tuas? etiam ab Aegyptiis pudore adficieris, sicut pudore adfecta es ab Assyriis. Etiam hinc egredieris cum manibus tuis super caput tuum, quia exulcerata anima est*

a ad Job. x 7 Vid. etiam Diss. nostr. ad Dan. VIII: 25: & comm. ad Ps. XXXI: 24.

est Jehova in tuas securitates summas, nec prosperabis in iis. Cuncta sunt plana, & eventu comprobata. Antea Assyriis fiderant, sed nihil nisi damni inde retulerant, nunc *Aegyptiis* contra Babylonios fidebant, sed nihil inde auxilii reportarunt, e contra animosi hoc subsidio facti rebellarunt contra *Babylonios*, & destructi sunt. Tantum notetur emphasis verbi אזל, unde est אזלי, in *lubricitate* & *lubrico* originariam sedem habentis; unde *lubricare* & *lubricando* dilabi *. Sensus ergo est, quam in cassum laboras, & lubricam inisstis viam, nunc huc nunc illuc te movendo, & dilabendo, sine ullo judicio, praecipitanter!

CAP. III.

§. XLVI. 6. *Sextus* articulus continet adhortationem; cum promisso tacito conjunctam, ad resipiscentiam; opposite ad id, quod inter homines fieri fas sit, vers. 1. *dicendo: ecce si dimittat vir uxorem suam, & ipsa ab ipso discesserit; & alterius viri facta sit, num ad illam redibit? Nonne labasceret valde terra haec? & tu scortata es cum amasiis multis, & revertere ad me, dictum Jehova.* Comparatio instituitur cum eo, quod inter homines fieri non solet, nec fas est, ut uxor a viro repudiata, vel eum deserens, si alteri nupserit, a priore marito recipiatur, ut est Deut. XXIV: 1. Cui consuetudini, & legi, opponit Deus suum propositum, quo paratus est recipere populum, licet a se non dimissum, sed per adulterium deficientem a Deo, quod gravius adhuc erat, modo ad se redeat per resipiscentiam veram. Quae summa erat Dei benignitas & misericordia, ad populum movendum apta valde. Omnia satis expedita sunt, quare paucis defungi potero. 1. Turbat vehementer illud abruptum, לאמר *dicendo*, quod seorsim stat; adeoque quo referendum sit, & quid sibi velit? vix constat. Mihi alterutrum videtur statuendum, vel cohaerere cum proxime praeced., vel

* Vid. Schultens ad Prov. XX: 14.

cum fini verſ. noſtri eſſe connectendum, cum illo, *dictum Jehovæ.* Priore ratione oratio ita cohæret, ſeu concinnanda eſt: *quia ſpernit Jehova tua perfugia, illud, non proſperabis iis, dicendo.* Poſteriore ratione erit; ad illud, quod dicitur, *ſi dimiſerit* &c: *dictum Jehovæ* eſt, & *tu ſcortata tamen redi ad me:* ſive לאמר abſolute ſit pro *dum dicitur*, vid. Coccejus, ſive officium dicat ל, ut alibi, & ſenſus ſit, *oportet dicere*, dicendum eſt a. Forte nihil eſt aptius, quam verbum אמר hic eſſe omiſſum & ſupplendum, ut plene ſit, *dicunt dicendo* &c: pro, vulgo dicitur, & pro rato habetur, uxorem dimiſſam, alteri nuptam, reaſſumi non debere, cum terra ceteroquin labaſceret. Cui Deus regerit, populum adulterum ad ſe redire poſſe. Simile plane omiſſionis eſt exemplum Jud. XVI: 2. *Gazæis dicendo*, pro, *dixerunt Gazæis dicendo.* 2. Notetur, ultima verba, *revertere ad me*, ſimul involvere promiſſum de acceptando populo ad Deum redeunte, *redi ad me*, & *recipiam te*, vel *redi ad me*, ut ego *ad Te redeo*, quemadmodum in comparatione; *an vir ad eam redibit*. 3. Verbum חנף non eſt *polluere*, ſed *labaſcere*, *nutare*; proprie dicit *contortum pedem, loripedem, inde nutare, vacillare*: ſenſus eſt, remp., in qua illud permitteretur, ſtare recte non poſſe. 4. Poſt זנית deficit את, propter ſimilitudinem litterarum præced., conſtructione exigente. Verti enim debet, *ſcortata es* cum *amaſiis*, adeoque plene eſt את רעים.

§. XLVII. *Sexta* & ultima pars, per modum concluſionis, repræſentat *cum* univerſalem populi idololatriam, *tum* obfirmationem in ea, nec judiciis Dei, nec auctoritate & reformatione tollendam, verſ. 2--5. Cujus pericopæ duæ partes ſunt: quarum *prior* idololatriam proponit, & populum de ea convincit, verſ. 2. *Tolle oculos tuos ad loca prominentia, & vide ubi non conſtuprata fueris: juxta vias ſediſti ipſis; inſtar Arabis in deſerto, & nutare feciſti terram ſcortationibus tuis, & malitia tua.* In quibus nihil eſt difficilis, niſi in comparatione populi ſcortantis, & in viis ſedentis ad ſcor-

a Vid. Schult. ad Prov. XXII: 16.

scortandum, cum *Arabe in deserto.* Interpretes vel ad Arabes insidiatores, in obvios quoscunque irruentes, vel ad eos *negotiantes* cum transeuntibus, respicere solent; nec aliud mihi suppetit melius. Posset tamen addi *libera* vagatio populi, nullius jugum ferentis, quod Arabum est proprium in deserto. Vid. c. II: 24. *Posterior* pars ad *contumaciam* obstinatam pertinet, nec *judiciis*, nec aliis modis superandam; vers. 3-5. *Et inhibiti sunt imbres, nec pluvia serotina fuit, & frons meretricis fuit tibi fixa, recusasti pudore frangi. Nonne ab hoc tempore vocasti mihi; pater meus mihi, dux adolescentiæ meæ tu es. Num acri oculo intuebitur in æternum? num servabit iram in purum putum? ecce dixisti mihi, & fecisti mala, & prævaluisti.* De judiciis agitur vers. 3. de mediis tunc sub Josia frustra adhibitis vers. 4, 5. Qui duo versus cohærent, & eo tendunt, ut enitescat, populum, dum hoc tempore Deum patrem suum, & ducem juventutis, vocaverit & invocaverit, sibique promiserit, Deum non in perpetuum iram servaturum, sed eam depositurum, hoc non obstante, non meliorem, sed pejorem esse factum. Quem sensum recte nonnulli viderunt, ut *Schmidius.* Respicitur ad reformationem Josiæ, & frustraneum ejus effectum. Nihil admodum habeo, quod addam; nisi unum alterumve. 1. Sermo vers. 5. a secunda persona ad tertiam de Deo vertitur, quia subintelligitur *dixisti*, quod mox subjungitur. 2. Verba, *& dixisti, & fecisti mala, & prævaluisti,* hunc fundunt sensum; *dixisti* hæc ad meam gratiam ambiendam, *an in æternum observabit?* & tamen eodem tempore *fecisti* mala magno cum impetu. Quæ summa est impudentia & hypocrisis, ac obstinatissimi animi indicium. *Facere malum & prævalere* est sine ullo obstaculo, ulla repugnantia, effectui dare. Emphasi non carent verba נטר & שמר secum juncta; *prius* enim proprie dicit, *acriter intueri*, oculo ad scopum intenso, & usu suo involvit, *vindictæ* cupiditatem, nec non oculum occasionem captantem eam ex-

plendi [a], *posterius* שמר absolute aliquando significat *iram servare*, sine ulla condenatione, uti Am. I: 11. Ps. cxxx: 3. Job. x: 14. & alibi. Ceterum non erat negligenda emphasis in verbo *dicere*, qua dicit *ambire* gratiam & amicitiam, uti sæpe alias [b].

CONCIO SECUNDA.

PRIMA PARS.

Cap. III, IV: 1, 2.

6. *Dixit Jehova mihi temporibus Josiæ regis. Vidistine, quid fecit aversa Israel? abiit illa ad super omnem montem, & ad sub omni arbore patula, & scortata est ibi.*

7. *Et dixi, postquam omnia ista fecerat, ad me redibit, sed non est reversa. Et vidit hoc perfida soror ejus Juda,*

8. *& vidi, quod propter omnia illa, quibus moechata est aversa Israel, dimisi illam, ipsique libellum repudii ejus dedi, nec timuit perfida soror ejus Juda, abiitque, ac scortata est etiam ipsa.*

9. *Et factum est, ut præ voce scortationis ejus nutare fecerit terram hanc; etenim adulterata est cum lapide & ligno.*

10. *Nec tamen propter hoc omne rediit ad me perfida ejus soror Juda toto corde suo, sed fucate: inspiratum Jehovæ.*

11. *Et dixit Jehova mihi; justificavit se ipsam aversa Israel præ perfida Juda.*

12. *Ito*

[a] Vid. Schultens ad Job. xvi: 12. & Rev. Hackman. in præcid. §. ad Lev. xix: 18. [b] Ps. cxx: 7. cxxii: 8. Jes. xix: 18. & alibi.

12. *Ito & proclama verba hæc septentrionem versus, & dicito: redi aversa Israel, inspiratum Jehovæ, faciem meam apud, vel in, vos cadere non faciam, quia benignus ego, inspiratum Jehovæ, non observabo in æternum.*

13. *Tantummodo agnosce iniquitatem tuam, quia in Jehovam Deum tuum rebellis fuisti, & dispersisti ad peregrinos vias tuas sub omni arbore patula, nec vocem meam audivistis: inspiratum Jehovæ.*

14. *Revertimini filii aversi, dictum Jehovæ, quia ego tursi in vos. Et sumsi vos, unum ex urbe, duos e familia, & adduxi vos Tsionem,*

15. *Et dedi vobis pastores secundum cor meum, vosque scienter & prudenter pascunt ac prospere.*

16. *Et cum aucti fueritis, & fructum feceritis in terra, illis diebus, inspiratum Jehovæ, non dicent amplius, arca foederis Jehovæ, nec adscendet in animum, & non recordabuntur ejus, nec visitabunt eam, nec fiet amplius.*

17 *Eo tempore adpellabunt Hierosolymam thronum Jehovæ, & confluent ad eam omnes gentes, ad nomen Jehovæ Hierosolymis, nec incedent amplius post umbilicationem*. vel insitam corruptionem, *cordis eorum mali.*

18. *Diebus illis ibunt domus Judæ ad domum Israelis, venientque uniter e terra Septentrionali in terram hanc, quam hæreditario jure dedi Patribus vestris.*

19. *Et ego dixi: quomodo ponam te in filiis? tibique dabo terram desiderii, hæreditatem decoris exercituum Gentium? at dixi; Pater mi! inclamabitis mihi, neque a post me recedetis.*

20. *Pro*

20. *Profecto sicut perfide egit uxor a socio suo* defici-
ens, *ita perfide in me egistis, domus Israel! inspira-
tum Jehovæ.*
21. *Vox in locis editis audita est, fletus stridularum
implorationum filiorum Israel, quod intorserint viam
suam, obliti sint Jehovæ Dei sui.*
22. *Revertimini filii aversi, sanabo aversiones
vestras. Ecce nos! venimus Tibi: quia Tu Jeho-
va Deus noster* es.
23. *Certissime purus fucus ex collibus*, vel colles; *ver-
tigo æstuans montes: certissime in Jehova Deo nostro
salus Israelis.*
24. *Pudendum* idolum *absumsit laborem Patrum nos-
trorum a pueritia nostra, greges & armenta eorum,
filios & filias eorum.*
25. *Decumbimus in perplexitate nostra, & operit nos
ignominia nostra; quia in Jehovam Deum nostrum
peccavimus, nos & patres nostri a pueritia nostra,
& ad hunc diem usque, nec audivimus vocem Je-
hovæ Dei nostri.*

CAP. IV, 1, 2.

1. *Si reversurus sis Israel, inspiratum Jehovæ, ad
me reverteris; & si removeris abominationes tuas a
facie mea, & non nutabis.*
2. *Et jurabis, vivat Jehova! in veritate, judicio
& justitia, & benedicent sibi in eo gentes, & glo-
riabuntur in eo.*

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Secunda concio sese a verſ. 6to. porrigit ad finem cap. VI., uti recte obſervarunt Junius & Tremellius, cujus certum eſt indicium, *cum* in *titulo*, hic & cap. VII. occurrente, quo concionis tempus notatur, *tum* in manifeſta omnium partium a verſ. 6to ad fin. c. VI. cohærentia, & orationis tenore, ſine ullo interſtititio ac novæ concionis ſigno decurrente. Habita vero eſt in principio reformationis Joſiæ, jam in medio populi cum autoritate introductæ, & obtinentis, haud diu poſt præcedentem concionem: nova enim inſcriptio docet, hanc ſuperiore eſſe poſteriorem; ſed cum in genere habeat, *in diebus Joſia*, probabile eſt haud diu poſt fuiſſe habitam; cum, populum, per reformationem ſpiritus ſumſiſſe, nec tamen multo meliorem fuiſſe factum, adparuiſſet Quod in hac concione indicatur, & *occaſionem* ejus dedit, quæ tota eſt *convictoria*, *adhortatoria*, & *reprehenſoria*, eoque tendit, ut populus a vana opinione, ex reformatione *Joſia* hauſta, de ſtatu ſuo Deo placente abſtraheretur, de peccatis & judicio Dei imminente convinceretur, & ad veram poenitentiam ac emendationem excitaretur.

§. XLIX. In *prima* concionis parte, hoc capite comprehenſa & duobus primis verſibus cap. ſequentis, Judæ, adhuc ſuperſtiti in terra ſua, ob oculos ponitur exemplum *Iſraelis*, ob peccata jam a Deo repudiati, & in exilium abducti, ſed per reſipiſcentiam ſuo tempore cum Juda reſtituendi, adeoque partim in defectione & repudiatione ejus præterita, partim in converſione ac inſtauratione ejus futura, ut Juda ex ſtatu Iſraelis præterito ſortem ſuam miſeram diſceret, cum pejorem ſe & minus excuſabilem Iſraele præſtiterit, ex ſtatu vero futuro Dei benignitatem ſuper populo reſipiſcente colligeret; & utroque illo ſtatu excitaretur ad reſipiſcentiam, ut mala ſua, alias inevitabilia, averteret, ſimul pii ex reſtitutionis promiſſo conſolationem perciperent; & ſpe inſtaurationis totius populi erigerentur ac corroborarentur.

Sunt itaque partes hujus concionis *tres*, quarum 1. *prima* exemplum Israelis deficientis & abjecti a Deo continet, vers. 6--11. 2. *Secunda* conversionem ac restitutionem Israelis, quam Juda quoque participaret, vers. 12-25. 3. *tertia* Israelem de *modo* veræ conversionis instruit, simul adhortatur, c. IV: 1. 2.

§. L. 1. *Prima* pars his verbis exhibetur, vers. 6--11. *Dixit Jehova mihi temporibus Josiæ regis. Vidistine, quid fecit aversa Israel? abiit illa ad super omnem montem, & ad sub omni arbore patula, & scortata est ibi. Et dixi, postquam omnia ista fecerat, ad me redibit, sed non est reversa. Et vidit hoc perfida soror ejus Juda, & vidi, quod propter omnia illa, quibus moechata est aversa Israel, dimisi illam, ipsique libellum repudii ejus dedi, nec timuit perfida soror ejus Juda, abiitque, ac scortata est etiam ipsa. Et factum est, ut præ voce scortationis ejus mutare fecerit terram hanc; etenim adulterata est cum lapide & ligno. Nec tamen propter hoc omne rediit ad me perfida ejus soror Juda toto corde suo, sed fucate: inspiratum Jehovæ. Et dixit Jehova mihi; justificavit se ipsam aversa Israel præ perfida Juda.* Instituitur inter Israelem & Judam sub emblemate duarum sororum, & unius viri, seu Dei, uxorum adulterarum, comparatio, eo scopo, ut, *Judam* gravius & inexcusabilius peccasse quam Israelem, adpareat, ut vers. 11. habetur. *Sorores* propter unam eandemque stirpem, unde uterque populus fuit, & arctam ad se invicem relationem, adpellantur; *duæ* uxores Dei propter foedus Sinaiticum, quo Deo erant conjuncti, & ad obsequium ac fidelitatem obligati: utraque vero erat *adultera* propter idololatriam, & foederis violationem: sed Israel adpellatur uxor *aversa*, Juda vero *perfida*; quia Israel non tantum *religionis*, sed & regni ac civitatis respectu, adeoque palam, erat a Deo alienata; *Juda* vero Deo, & sedi regni ac religionis adfixa, sed nihilominus a Deo & cultu ejus defecerat, & sub externa specie populi Dei foedus ejus fregerat, quo ipso gravius peccaverat.

rat. Præterea *Israel* prævaricat, & monita Dei spreverat, ac a Deo repudiatus erat, absque ut Juda hoc exemplo fuerit a foedere rumpendo absterritus: quod deploratam & obstinatam ejus indolem clare significabat, & magis adhuc reum & abjectione dignum demonstrabat. Restat, nonnullis observatis orationem, quæ parum difficultatis habet, illustremus.

§. LI. 1. Particula ה in הראית vers. 6. non est *interrogationis* simpliciter, sed & *adfirmationis*, ut sæpe alias; adeoque eleganter & emphatice interrogat, ut simul adseveret, hoc sensu: *vidistine*, imo profecto *vidisti*. Ceterum *videre* hic est in genere certo intelligere, ac scire, haud secus ac *oculis* hausisset Propheta; non enim ipse Israelem in eo statu viderat, diu antea ejectum & in exilium abductum. 2. Aliam emphasin habet hoc verbum, ubi de Juda dicitur, vers. 7: *& vidit hoc* perfida soror ejus Juda: involvit enim delectationem, adprobationem & imitationem; vel excludit emendationem. *Vidit* Juda, nec melior facta est: uti mox explicatius traditur: sed *defectionem* non tantum, & contumaciam ejus, verum & poenam, tanquam objectum, comprehendit; ut sit, *vidit* defectionem Israelis Juda, contra omnia media conversionis pertinacem; sed *vidit* simul abjectionem Israelis, inde ortam, quemadmodum ex seq. patet. 3. Videri posset tenor sermonis requirere, ut vers. 8. sequeretur ותראי & *vidis*, uti vers. 7., quoque Israelem propterea a me repudiatum &c, *& non timuit*; quemadmodum Gr. & Syr. etiam verterunt; sed loco ejus dixit Deus, *& vidi*, ut Judam hoc non tantum, sed & Deum ipsum *vidisse*, quod Juda non fuerit melior, exemplo Israelis, factus, & absterritus a peccando, indicaretur. Nihil itaque in textu Hebr. mutandum est; sed posset hoc exemplo augeri catalogus *tikkun sopherim correctionum scribarum*, quæ nihil aliud sunt, quam notæ scribarum, stylum alio vertere, quam tenor sermonis requirere videbatur. Ceterum, cohæret illud, *& vidi*, cum verbis, & *non timuit Juda*, illud enim est, quod Deus viderat. 4. Cum

verſ. 8. in fin. habetur, Judam, licet Iſraelem viderit repudiatum a Deo, *non timuiſſe*, ſed *ſcortatum eſſe*, intelligitur ejus contumacia, nec non ſummus ejus gradus; uti ſub Manaſſe contigit: *ſcortata eſt etiam ipſa*, dicit, ſcortata eſt incorrigibiliter & ſummopere; inſtar Iſraelis non tantum, ſed ſupra etiam. 5. Vox מקול *præ voce* verſ. 9. quid ſibi velit, vix expediri potuit; & in diverſa abeunt Interpretes. Videtur מ hic exſerere vim comparationis, & ſignificari *præ*, vel *magis quam*, uti ſæpe alias; ſive קל ſit pro קול, & vocem ſonoram, aut famam, exprimat, ſive ſit a קלל & *celeritatem*, ut Maſora voluit, ſignificet; ut ſenſus ſit, vel *fuit ſcortatio ejus* præ ipſa *levitate* ac celeritate, levior ac celerior ipſa levitate, plusquam *levis*; vel fuit ſcortatio ejus præ ipſo vel graviſſimo *ſono*; plusquam ſonora & clamoſa; plusquam fama tulit, aut dici ac exclamari poteſt. Schmidius vero conſtruit cum *ſcortatione ejus*, & refert ad Iſraelem, ut ſit; & fuit, ſcilicet *ſcortatio* Judæ, *præ fama ſcortationis ejus*, Iſraelis. Nihil horum ſe tueri poteſt. Præterquam quod nihil ad rem faciat, aut emphaſin habeat, קל aliam ac *vocis* ſignificationem hic non fert, nec abſolute ac ſeorſim ſumi poteſt, ſed cum זנותה *ſcortatione ejus* conſtrui debet, ut ſit *vox ſcortationis* ejus; זנותה *ſcortatio ejus* vero nec cum ויהי *fuit*, vetante genere maſc. & fœm., conjungi, nec ויהי alium admittit ſignificatum, ac qui vulgatus eſt, quo dicit, *factum eſt*. Denique ratio oportet his verbis detur, quare terra fuerit labefactata, ita ut *nutaverit*: id enim חנף denotat, & non *profanata eſt*, uti ſupra vidimus, adeoque מ in מקל non comparationi inſervit, ut ſit *præ*, *magis quam*, ſed, ut paſſim, cauſam vel rationem involvit, ut ſit *propter*. Verti itaque debent verba, ut feci, *& factum eſt*, *ut præ*, *vel propter vocem ſcortationis ejus quoque nutantem fecerit terram*, h. e. Juda per ſcortationem ſuam effecit, ut terra vacillaverit, & ad lapſum vel ruinam prona fuerit. Sicut ſub Manaſſe, quo hic reſpicitur, contigit, partim quod in manus regis Babelis vel Aſſyriæ inciderit, & rex captivus

vus abductus sit, triste excidii & exilii præsagium, partim quod sententia fori coelestis de ultimo hoc fato tum fuerit lata. Cum vero illa terræ nutatio *voci* scortationis ejus, tanquam causæ, adtribuatur, scortationem hic repræsentari tanquam *clamantem*, & vindictam supremi Judicis provocantem, haud difficulter cernitur. Scortationi itaque *vox* datur, ad indicandum, eam summum adtigisse gradum, & peccatum *clamans*, ut dicitur, factam esse. Quemadmodum *vox* sanguinis Abelis *clamasse* dicitur ad Deum, Gen. IV: 10. *lapis parietis clamare*, Hab. II: 11. peccata Sodomæ Gen. XVIII: 20. oppressio Israelis in Aegypto Ex. III: 7. mercenariorum fraudatio Jac. V: 4: ne alia adferam. Sensus ergo est, Judam nec exemplo Israelis absterritum, nec propria experientia nutantis reip. per scortationem jam clamantem, ad meliorem frugem redactum fuisse, adeo ut *per hoc omne*, ut sequitur, non fuerit ad *Deum reversus*.

§. LII. 1. In *secunda* parte *a*. sese offert adhortatio Prophetæ, nomine Dei Israeli in exilio facta, ad resipiscentiam, & conversionem ad Deum, addita adseveratione, eam frustra non futuram, quia Deum experirentur benignum & clementem, qui in æternum non servat iram; ne scilicet metu & desperatione absterrerentur, acsi a Deo penitus & in perpetuum essent abjecti; vers. 12, 13. *Ito & proclama verba hæc septentrionem versus, & dicito: redi aversa Israel, inspiratum Jehovæ, faciem meam apud, vel in, vos cadere non faciam, quia benignus ego, inspiratum Jehovæ, non observabo in æternum. Tantummodo agnosce iniquitatem tuam, quia in Jehovam Deum tuum rebellis fuisti, & dispersisti ad peregrinos vias tuas sub omni arbore patula, nec vocem meam audivistis: inspiratum Jehovæ.* Jubetur Propheta hæc verba proclamare *septentrionem* versus; non vero ad Israelem ire, & ibi proferre inter eos. Non enim *ire* jubetur ad septentrionem, sed ire & *proclamare* Aquilonem versus; ut Judæi hinc intelligerent, verba hæc ad Israelem spectare, & inde discerent, Israelem ob peccata esse repudiatum,

quæ & ipsi committebant, & per conversionem restitui posse; secus ac Judæi putabant, sibi, non obstantibus peccatis, æternum regnum Hierosolymis, ubi sedes regni & religionis erat, promittentes, & Israelem esse repudiatum propter defectionem a regno Judæ existimantes. Sed *proclamatio* versus septentrionem simul indicabat, verba hæc ad aures Israelis vel per nuncios, vel scripta, perventura esse: *septentrionem* vero versus id fieri, quia Israel in illis locis versabatur exul, in Assyria & Media, tunc temporis, notius est, quam ut monere necesse sit. Nihil in oratione est difficilis: quare duobus observatis defungar. 1. Phrasis, *non cadere faciam vultum meum super vobis*, ambigua est, & dupliciter capi potest, ut sensus sit, *vel* 1. vultum meum non cadere faciam in terram, a vobis avertendo, & serenitatem ejus auferendo, cum ad me vos converteritis; sed me vos benigne respicientem experiemini; uti mox additur, quia *benignus sum &c: vel* 2. vultum meum non sinam in vos, teli & fulminis instar, cadere & ruere, in *perpetuum*; vocibus *in æternum* ex fine versus intellectis. Utrumque phrasis, *cadere facere vultum*, admittit. *Priore* fere sensu Job. XXIX: 24. *neque lumen*, h. e. serenitatem, *vultus mei cadere facient*, met. a sole cadente, vel occidente, sumta. Sic *lumen vultus* pro *sereno* & *favoris* pleno Prov. XVI: 1, 5. Quod si hic admittatur, ut fecit Coccejus, ב in בכם idem erit, ac *apud* vos, *coram vobis*. Sed *posteriore* sensu vultus erit iratus, & *cadere* facere erit instar *teli*, vel fulminis, ut Jos. 11: 9. Jes. IX: 7. & alibi; quod constructioni cum ב est conjunctius & usitatius; & pluribus placet. Sed hoc sensu, vel in *æternum* intelligi debet, vel cum *conversione* connecti, ut sit, *convertite vos ad me*, *non amplius irascar* tunc, vultum iratum non amplius in vos ruere faciam; ut nunc sentitis: quando recte sequitur, quia benignus ego, nec *servabo in æternum*, scilicet iram; proprie, non *intuebor*, speculabor acrius, memoriam offensæ retinendo, & occasionem iræ effundendæ observando. De qua radicis נטר potestate

su-

supra monui. 2. *Dispergere vias ad alienos* est promiscuam ac variam exercere idololatriam, per varias incedere vias, & sparsim se prostituere; quod *defectioni a Deo* recte subjungitur, ut indicetur, Israelem, uno Deo & legitimo Domino penitus abdicato, non unum elegisse idolum dominum peregrinum & hostilem, sed variis se subjecisse; & *vias* ad idola sibi formasse varias, quibus incederet; quod hic eleganter & emphatice *dispergere vias* adpellatur.

§. LIII. ß. Urgetur dein, quæ *secunda* est pericopæ pars, exhortatio ad conversionem luculentis promissis restitutionis populi conversi in longe meliorem statum, quam antea fuerat, per gradus faciendæ; quæ *a.* per gradus proponitur, vers. 14-17. *b.* illustratur unius & alterius partis respectu, vers. 18, 19. *a.* In priore parte 1. præmittitur adhortatio conversionis ad Deum, qui eos repudiaverat, his verbis: *revertimini filii aversi, dicit Jehova, quia ego tursi in vos*, scilicet, ut iram meam avertatis, vel, *quamvis tursi in vos*; vocula enim כי haud infrequenter dicit *etsi, quamvis*, ut alibi *a* demonstravi. Sensus fere eodem redit, sive explices, *redite quia ego vos repudiavi*, non hostis, qui vos destruxit, & captivos tenet, sed ego id feci, non ergo illum, sed me debetis placare; me, qui placabilis quoque sim, nec servabo iram in æternum, ut modo dixerat Deus; sive reddas *quamvis repudiaverim vos*, redite ad me, & readsumam vos; ut mox sequitur. Patet itaque verbum בעל hic in malum sumi, & eandem vim exserere, quam c. XXXI: 32. In quam penetrari non potest, nisi interior potestas verbi recludatur: quam egregie exposuit Cl. Schultens *b*, ubi docuit ex origine valere, *tursit*, & inter alia transferri ad mentem, *tædio, fastidio* ac *aversatione*, tactam & suffusam, qua quem piget, pudet & poenitet alterius, in specie quum maritus præ isto adfectu uxorem fastidit & repudiat: adeo ut recte hic, *ego tursi in vos*, idem sit, ac *omnem zelotypiæ meæ æstum in vos* effudi, e sedibus expuli meis, & res vestras vobis habere jussi. Re-

a Diss. ad Gen. IX: 6. *b* ad Prov. XXX: 23.

Respicitur itaque ad verf. 8. Ceterum significatur, Deum non tantum abjecisse Israelem, cujus ipsum tædebat; sed & in totum & perpetuum repudiasse; *cum* regni & status in Cananæa respectu, *tum* etiam ipsius foederis antiqui, antea cum eo erecti: quod posterius cum eo commune haberet Juda, uti ex Jer. xxxi., & verf. 16. &c: hujus cap. manifestum est. Sed, hac repudiatione non obstante, Deus vult ut ad ipsum redeat, quia benignus est, & alio modo Israelem & totum populum instaurabit: ut mox declaratur.

§. LIV. 2 Promissa, post repudiationem populi, ejusque conversionem, in eum conferenda, ordine & gradatim recensentur verf. 14--17., ea ratione, ut nonnulla considerentur tanquam antecedentia, & prælusoria præcipui et summi boni, quod proprie intenditur, & ultimo loco exhibetur. Prioris generis sunt reductio nonnullorum ex populo Tsionem, bonorum ductorum restitutio, & populi multiplicatio: sed posterioris generis est novæ oeconomiæ introductio & veteris abolitio, verf. 16, 17. Cujus distinctionis, a qua verus pericopæ intellectus & conspectus dependet, indicia sunt. 1. Quod verf. 16. id ipsis verbis indicetur, quum dicitur, *eritque, quum aucti fueritis* & *fructus ediderítis in terra, diebus illis* &c: argumento, beneficia, ante memorata, habenda esse pro antecedentibus & signis præludentibus. Etsi enim *multiplicationis* tantum fiat mentio expressa, reliqua tamen bona, ante exposita, una comprehendi, tanquam jam tum repræsentata, dubium non est. 2. Quod differentia temporum, præt. & fut., quæ in verbis occurrit, hinc optime, aliunde non, explicari possit. Singulare enim est, quod Propheta verf. 14 & 15. verbis utatur præt. temp., *adsumsi*, *adduxi*, *dedi*; & mox verf. 16. fut. temp., *non dicent amplius* &c: cujus ratio inde optime petitur, quod bona verf. 14 & 15 jam fuerint collata, quum summum & præcipuum, verf. 16, 17. ipsis contingeret. Solet autem præt. temp., licet de futuro agatur, sæpe adhiberi, si jungatur cum fut., post exhibendo: sive præt. sæpe usurpatur loco

pra-

præteriti in re futura: quod sæpe observavi. Idem itaque est, acsi vocula כי, quæ vers. 16. expresse additur, & hic mente intelligatur, & vertantur verba: & *quum sumsi vos* &c. *non dicetis amplius* &c: 3. Quod *bona*, in hac pericopa occurrentia, manifeste ita cohæreant, ut vers. 14 & 15. memorata ad Israelem sub V. T., & vers 16 ac 17. sub N. T. referenda sint, illa ut antecedentia, hæc ut *præcipua*, quæ proxime intendit Propheta, ut explicatio docebit. Quæ distinctio beneficiorum robur quoque acquirit ex *fastidiosa* populi repudiatione, vers. 14., cui opponuntur. Ea enim cum totius oeconomiæ abolitionem involvat, ut supra observavi, ultimum & præcipuum bonum esse N. Oeconomiæ erectionem, vers. 16 & 17., manifestum est. 4. Hinc denique aptissime solvitur quæstio, quæ Interpretes divisit, pertineatne tota pericopa ad tempora Messiæ, nec ne? clarescit enim ex dictis, bona vers. 14 & 15, quippe antecedentia & prælusoria, ad V. T., sed vers. 16, & 17., tanquam præcipua, consequentia, ac ultima; ad N. T. respicere. Quod ipsa tractatio docebit.

§. LV. Antecedentia itaque beneficia, ordine & gradatim se secutura, sunt sequentia. *a*. Primum est reductio nonnullorum ex Israele Tsionem, vers. 14. *Et sumsi vos, unum ex urbe, duos ex familia, & adduxi vos Tsionem.* Pertinent verba sine dubio ad liberationem Israelitarum, seu decem tribuum, ab exilio, & primum gradum restitutionis eorum opposite ad *repudium*, modo memoratum, continent, in eo situm, quod repudium non ex toto, sed parte tantum sit tollendum, rep. Israelis non restituenda, nec populo toto reducendo, verum paucis tantum ex populo, iisque cum Tsione conjungendis, metropoli regni Judæ, & sede veræ religionis. Repudiaverat Deus Israelem, a regno & religione Dei aversum, & qua talem rejecerat in perpetuum; versabatur Israel in exilio regno destitutus, & ad paucitatem redactus, ita ut unus ex urbe, duo ex familia tantum restarent; sed, hoc non obstante, restitueret populum, non uni-

versum, sed singulos & paucos, nec ad regnum proprium, sed Judæ, & Tsioni, adgregarentur, ejusque regno & religioni subjecti. Hic amplissimus & valde emphaticus est verborum sensus, quem Interpretes per omnia non sunt adsecuti. Dicit Deus *a.* se sumturum populum Israeliticum, sed *unum urbe, duos ex familia*, non ex *urbe*, in qua nunc versabantur, sed unde oriundi erant, & ubi in Cananæa habitaverant, uti ex *familia* commemoratione quoque confirmatur, & a Schmidio recte est observatum: *urbem* vero & *familiam* ubi memorat propheta, *duos* vero familiæ, *unum* urbi adtribuat, *familia* nomine intelligi majorem, seu tribum, seu magnam ejus partem, manifestum est, & a nonnullis recte adversum. Sed quid sibi volunt hæc verba? *paucos* numero in genere intelligi, facile intelligitur; non enim stricta capienda est phrasis, uti facile adparet, sed in genere de *paucitate*; uti Jes. XVII: 6. & alibi. Atenim ambiguum est, pertineantne verba ad statum exilii, an liberationis ab eo? ferunt enim utrumque, & recte forte admittimus. *Prius* si obtineat, sensus erit, Israelitas per repudium Dei nunc ad paucitatem redactos, & a se invicem disjunctos per varia loca exilii dispersos, a Deo esse adsumendos: sicut Jes. XVII. modo citato habetur. Imo præterea indicatur, Israelitas, si vel ad exiguum numerum, minorem adhuc quam nunc, ut unus & alter tantum superesset, fuissent redacti, a Deo tamen non esse negligendos. Quod Ill. Grotio jam suboluit. Sed, si hic sensus locum habeat, in eo subsistendum non est, verum ad *reduces* ipsos quoque, & inprimis, referendum, quod hic habetur, ut sensus sit, non totum populum, sed paucos tantum esse restituendos ex Israele, nec in unum populum, aut regnum separatum coactos, verum singulos & divisos; ut *unus de urbe, & duo de familia* sint. Quo inter alia etiam referre licet, quod Jes. XXVII: 12. prædictum est, *Et futurum est illo die, ut excutiat Jehova ab alveo fluvii usque ad amnem Aegypti, & vos colligemini unus ad unum, filii Israelis.* Conf. quoque Jes. XI: 11. Respondit quoque im-

implementum, cum longe paucissimi ex Israele fuerint ab exilio reversi; uti constat ex historia. *b*. Addit Deus, se ipsos *reducturum esse Tsionem*, non sine ratione & insigni emphasi, ut intelligerent, se populum & regnum separatum post reditum non esse constituturos, sed *Tsioni* adsociandos; & sic regno Judæ, & religioni Hierosolymis, subjiciendos; adeoque tacite insinuatur, Hierosolymam cum rep. Judaica, & Templo ac religione, esse instaurandam. Ceterum emphasis verbi לקח *excerpsit*, non erat negligenda. Proprietatem enim habet in *carpendo*, & inde ad alios usus *capiendi* admodum varios, in bonum seu malum, transiit. Hic in bonum denotat decerptionem ex reliqua massa in meliorem statum. Uti Ex. VI: 7. *decerpsi vos in populum ex reliquis gentibus*: sic & hic, *unum ex urbe*; &c.

§. LVI. *β*. *Secundum* beneficium, expresse memoratum, est fidelium & peritorum ductorum & doctorum restitutio, vers. 15. *& dedi vobis pastores secundum cor meum; vosque scienter & prudenter pascunt ac prospere*, quod addere licet, cum verbum השכיל utrumque comprehendat; & huc recte quadret. *Pastores* sunt rectores, ductores & doctores, non reges, sed periti & prudentes, populum in rectam viam, legi & voluntati Dei congruam, ducentes, & prospere gubernantes, ac tuentes. Quod in reducibus, sed vario tempore, in primis initio & deinceps tempore Maccab., veritatem habuit, ut historia docet, & a prophetis sæpe prædictum est. Conf. Jes. XXX: 20. Jer. XXIII: 4. Ez. XXXIV. Mich. V: 4. & alibi sæpe. *γ*. Tertium beneficium, sed involutius memoratum, est *multiplicatio* populi in terra Cananæa; tanquam proximum signum novæ Oeconomiæ, tunc erigendæ; quod superioribus promissis tacite erat comprehensum, & versu seq. tanquam futurum præsupponitur, quum dicitur, *cum aucti fueritis*, & *fructum feceritis in terra*. Quibus verbis cum ipsa populi multiplicatio opposite ad paucos illos reversuros vers. 14., intelligitur, tum etiam florentissima ejus conditio, per *fructificationem* depingi solita, ut Jes. XXXVII 31.

met. sumta ab agro, fructus copiose ferente. Quod promissum, ante involutius propositum, hic clarius repetitur & exprimitur. Cum enim Deus dixisset, se *unum* ex urbe *&* *duos* ex familia sumturum esse, & pastores peritos iis daturum, tecte indicabat, vel mente intelligendum, ac colligendum, praebebat, paucos illos in magnam multitudinem esse augendos, & prospere acturos. Ceterum solet & alibi in verbo Prophetico, sicut & hic fit, haec multiplicatio & benedictio temporalis tanquam bonum antecedens & signum instantis Messiae adventus considerari: uti a Coccejo recte est observatum, & saepe inculcatum; nec non a Cl. Vitringa ad Jes. a. conf. etiam Zach. 11: 4. Deut. xxx: 5. &c. Sed de quo postea recurret occasio uberius tractandi.

§. LVII. Ipsum beneficium summum & ultimum hic praecipue intentum, cujus superiora fuerunt signa antecedentia, his verbis exhibetur, vers. 16, 17. *Illis diebus, dictum Jehovae, non dicent amplius, arca foederis Jehovae; nec adscendet in animum; & non recordabuntur ejus, nec visitabunt eam, nec fiet amplius. Eo tempore adpellabunt Hierosolymam thronum Jehovae, & confluent ad eam omnes gentes, ad nomen Jehovae Hierosolymis, nec incedent amplius post umbilicationem*, seu insitam corruptionem, *cordis eorum mali.* Quae luculentam continent promissionem propheticam cum abolitionis Oeconom. legalis, tum novae & Spiritualis oeconomiae Hierosolymis erigendae, & in renovata Ecclesia futurae, tum gentium conversionis ad Ecclesiam, & pietatem; adeoque temporum Messiae, quae florentem & multiplicatum populi Judaei statum sequerentur in Cananaea. Sicut a Christianis contra Judaeos egregie est evictum, & a Judaeorum glossis perversis vindicatum b. Quare hoc labore supersedere licet: illud notasse suffecerit, 1. ordinem beneficiorum nos eo manifeste ducere, uti ex dictis liquet &c. 2. Gentium omnium confluxum Hierosol., eamque totam futuram sanctam, praesentia Dei

a c. ix: 2. x: 23, 24. & alibi. b Vid. Gusset. ver. rel. Chr. p. 1. c. 24. Buxtorf. hist. arcae c. 23. alii.

Dei implendam, certissimum ejus esse signum. 3. Verba alium non fundere sensum, ac *arca*, tanquam centro religionis, locum amplius non fore, nec desiderii, ut sub Oecon. V., objectum.

§. LVIII. Continent verba a. Vet. oecon. abolitionem vers. 17. plane ut Jer. XXXI. quocum noster locus omnino est conferendus. Abolitio illa hic, unico producto specimine *arcæ foederis* abolitæ, repræsentatur, quam aptissime & eleganter, quia 1. verba *foederis* continebat, & ejus signum erat; quare hic expresse arca *foederis* dicitur. 2. sedes erat majestatis Dei apud populum præsentis. 3. ad arcam spectabat totus cultus externus sub Oecon. V. 4. omnis benedictio populi inde petebatur & defluebat; &c. quæ omnia nemini non nota sunt. Ceterum arcæ locum non tantum non futurum, declarat Deus, sed nec a populo desiderandam amplius, & construendam. Adcumulat propheta varias phrases ad illud declarandum, ut eo altius infigeret animis Judæorum, quibus illud tanquam mirabile videri debebat, eosque de veritate & pondere ejus convinceret. Possunt autem verba ita capi, ut *duo* vel *tria* de arca distincte tradantur, eam, scilicet, a nemine esse celebrandam, nec desiderandam, nequidem construendam amplius. 1. Primum his verbis: *non dicent amplius arcam foederis Jehovæ, nec adscendet super cor*, ut hoc dicant. h. e. non dicent, nequidem cogitabunt hoc dicere; animis ab arca, tanquam signo foederis & præsentiæ Dei symbolo, plane abstractis. Impersonaliter capi debet verbum *dicent*, pro dicetur, nemo vestrum dicet; quo nihil est vulgatius: *non dicent nec adscendet in cor*, ita, ut dixi, cohærent, ut emphasis augeatur; quemadmodum explicui. Non dicent; *arca foederis* Jehovæ, scilicet est; vel *arcam* foederis non dicent amplius, non habebunt in posterum pro *arca foederis*, eam eo nomine celebrabunt; quod etiam est *dicere*. 2. *Secundum* est, *arcæ* nullum fore desiderium apud illos, *non recordabuntur*, *& non visitabunt*. h. e. cum desiderio non recordabuntur ejus, ut eam denuo

vellent restitutam: verbum פקד subinde idem est ac *desiderare* ut alibi, 1 Sam. xxv: 15. Jer. xxxiv: 16. 3. *Tertium* est, arcæ construendæ neminem admoturum manus; nec *fiet amplius*, scilicet arca: uti facile patet. Ceterum, si, quod traditio Judaica de *arca* in Templo secundo cum quatuor aliis desideratissimis rebus deficiente habet, verum foret, de quo hic non est disputandi locus, gradus ad prophetiæ implementum, & præludium aliquod, in eo poni posset, non ipsum implementum, cum *arcam* ne quidem eo tempore *desiderandam* ab aliquo esse hic prænuncietur, simul tanquam promissum & bonum consideretur. Quo de quicquid sit, fabulam de arca, a Jeremia occultata, cujus mentio fit 2 Macc. II:, ex hoc ipso loco fuisse ortam, mihi plusquam probabile videtur.

§. LIX. β Vetere œconomia abolita, nova rerum facies adpareret, & Hierosolyma in genere, non Templum & arca, foret *thronus Jehovæ*, ubi vere & in omni emphasi se præsentem sisteret, divinæ majestati convenienter, & coleretur, nec a Judæis tantum, sed & gentibus, quæ in fide se ei adjungerent, *ad nomen Jehovæ*. h. e. ad Jehovam gloriose manifestatum, & eum *nominandum* ac celebrandum; vanitate sua & perversitate abdicata, & ad veram pietatem conversis. Qui sensus est vers. 17. ubi parum est obscuri. Tantum not. 1. Hierosolymam hic esse Ecclesiam primævam Tsioneam, Hierosolymam novam, in literali Tsione collectam primitus, singulari Dei præsentia insignem, & eo nomine dignam, veræ quippe *pacis possessionem* hæreditariam, & *tranquillitatis*. Quæ nominis ירושלם est potestas. 2. Singulari pollere emphasi epitheton *throni Jehovæ*, Hierosolymæ datum; quippe quo, *regnum Jehovæ*, non ut olim symbolice & umbratice, sed proprie & vere, ibi locum habiturum esse, significatur; quod Ecclesiæ N. T., *regni Dei* titulo insigni, unice convenit, & frequenter datur: regnat enim ibi Jehova *verbo* & *Spiritu* suo, ibique in *Spiritu* & veritate adoratur ac colitur. 3. Voces לשם *ad nomen Jehovæ*, signi-

significare & Jehovam gloriose manifestatum, & celebrationem ejus, qua Jehova nominatur & laudatur. 4. Ultimum membrum, *& non incedent* &c. proxime pertinere ad *gentes*, sed simul sese porrigere ad omnes, qui Hierosolymam adpellarent in fide *thronum Jehovæ*. Vox שררות proprie signat *umbilicationem*: statum manentis umbilici: denotat enim שר *umbilicum*, unde transfertur ad principium corruptionis naturalis, altissime retrusæ, ut Ez. XVI: 4. Stylo enim orientis umbilicus usupatur *cum* pro arcano, secreto, *tum* pro principio & radice quasi vitæ animalis, unde humorem nutrientem primitus hausimus, & inde pro corruptione originali, in qua concepti sumus, & quæ altissime retrusa est [a]. Aliter instituit Rev. Kuypers [b], qui, rad. Arab. شرس collata, proprietatem constituit in *acri scintillatione*, & inde acrem malitiæ impetum, ut apud Arab. sumitur, erudite reperit. Quod non est spernendum.

§. LX. *b.* Instauratio populi, per gradus explicita, mox unius & alterius partis respectu illustratur, vers. 18, 19. *a.* respectu reductionis ab exilio, vers. 18. *Diebus illis ibunt domus Juda ad domum Israelis, venientque uniter e terra septentrionali in terram hanc, quam hæreditario jure dedi patribus vestris.* Errant Interpretes, qui prophetiam de nova oeconomia continuari existimant, nostraque verba ad Israelitarum conversionem per Apostolos referunt, nexu cum præced. decepti; agitur enim hic manifeste de reductione populi ab exilio in Cananæam, uti verba clare indicant; & nexus non cum proxime præcedente, sed tota pericopa superiore constituendus est; adeoque, ut observavi, ad ejus illustrationem tendit. Cohærent itaque cum vers. 14. & modum exponunt, quo Israël reduceretur, scilicet, in unione cum Juda; quod vers. 14. jam insinuatum erat. Sensus est, Israelem hanc restitutionem acceptam laturum Judæ, & cum eo esse reduniendum; adeo ut a Juda invitati, & ipsi adsociati, reversuri sint ex Israele, qui redirent. Quod Prophetiis &

[a] Conf. Cl. Schultens ad Har. conf. II. p. 72. & Prov. III: 8. [b] ad Ali p. 68.

& historiæ exacte respondet: uti satis constat. Vid. Jes. xi: 12, 13. Jer. L: 4. Ezech. xxxvii: 16. &c.

§. LXI. β. Illustratur porro pericopa respectu multiplicationis populi, & gentium adgregationis, statusque gloriosi in Cananæa, vers. 19. *Et ego dixi, quomodo ponam te in filiis, Tibique dabo terram desiderii, hæreditatem decoris exercituum Gentium? at dixi, pater mi! inclamabitis mihi; neque a post me recedetis.* Respicitur manifeste ad superiora promissa *multiplicationis, prosperitatis*, & *adgregationis Gentium* ad Ecclesiam, quæ hic repetuntur, ordine plane eodem, quo modo erant prolata. *Ponere in filiis*, sic enim phrasis vertenda est, idem est ac multiplicare; sicut & nos Belg. dicimus, *iemant in Kinderen setten*, collocare in possessione multorum filiorum: quod alias dicitur *ponere alicui semen*, Gen. iv: 25. Haud absimilis est phrasis Ps. xii: 6. *ponere* in *salute*, vel *laxitate*. Subjungitur, *dare terram desiderii*, h. e terram omni copia adfluentem, & gloriam ac prosperitatem quamvis adferentem; verbo, plenam omnium rerum desiderabilium. Tandem additur, dare *hæreditatem decoris exercituum Gentium:* repetendum enim est verbum *dare*, & pro distincto beneficio habendum, non pro epitheto *terræ desiderii*, ut vulgo fit. Præterquam enim quod Cananæa vix adpellari sensu tolerabili possit *hæreditas exercituum gentium*; pertinent hæc verba quam clarissime ad Gentium confluxum ad Deum Hierosolymam, & beneficium hoc notum est nomine *hæreditatis gentium* & *mundi* Rom. iv. cujus spes facta fuit *Abrahamo*, ejusque semini; uti constat: & alibi satis explicatur. Hæreditas itaque est, quæ Judæis contingeret, qua gentes agminatim emicarent, & in aciem quasi prodirent, ac Hierosolymam ad Deum tenderent: quæ vis est vocis צבאות, a rad. צבא proprie *micare, emicare* a, unde etiam est vox צבי, hic occurrens, derivanda; quæ *decus* & *splendorem* dicit, a *micando:* intelligitur hæ-

a Vid. Schultens clav. p. 276.

hæreditas exercituum gentium ſplendeſcens & decora; omne genus donis & virtutibus illuſtris.

§. LXII. Sed quo tendit hæc repetitio, & quid luminis infundit ſuperioribus? id quod explicari meretur; quia hic in diverſa abeunt, & haud parum hærent, Interpretes. Verborum noſtrorum ſcopus eſt, *modum* exponere, quo tantorum beneficiorum fieret populus Iſraeliticus compos, in eo ſitum, quod hæredes tantorum bonorum ſeſe iis dignos præſtarent per ſincerum & conſtantem amorem & timorem Dei: qua ſola ratione Deo conveniret populum illis beneficiis cumulare. Cui ſcopo forma orationis egregie reſpondet: conſtat vero ex interrogatione & reſponſione Dei, ſibi ipſi facta. *Et dixi*, vel *etenim, dixi*, ſcilicet mecum in animo meo; *quomodo ponam te* &c: qua ratione te tantorum bonorum faciam hæredem, quæ modo tibi promiſi? quomodo id virtutibus meis convenienter faciam: decebitne me Tibi tantopere benedicere in peccatis perſeveranti? qualem Te nunc experior: nullo modo: quid itaque tibi faciam, ut illa conſequi, ſalvis meis virtutibus, poſſis? Hæc ſolita eſt, & huc unice quadrans, poteſtas voculæ איך *quomodo?* conſpectum habet oratio deliberationis quaſi, & interrogationis, apud animum; ut dixi. Sequitur, poſt bonorum catalogum repetitum, reſponſio, his verbis: *& dixi, pater mi! inclamabitis mihi, nec a poſt me recedetis.* Verbum *dicere* hic ad ſuperius *dicere* referri debet, & reſponſum ad interrogatum continet. Occurrit in fut. *dicam*, ut ſimul ſignificetur, Deum ſuo tempore, quo bona præſtanda ſunt, illud efficaciter eſſe dicturum, & effecturum. *Dicam*, ſicut mihi reſpondi, & præſtabo: quid vero illud eſt? *pater mi! inclamabitis mihi, nec recedetis a me* Quod idem eſt ac Jer. XXXI. *legem meam inſcribam animis veſtris* &c. Deut. XXX. *circumcidam cor veſtrum*, & Ez: XI: 19. *Spiritum novum dabo in medio veſtri*. c. XXXVI: 26. Qualia frequenter de populo Judæo ſequentibus temporibus occurrunt in verbo prophetico. Emphaſin habet phraſis; *inclamabitis mihi, pa-*

ter mi! לי emphatice abundat, ut sæpe alias, & קרא est *in-clamare*, palam pronunciare; אבי *pater mi!* comprehendit id, quod clamarent Spiritu adoptionis, ut Rom. VIII: 15. & alibi. Declarat itaque Deus, bona illa, interveniente conversione populi ad Deum, esse concedenda, & ipsam illam conversionem a Deo suo tempore præstandam; simul populum, iis bonis mactatum, Deo in fide & amore filiali esse adhæsurum constanter. Plura ad intellectum verborum non putem requiri; nec necesse fuerit Interpretationes varias recensuisse.

§. LXIII. *γ*. Adhortationis ad resipiscentiam, variis promissis confirmatæ, inter quæ etiam fuit de constante amore populi convertendi erga Deum, effectus optatos ob oculos ponit propheta, præmissa declaratione perfidiæ Israelis, qua se omni beneficio indignum præstiterat, sed, qua non obstante, Deus eos ad resipiscentiam sub spe remissionis peccatorum vocaret, & illi quoque tandem resipiscerent. Quæ summa est *tertia* partis pericopæ orationis ad Israelem, vers. 20-25. Præmittitur, ut dixi, declaratio perfidiæ Israelis eo scopo, ut se indignum ullo beneficio agnosceret, & quicquid Deus in gratiam eorum faceret, Dei gratuito favori unice acceptum esse ferendum agnosceret. vers. 20. *Profecto sicut perfide egit uxor a socio suo deficiens, ita perfide in me egistis, domus Israel, inspiratione Jehovæ.* Repetitur defectio obstinata Israelis ex superioribus, ut cum indignitatem suam agnoscerent Israelitæ, tum etiam, ea non obstante, se a Deo adsumendos esse scirent; acsi Deus dixisset: multa tibi promisi, licet verum sit, te omni meo favore esse indignum, quod tibi denuo inculcandum volui: sed vocabo te ad resipiscentiam, & prævideo, te vocem meam esse auditurum; quo fundamento nituntur omnia mea promissa, tibi modo facta. Hac ratione sermo recte cohæret; in quo hæserunt multi, qui etiam aliena sunt secuti; quorum ratio hic reddenda non est. Tantum observo, verba cum proxime præcedentibus, etiam alia adhuc ratione, cohe-

facere. Dixerat modo Deus, *quomodo ponam te*, &c: & responderat, Israelem ad Deum tanquam patrem esse rediturum: id quod nunc declarat futurum esse, licet videri possit hoc tempore minus probabile, propter obstinatam populi defectionem; attamen vere fieret: acsi haberetur, *profecto*, certissimum est, te, ô Israel, pertinaciter a me defecisse; omnemque meam operam ad te reducendum hucusque elusisse; ut vers. 7. dixerat; attamen post, suo tempore, ad meliorem frugem redibis. Verba itaque nostra & ad indignitatem populi repraesentandam, & ad improbabilitatem conversionis ejus exhibendam, quae mox tollitur, pertinent: quod posterius recte vidit Schmidius, qui verbis nostris *objectionem* aliquam contineri vult. In verbis nihil est difficilis: observetur 1. אכן hic veram suam vim retinere, qua dicit *profecto*, *certe*; proprie *certissime*, ex כן & א intensivo. Est particula *concessionis* & *affirmationis*; verum est, & verissimum quidem, te esse indignum, & prorsus ad conversionem videri ineptum. 2. constructionem verbi בגד cum מ *a* esse ellipticam, hac ratione supplendam: *perfide egit uxor a socio suo deficiens*; a marito non simpliciter, sed *amico* simul & benevolo, quem usum habet vox רע, uti Hos. III: 1. & alibi, & hic emphasin tuetur, ut dixi.

§. LXIV. Subjungitur nunc, non obstante hac & indignitate & improbabilitate conversionis, Israelem a Deo ad resipiscentiam suo tempore vocandum & convertendum esse. Quod utrumque α. proponitur, vers. 21. β. deducitur & explicatius traditur. α. Propositio ita sonat, vers. 21. *Vox in locis editis audita est, fletus stridularum imploratio-num filiorum Israel; quod intorserint viam suam, obliti sint Jehova Dei sui.* Futura hic repraesentantur tanquam praesentia, pro more prophetarum: quod facillimum est. Sed de ambiguo quid trahit primum membrum, *vox in collibus audita est*: quae & per se stare possunt, & cum sequentibus construi. Seorsim si capiantur, vox erit adhortatoria Dei ad resipiscentiam cum promisso exaudiendis; cui recte adjun-

jungitur vox ploratus stridulæ implorationis, de resipiscentia testantis. Sed possunt etiam conjungi cum seq., ut sit, *vox audita* est, scilicet, *fletus* &c. Israelitarum. Montes enim & colles, erant planctus & ploratus loca Jud. XI: 37. Studio hanc ambiguitatem captasse videtur Propheta, ut utroque modo accipiamus. Utique *prius* hic negligi vix potest, cum in propositionis deductione mentio fiat vers. 22. *vocis* Dei ad resipiscentiam excitantis: quæ verba ceteroquin nimis abrupta forent, nec commode connecti possunt cum orationis structura. Recte quoque *vox super collibus audita* refertur ad præconis vocem ad poenitentiam exhortantem, ut Jes. XL: 9. LII: 7. & alibi. Ceterum negligenda non est emphasis phrasios *fletus stridularum implorationum*; quæ & fletum poenitentiæ, & implorationem gratiæ Dei comprehendit. Radix חנן ex sono ficta in origine dicit *stridulum sonum* gutturis, qualem edunt animantia, quum tenerrimum adfectum erga foetus suos demonstrant, unde ad intimam teneritudinem, etiam adfectum intimum, & in specie *implorationem* opis sonando *stridulum* transiit, uti hic. Ultima verba, *quia intorserunt viam suam* &c. non tantum significant caussam adfectionum, quæ has lacrymas produxerunt, sed materiam quoque & rationem stridularum implorationum; adeo ut sensus non sit, Israelitas super calamitate sua plorasse simpliciter, cujus caussa erat defectio a Deo, sed super ipsa illa sua defectione, & opem Dei implorasse gratuitam: adeoque veræ & salutaris resipiscentiæ est viva descriptio. Vid. Jer. XXXI: 18. & conf. supra vers. 13.

§. LXV. β In deductione propositionis, *a.* vox adhortatoria Dei ad resipiscentiam declaratur, vers. 22. *Revertimini filii aversi, sanabo aversiones vestras* h. e. remittam eas & resarciam. Quod & alibi in Script. *sanare* adpellatur Jes. VI: 10. Ps. VI: 3. XLI: 5. CIII: 3. & *morbi* ac languores dicuntur peccata & reatus. Jes. XXXIII: 24. LIII. & alibi. Verba sunt Dei, sed abrupte nimis posita, nisi admittatur, quod modo ad vers. 20. monui de *voce super* collibus: quando

fer-

ſermo recte fluit. Ceteroquin admittenda foret ellipſis, hac fere ratione ſupplenda: vox ploratus Iſraelitarum audita eſt, dicentium: hortatus nos es o Deus, *revertimini* &c: *ecce nos venimus*, vel, vox audita eſt ſtridula, quod obliti fuerint *Jehovæ Dei ſui*, dicentis: *revertimini* &c: ſed facilius eſt, quod primum obſervavi, reſpici ad *vocem Dei ſuper montibus* auditam, & propoſitionis deductionem hic incipere: quo nos ſequentia ducunt; quum æque abrupte alias Iſraelitæ ſiſterentur loquentes: quod ex hac hypotheſi recte fit.

§. LXVI. *b*. Repræſentatur itaque in deductione mox *argumentum* ploratus & implorationis ſtridulæ Iſraelitarum, verſ. 22-25. Ubi 1. occurrit converſionis profeſſio cum imploratione implementi promiſſi ſanationis, modo facti, quam ex conſideratione Dei, ejusque relationis ad ſe, urgent, verſ. 22. *Ecce nos! venimus tibi: quia Tu Jehova Deus noſter es*, uti promiſiſti te futurum, nos ſanando: ſenſus eſt, quem conciſe expreſſerunt, & emphatice; cum tu nos ad Te voces, ut noſtras averſationes ſanes; ecce *adſumus tibi*, offerimus nos tibi, ut nos ſanes; ſiſtimus nos tibi eum in finem in fide & poenitentia, ad Eccleſiam tuam, & cultum tuum, redeuntes; fac itaque, quod pollicitus es, quia tu es *Jehova Deus noſter*, ſcilicet, verax & bonus; qui nobis eſt per foedus devinctus. Oratio eſt conciſa & emphatica, ut ſolet, quæ ex ardente adfectu oritur. Not. *a*. non dici *venimus ad Te, ſed Tibi*; ut ſimul indicaretur, ſe ſe Deo ſiſtere & offerre vocanti, adeoque, ut ab ipſo *ſanentur*. Eſt enim, quod *b*. not., ellipſis vel reticentia ejus, quod Deus promiſerat modo, & ipſi petebant: *venimus Tibi ad ſanandas noſtras averſationes*. Quando, quod *c*. notetur, recte ſequitur, *quia tu Jehova*: non enim dicere volunt, *ad te nos convertimus, quia es Deus noſter*, ſed, venimus ut nos ſanes, *quia Jehova es*. Urgent ergo petitionem *ſanationis* ex eo, quod ſit ipſe *Jehova*, adeoque, quod *d*. advertendum,

dum, emphasis est in nomine *Jehova*, quo *veracitas* & *gratia* Dei obsignatur, uti notum est.

§. LXVII 2. Addunt mox *fidei* suæ in Deum professionem, ut simul significent, se animo deliberato & bene persuaso venire, ut sanentur; agnoscentes in Deo solo, & non in aliis, esse *salutem* Israelis: qualem *fidem* Deus ubique requirit in iis, quibus benefacit; sine qua quoque ad Deum non possent ex animo accedere. Quo tendunt verba, vers. 23. *Certissime purus fucus ex collibus, vertigo æstuans montes; certissime in Jehova Deo nostro salus Israelis.* Prius membrum, quod nostram unice curam requirit, varie vertitur & intelligitur; sed nostra versio est & aptior & magis emphatica; cujus ratio mihi est danda. *a.* De collibus dicitur, merum fucum esse; scilicet, respectu inprimis felicitatis & salutis inde exspectandæ; sed simul indicatur, nihil *veri* esse in cultu idolorum in collibus, quo & hic respicitur. Vox לשקר proprie *in fucum* denotat ipsum, seu purum putum, *fucum*; ex usu litteræ ל pro intima rei essentia; estque nota sæpe nominativi emphatici, uti constat. Vox vero proprie significat *fucum*, ducta origine a *rubedine intensiore*, quam radix in origine dicit *a*; met. est color illitus falsitatis ac mendacii. Vox מגבעות reddi potest vel *ex collibus*, vel & *colles*, cum מ *ex* nonnunquam emphatice abundet; ut ex *docto, sapiente*, מחכם, pro *docto* &c: ita apud Arab. frequenter, nec inusitate in Script. S. utrumque admitti potest, ut sensus sit, vel *merus fucus ex collibus* est, vel *colles* sunt; cum idololatriæ, tum auxilii & felicitatis respectu. *b.* Additur, *vertigo æstuans montes* sunt, eodem respectu & sensu. Vox המון vi originis denotat *æstuationem*, motum æstuantem, unde inter alia transfertur ad animam curarum fluctus volventem, etiam attonitam, vertigine æstuantem, ac fluctuantem & discurrentem *b*. Quæ notio huc unice quadrat. Sensus itaque est, montes nihil adferre præter talem mentis æstuationem. *Montes*

a Vid. Tsepregi authent. select. cet. p. 1. §. 25. Schultens ad Job. XIII: 4. *b* Vid. ad Ps. XLII: 6.

tes vero sunt pro *præsidiis*, sive proprie sive improprie sumantur Conf. Ps. cxxi: & alibi.

§. LXVIII. 3 Denique confessionem subjungunt quam aptissime, & in ea desinunt, *idololatriæ* sine fructu, & in perniciem, exercitæ a se & majoribus, ab ipsis temp. originibus usque: vers. 24, 25. qui versus ita cohærent, ut *prior* vanum fructum idololatriæ exhibeat, *posterior* perniciosa effecta. *Prior* ita sonat: *pudendum absumsit laborem patrum nostrorum a pueritia nostra: greges & armenta eorum, filios & filias eorum* h. e. pudendo idolo obtulerunt illa omnia, sed nihil inde retulerunt, quam eorum bonorum consumtionem; adeoque sine ullo fructu & impendio tantam fecerunt bonorum jacturam; etiam ipsorum liberorum, quos Molecho consecrarunt. Voce *nwa* ad *idolum*, & *idololatriam* respici, tritum est: venit autem eo nomine, quod hominem reddat perplexum & omni soliditate privet; quodque sit *ignominiosum* homini &c. de quo mox. *Posterior* versus perniciosa effecta repræsentat, vers. 25. *Decumbimus in perplexitate nostra*, & *operit nos ignominia nostra, quia in Jehovam, Deum nostrum, peccavimus, nos & patres nostri, a pueritia nostra & ad hunc diem usque, nec audivimus vocem Jehovæ, Dei nostri.* Respicitur ad *somnum*, vel mortem, adeoque lectum vel sepulchrum, quo quis fusus jacet & involutus aliquo tegumento. Verbum *ɔɔw* proprietatem habet in *fundendo, profundendo*, unde ad habitum *cubantis* refertur, quo quis fusus, profusus, humi jacet, & de somno ac morte usurpatur a. Jacere in *nwa* est proprie in *perplexitate* & ariditate, & pudore ac consternatione; opposite ad honorificam, quietam, & jucundam cubationem. Vox apud Arab. usurpatur de *aridis multo strepitu & tumultu confusis*, unde transfertur ad animum perplexum, arefactum & consternatum b.

Cant.

a Vid Schultens ad Job. XIX: 19. b Vid. Idem ad Prov. XIV: 34.

CAP. IV: 1, 2.

§. LXIX. 1. Adhortationi Israelis ad conversionem, variis promissis munitæ, ejusque effectui suo tempore futuro, quæ omnia præcesserunt, subjungit Propheta quam aptissime salutarem *instructionem*, cum *modi* ulterioris conversionis, tum salutarium *effectorum* respectu, vers. 1, 2. *Si reversurus sis Israel, inspiratum Jehovæ, ad me reverteris; & si removeris abominationes tuas a facie mea, & non nutabis. Et jurabis, vivat Jehova! in veritate, judicio & justitia, & benedicent sibi in eo gentes, & gloriabuntur in eo.* Quæ verba haud una ratione expediri solent ab Interpretibus; quibus immorari non licet. Mentem meam itaque explicuisse suffecerit. Quem in finem 1. observari velim, orationem adhuc ad decem tribus dirigi, secus ac nonnullis visum est, qui *Judam* intelligunt ex vers. 3. Sed, cum *Israelem* hic compellet Propheta, & vers. 3. *Judam*, cumque ad superiora, ubi de Israele, manifeste referatur & hæc pericopa, uti facile perspicitur; dubium non est, quin decem tribus hic intelligendæ sint per Israelem. Nec turbat vers. 3., ut mox patebit. 2. Notandum est, conversionem Israelis hic non eandem esse, quæ in fin. superioris cap., sed aliam, cujus mentio fuit vers. 19. facta, adeoque quæ sub N. T. locum haberet. Interpretes eandem intelligunt, sive Israelis ultimo tempore, ut Coccejus, sive tempore Messiæ, sive post exilium Babylonicum, sed manifesta sunt utriusque conversionis indicia, *prioris* post exilium in præced. memoratæ, *hujus* sub N. T., *a.* quia, si *eadem* utrobique intenderetur, dubia relinqueretur conversio; uti particula אם *si* indicat; sed de superiore certo futura locutus fuerat propheta; nunc conditionate loquitur; non itaque de eadem conversione. *b.* quia antea de conversione in genere egerat, relate ad idololatriam & legis Divinæ violationem; nunc in specie requirit ad Deum, talemque, qua Deus simpliciter colitur in veritate & justitia, vers. 2., nulla mentione legis facta. *c.* quia connecti-

titur hæc conversio cum ea gentium, quæ sibi in Deo benedicerent. 3. Denique observandum est, ut & nexum cum superioribus, & verum pericopæ conspectum, intelligamus, prophetam, cum Israelem supra dixerat ab Idololatria ad communionem Dei & populi sui Hierosolymis convertendum esse, hic eum ulterius instruere notitia *modi*, quo sese convertere debeat deinceps ad Deum, tanquam Patrem, ut bona Spiritualia possit consequi; adeoque hanc pericopam tendere ad illustrationem superiorum, quibus de oeconomia N. erat actum, vers. 16., & conditionem illam illustrare, quæ ib. vers. 19. erat memorata; continere itaque admonitionem de vera & Spirituali conversione, ab Israele instituenda tempore Messiæ, & melioris oeconomiæ. Ex qua hypothesi cuncta clara luce fulgebunt, uti explicatio docebit.

§. LXX. Ambigui quid spirant verba prophetæ, quod is sæpe studio captavit, ut utrumque intelligeretur, & concisa oratione multa dicerentur. Possunt verba capi cum de *modo* conversionis salutaris, tum de conversione & ejus *effectis* salutaribus. *Priore* ratione hunc sensum fundent, quem, singula membra percurrendo, proferam. *Si rediturus es, Isr. e', ad me redibis*, h. e. si tibi animo sedeat reverti, ut oportet, quemadmodum incipies redire, sicut modo dixi, si plene & perfecte id facere volueris, necesse est, ut non simpliciter revertaris ab idololatria ad legem meam, quod prædixi te facturum esse, sed & ut *ad me*, qua Jehovam, Deum coelestem & promissa gratiæ præstantem, aut *Patrem*, redeas, mihique inclames ex animo, *Pater mi!* uti est vers. 19. cap. III. ut te ad me conferas toto animo, & juratus obstringas mihi in *veritate*, *judicio*, & *justitia*; uti mox explicatius traditur. Emphasis itaque est in ultimo, *redibis ad me*, quæ jungenda sunt, uti ipsa structura docet. Ita fere Jes. XXI: 12. Edomo, Deum minus bono animo roganti, respondetur, *si rogaveritis, rogate, redite, venite*. Pergit Deus; *& si removebis abominationes tuas a mea facie*,

 etiam

otibus non mutabis. h. e. si propositum est abominationibus tuis omnibus recte & perfecte renunciare; oportet nec ullas retineas, & mihi adjungas, nec ad eas redeas, sed constanter id facias. Membra videntur hujus versus elegantiæ causa divisa, sic ordinanda, *si redibis Israel, removebis abominationes*; debebis ad *me redire*, *nec vacillare*. *Abominationes* non tantum crassam & carnalem idololatriam, ut passim, sed & Spiritualem ac subtilem, omnemque pravam concupiscentiam comprehendunt, quibus renunciare debent qui ad Deum recte reverti volunt, & præterea ad Deum in spiritu & veritate se convertere, idque constanter. Verbum נוד proprie dicit *quati*, *quassari*, ut 1 Reg. XIV. 15. *sicut quassatur arundo in aquis*. Gen. XLV. unde ad *nutationem tremulam* transfertur, ut in phrasi, *quassavit capite*, in signum irrisionis. Jer. XVIII. Ps. XXXVI., vel *complorationis*, ut alibi. Hinc *vacillationis* & *nutationis*, ac *claudicationis*, in re religionis facile nasci potest usus, opposite ad sinceritatem & constantiam; quam & hic exserit.

§. LXXI. Subjungitur magis aperte & explicite natura talis conversionis, vers. 2. & *jurabis*, *vivat Jehova in veritate* &c. acsi haberetur, & ne nescias, qualem conversionem velim, ecce ejus qualitates clare propositas! *jurare debebis vivat Jehova*. h. e. juratus te obstringere debebis Jehovæ; nec ad externum & legalem amplius cultum, sed naturæ Dei vivi convenientem, qui situs est in cultu *veritatis*, *judicii* & *justitiæ*. Interpretes verba simpliciter capiunt de *qualitatibus* justi & legitimi juramenti; sine ratione & emphasi; nec ad rem præsentem: cum de qualitatibus veræ conversionis ad Jehovam hic agatur; ne dicam, difficile esse expositu, quid distincte sit jurare in *judicio* & *justitia*. Ergo sumamus eo, quo dixi, sensu, quem Ghislerio quoque placuisse vidi, & elegantia ac emphasis orationis clare elucescet. *Jurare*, *vivit Jehova*, est, stylo Script. palam profiteri Jehovam, Deum vivum, & se severa lege quasi juratum obligare Deo ad omnem adorationem & subjec-

jectionem, ac obedientiam, ut Jes. XLV: 23. XLVIII: 1. LXVI: 16. Voces vero in *veritate*, *judicio* & *justitia*, non simpliciter *qualitates* jurantis, seseque Deo obligantis, denotant, ut Jes. XLVIII. *non in veritate* & *justitia*; h. e. non sincere & juste, adeoque non tantum denotant, Israelem in Dei cultu versari debere sincere & juste, sed in primis ipsius cultus Dei qualitates continent in harum virtutum exercitio, opposite ad cultum legalem & carnalem. Vult itaque Deus, ut se juramento obstringant Deo vivo, ad exercendam *veritatem*, *judicium* & *justitiam*, h. e. sinceritatem & fidelitatem, omne quod justum est & æquum, denique charitatem & misericordiam: quemadmodum Matth. 23. exponitur. *Justitia*, *a judicio* distincta, hic est ipsissima *charitas* & *misericordia*, ut alibi in Script. Reliquæ voces, & *benedicent sibi in eo gentes*, *& in eo gloriabuntur*, quid sibi hoc sensu velint, & quo tendant, difficilius videtur explicitu. Illud mihi certum est, Deum, & non *Israelem*, intelligi, *in quo* sibi *benedicerent* gentes, cum recepta sit de Deo phrasis, & in Israele vix sensum habere possit commodum; quicquid nonnulli velint: sed suntne Israelis jurantis, an *Dei* verba? posterius non videtur probabile, quia Deus in prima persona hic loquitur, dixisset itaque, non *in eo*, sed *in me*: nec *propheta*, nisi nimis abrupte, hic censeri potest loqui. Sumamus ergo pro Israelis, sese ad Deum convertentis, verbis; & cum formula, *vivit Jehova*, connectamus hoc modo: *jurabis in veritate* &c: *vivit Jehova*, *in quo sibi benedicent Gentes*, per usitatam satis ellipsin *quo* ante *benedicent*, ut plene dici solet. Sensus itaque erit, Israelem juraturum in *Jehovam*, qui *gentes* quoque adsumet, & promissum Abrahæ factum de hereditate gentium implebit, ut hac ratione Israel cum fidem suam declararet in Jehovam, Gentium æque ac Judæorum Deum, tum se ad Deum eo modo colendum obstringeret, quo colendus est, quum gentes ad ejus communionem admittendæ sunt; qui cultus est Spiritualis, in virtutis & pietatis exercitio unice situs. Conf. c. III: 17, 19. quo digitus

hic intenditur. Convenit itaque fere quod Jes. XLV: 23. LXV: 16., habetur: ubi vid. Cl. Commentator. Plura de phrasi, *benedicent sibi in eo gentes*, non dicam, cum sensus ejus non sit ignotus, & alibi explicetur.

§. LXXII. Sed possunt versus alio sensu quoque explicari, ut conversionis modus cum beneficiis inde orituris, & cum ea connexis, repræsentetur; hac ratione: *si converteris te Israel ad me, redibis ad me*; voce אלי *ad me* cum superiore & seq. connexa, ut sæpe alias in concisa oratione. h. e. si ad me, verum & vivum Deum, rediturus fueris, ut decet, & naturæ meæ convenit, tunc hoc singulari bono gaudebis, ut mea fruaris communione, & ad me sis in favore & gratia admittendus. Sic ad *Deum reverti* utrumque involvit c. III: 1. & *adpropinquare Deo* Ps. LXXIII: 28. *Redire* ad *Deum* posteriore loco erit ad ejus favorem & communionem redire, vel cum *fiducia* ad eum se convertere, ut Deum gratiæ & salutis: uti c. III: 22. vidimus. Sequitur, *& si removeris abominationes tuas a facie mea*, scilicet, quaslescunque, ut supra dixi, *tunc non nutabis*, non quassaberis amplius, sed fixam & stabilem habebis sedem in domo mea; *quietem* invenies Matth. XI. Pergit propheta in bono, quo fruerentur, explicatius tradendo, *& jurabis, vivat Deus in veritate, judicio & justitia, & in quo sibi benedicent gentes*. h. e. tunc quoque cum fiducia poteris jurare & gloriari in Deo vivo, gratiæ & veritatis plenissimo, qui veritatem, justitiam & gratiam, manifestat & exercet; quod Hos. II: 21. dicitur *desponsare in justitia & in judicio, & benignitate, & in misericordia*; itaque promissa de gentibus, ad Dei communionem admittendis, implet, eamque oeconomiam eriget, in qua benedictio pura vigebit, & *hereditas* Gentium repræsentabitur. Ita conspectum boni quoque habet hæc phrasis, *jurare in Deo amen*, Jes. LXV: 16. ubi vid. Cl. Vitringa.

PARS SECUNDA.

CAP. IV. 3-VI.

CAP. IV: 3--

3. *Profecto sic dixit Jehova viris Judae, & Hierosolymae, dicendo, sulcando illuminate vobis sulcos luminosos, & nolite serere inter spinas.*
4. *Circumcidamini Jehovae, & removete praeputia cordis vestri, viri Judae & incolae Hierosolymae, ne forte emicet sicut ignis excandescentia mea, & flagret, absque ut quisquam exstinguat eam, propter pravitatem operum vestrorum.*
5. *Nunciate per Judam, & audire facite Hierosolymis, & dicite & clangite tuba in terra, clamate, implete & dicite; congregamini, & urbes munitas ingrediamur.*
6. *Tollite vexillum Tsionem versus, confugite ad asylum, ac consistite; quia malum quasi ans ego supervenire facio, e septentrione, & confractionem magnam.*
7. *Aestuans adscendit leo e lustro suo, & vastator gentium castra movens emicat e loco suo, ad terram tuam ponendam siderationem: urbes tuae conflagratae desolabuntur, ne sit incola.*
8. *Propter hoc cingimini saccis, plangite & ululate, profecto non resedit aestuatio nasi Jehovae a nobis.*
9. *Eritque illo die, inspiratum Jehovae, peribit cor regis, & cor principum, & obstupescent sacerdotes, & prophetae adtonabuntur.*

10. *Et dicam, ah! Domine, certissime decipiendo decepisti populum hunc, & Hierosolymam, dicendo, pax erit vobis, & pertingit gladius ad animam.*
11. *Illo tempore dicetur huic populo & Hierosolymis: ventus nitens collium in deserto, via populi mei, non ad ventilandum, nec ad purgandum.*
12. *Ventus plenius præ illis, vel plenius exsecratione, veniet mihi. Nunc etiam ego pronunciabo judicia ipsis.*
13. *Ecce instar nubium irruet, & sicut turbo currus ejus, veloces præ aquilis equi ejus; væ nobis, quod vastati sumus.*
14. *Lava cor tuum a nequitia, Hierosolyma! ut serveris. Quousque molliter cubabunt in medio tui cogitationes inanitatis tuæ?*
15. *Quia vox nuncii e Dan, & proclamantis vanitatem e montano Ephraim.*
16. *In memoriam revocate gentes: ecce audiri facite contra Hierosolymam, observatores venientes e terra longinqua. Et dabunt contra urbes Juda vocem suam.*
17. *Sicut custodes agri sunt contra eam undiquaque, quia me acrius sua rebellione irritavit: inspiratum Jehovæ.*
18. *Via tua & facinora tua fecerunt hæc tibi. Hoc est malitia tua, quia acerba, quia pertigit ad cor tuum.*
19. *o Viscera mea, viscera mea! parturientis instar dolore luctor, æstuans mihi est cor meum, non silebo: quia sonum tubæ audit mihi anima mea, clangorem bellicum.*
20. *Confractio super confractionem proclamatur, quia vas-*

vastata est tota terra, subito vastata sunt tentoria mea, momento aulæa mea.

21. *Quousque videbo vexillum, audiam sonitum tubæ?*

22. *Quia stupiditate crassus est populus meus, me non agnoscunt; filii stultitia fæculenti sunt, & non intelligentes: ad malum faciendum sapientes sunt, sed bonum agere nesciunt.*

23. *Intuitus sum terram hanc, ecce vaga est & vacua, & coelos, nec est splendor eorum.*

24. *Vidi montes, & ecce intremiscunt, & omnes colles sese leves præstant.*

25. *Inspexi, & ecce vacuitatem hominum, omnesque coeli volucres avolarunt.*

26. *Contemplatus sum, & ecce carmelus* (terra fertilis) *est desertum, & omnes urbes ejus destructæ sunt: præ facie Jehovæ, præ æstu,* inquam, *nasi ejus.*

27. *Quia, sic dixit Jehova, sideratio erit tota terra, at consummationem non faciam.*

28. *Propter hoc lugebit terra, & squalidi erunt coeli desuper: propterea quod dixi destinavi, nec poenitebit me, nec recedam ab eo.*

29. *Propter sonitum equitis, & sagittarii, omnes urbes fugam capessunt, omnes urbes intrant densas silvas, & petras adscendunt: omnes urbes sunt desertæ, nec in illis est habitator.*

30. *Et tu vastatori quid facies? quia coccinea veste te indues, ornatu auri te instrues, oculos tuos quasi lacerabis stibio, in vanum te pulchram reddes, animo in te sunt exulcerato amasii tui, quærent tuam animam.*

31. *Vocem instar parturientis audivi, stringentem an-*

angustiam instar primum parientis, vocem filiæ Tsion, quæ anhelat, & manus expandit: væ quæso mihi! quod vertiginosa sit anima mea coram occisoribus meis.

§. LXXIII.

Exemplo Israelis secundum duplicem ejus statum, & corruptionis insanabilis cum judicio Dei eam secuto, & conversionis cum salutaribus effectis, in lucem protracto, transit propheta ad ejus adplicationem ad Judæos sub Josia; quos ad veram resipiscentiam adhortatur, & gravissimo Dei judicio, ipsis imminente, excitat. Quæ est *secunda* pars concionis, sese ad finem cap. VI. porrigens, per varios *articulos*, in progressu exhibendos. I. *Primus* continet generalem propositionem adhortatoriam & interminatoriam, omnibus temporibus congruam, & ad finem usque reip. sese extendentem, vers. 3, 4. *Profecto sic dixit Jehova viris Judæ & Hierosolymæ: sulcando illuminate vobis sulcos luminosos, & nolite serere inter spinas: circumcidamini Jehovæ, & removete præputia cordis vestri, viri Judæ & incolæ Hierosolymæ; ne forte emicet sicut ignis excandescentia mea, & flagret, absque ut quisquam eam exstinguat, propter operum vestrorum pravitatem.* Incipit oratio cum part. כי *quia*, quæ hic non habet connectendi, aut rationem reddendi, vim, uti passim accipitur, sed orationem vel simpliciter, vel cum emphasi, ut Lat. *profecto*, inchoandi. Quem usum & alibi sæpe exserit, ut Gr. ὅτι, sic, ex gr. Hos. IV: 1. Joel. IVI 1: Zach. IX: 13., & alibi. Frustra ergo in nexu inveniendo hic laborant; qui nullus alius est, ac quo adplicatio exempli Israelis ad Judam incipit. Videntur vero versus mihi ita distingui posse, ut *prior* ad idololatriæ totalem exstirpationem, *posterior* ad concupiscentiæ & vitiorum plenariam abolitionem ex animis referatur. Quod utrumque huc recte quadrat; ut respectu modi reformationem cum fructu instituendi, quam sub

Josiæ moliti sunt, informarentur accuratius. Dixerat propheta c. III: 10. Judam non *toto corde*, sed *mendaciter* se ad Deum convertere; cum quod idololatria nec de terra, nec de animis esset plene ablata, tum quod vitiorum & aliorum peccatorum semina adhuc manserint. Utrumque illud hic commendat Deus, ut faciant, *prius* vers. 3., *posterius* vers. 4. *illud* sub emblemate agri, a spinis per subactionem purgandi, ut cum successu possit conseri, *hoc* sub figura *circumcisionis*, ad carnem non simpliciter, sed & animum adplicandæ. In *priore* dicit, *illuminate vobis sulcos luminosos, & ne serite inter spinas* h.e. sicut ager probe a spinis per continuam arationem est purgandus, si cum successu sit conserendus, quod omnes norunt; ita terra vestra & animus quoque est ab omni idololatria purgandus, si optatum velitis carpere fructum, seu bonorum, quæ desideratis, fieri compotes. Reformatio ab idololatria, quam sub Josia instituerunt, vult propheta ut plena sit & perfecta, omni Idololatria, & privata & publica, ubique locorum, & Hierosolymis, & in aliis Judæ locis, abolita, simul ex animis & desideriis populi exstirpata, emblemate agri bene sulcati & a spinis purgati usus. Id enim phrasis, *sulcare sulcationem*, denotat, proprie *illuminare illuminationem*. Radix נור & ניר proprie dicit, *luxit*, *splenduit*, illuminavit, & derivatum signat *lumen splendicans*; item tractus lucidos viæ, sulcosve nitentes: unde ager a spinis, silvis, herbisve, quæ quiescenti succreverant, per arationem & sulcationem purgatus, recte dicitur ניר *relucens*, *nitens*, spatiis patentibus ac luminosis interstinctus, sulcis & tractibus luminosis pulcher & purus a. Cum *agro* comparatur terra Judæ, & simul animus & adfectio populi; *spinæ* & herbæ inutiles denotant idololatriam, & *spiritum* idololatricum, omnem prosperitatem & benedictionem impedientem, & sterilem reddentem populum. *Aratio* & *sulcatio* expingit omnia media, quæ ad idololatriam extir-

a Vid. Schultens ad Prov. XXI: 4.

stirpandam, & populum renovandum, ac nitidum reddendum, pertinent, eorumque effectum in populi convictione & conversione, non sine *poenitentia*, quae animos pungit & lacerat. *Satio* denique hic non institutionem bonam & sanam repraesentat, ut alibi, & in parabola de *satore* Matth. XIII. sicut passim ceperunt Interpretes, attribuitur enim ipsis Judaeis in genere, non doctoribus in specie, ut recte Gatakerus; sed principia & fundamenta prosperitatis ponere, & spei ac exspectationis bonorum omnium, a benedictione Dei fluentium, inter quae erat verae religionis exercitium, nunc renovatum. Admonet itaque eos Propheta, ne serant inter *spinas*, h: e: ne fructus prosperitatis sibi promittant a laboribus suis, quam diu *spinis* idololatricis adhuc obsessi sint; eas enim facturas, ut omnis ea spes in vanum cadat, nec ullum fructum, ullam benedictionem a Deo, consequantur. Inceperant quidem abolere idololatriam, sed agrum suum non recte purgaverant, spinarum reliquiae supererant, & earum *semina* manserant integra & viva in animis; agro non sulcato & purgato. Hoc in statu dicit eos non magis, quicquid fecerint, prosperaturos, quam agricolam, inter *spinas* serentem, qui omni spe excidit, & in cassum laborat.

§. LXXIV. Sed nec haec totalis idololatriae exstirpatio sufficiebat ad iram Dei placandam, ac benedictionem impetrandam; requirit praeterea Deus vitiorum & peccatorum abolitionem, sub emblemate *circumcisionis*, signi foederis; quam carnalem non tantum, sed & *spiritualem* postulat, secus ac populo videbatur, qui, *carnali* contentus, de altera illa parum cogitabat. Revocat itaque eos ad *cordis* circumcisionem, per carnalem depictam & intentam, quae sola erat circumcisio Deo congrua & accepta, quae dici possit *Deo* fieri, qui ad animum respicit, cum carnalis *hominibus* tantum fieri censeri posset, qui ad animum non adtendunt, nec penetrant, circumcisionem itaque requirit, non carnis simpliciter, sed, & *spiritus*, cujus *laus non est*, ut Apostoli phrasi utar Rom. II: 29., *ex hominibus, sed Deo. Circumcidamini Jehova*.

vovæ, dicit Propheta, adeoque vere & spiritualiter, & non externe & carnaliter tantum; *removete præputia cordis vestri*, & non *carnis* solum; adeoque concupiscentiam carnalem, & peccata quævis, inde fluentia; in quo sita est Spiritualis *circumcisio*, quæ alibi solet exponi. Quod cum ipsis injungitur, a propriis eorum viribus id non exigitur, sed *cum* officium esse ipsis injunctum, & solum medium ad favorem Dei consequendum, indicatur, *tum* media ab ipsis esse adhibenda, ut a Deo eam impetrent, *tum* eos non debere resistere gratiæ Divinæ, indicatur. De quo hic non est agendi locus.

§. LXXV. Urget denique Deus hanc adhortationem ex pernicioso consequente, inde alias orituro: *ne*, dicit, *emicet*, *sicut ignis*, *excandescentia mea* &c. Veram suam emphasin hic exserit verbum יצא, cujus origo est in *emicatione* ignis *a*. Comparatur, uti sæpe alias, excandescentia Dei cum *igni*, & *emicare* dicitur, quatenus magno impetu prosilit, & in flammam vehementiorem erumpit, cui exstinguendæ nemo esset par; uti expresse additur. Justitiæ, & judiciorum Dei esse descriptionem, satis constat, nec indiget explicatione Tantum observetur, respici in specie ad agrum, spinis obsitum, & sine cultura jacentem, qui flammis traditur: ut est Heb. VI: 8. & alibi sæpe apud Jes. & prophetas. Ceterum, licet proxime hæc interminatio pertineat ad excidium reip. per Chaldæos; extendit tamen sese quoque ad omnia sequentia tempora, & generalem comprehendit interminationem, toties implendam, quoties populus sese agrum spinosum, & præputiatum animo, contumaciter & incorrigibiliter demonstraret, donec plane & plene in perpetuum destrueretur; uti factum est per Romanos. Matt. III.

§. LXXVI. *Secundus* articulus vividis coloribus depingit destructionem populi & reip. per Chaldæos, quam Propheta tanquam præsentem ob oculos ponit, hac sub hypothesi, po-

a Schultens clav. p. 319 in primis Schroeder ad Orig. Heb. c. VIII.

pulum se non esse ad Deum conversurum: non enim interminationis conspectum simpliciter habet hæc denunciatio, sed est rei, certo futuræ, tanquam jam præsentis, descriptio, in eo fundata, quod, ut dixi, populus nihilo melior fieret, & præcedenti adhortationi aures non præberet; uti prævidit Deus. Non enim conditionate & interminatorie loquitur Propheta, sed rem futuram, tanquam præsentem, depingit. Extendit sese hæc pericopa ad vers. 13. usque; ubi repetit exhortationem. Pericopa est adfectuosa, & valde emphatica; quæ parum habet difficultatis, aut ordinis, quo decurrit, aut phrasium respectu; quare eam nonnullis observatis illustrasse suffecerit, ubi opus fuerit; ne in nimiam molem excrescat nostra commentatio. Tantum, quoad conspectum hujus pericopæ, notetur, statum & adfectiones populi hic repræsentari tempore invasionis Chaldæorum usque ad oppugnatam Tsionem, & gradatim procedi in statu eo exhibendo. *Primus* gradus est, quo, Chaldæis sese Judæam versus moventibus, omnes terrore repleti convocarentur ad urbes munitas, tanquam unica perfugia, absque ut in agris manere auderent, aut in campum cum exercitu obviam hostibus ire, vers. 5: *Nunciate per Judam, & audiri facite Hierosolymis, & dicite & clangite tuba in terra, clamate implete & dicite; congregamini, & urbes munitas ingrediamur.* Adcumulat propheta verba, quibus ad urbes munitas evocarentur, ut summam perturbationem, & terrorem omnium vividius exprimeret: *nunciate*, dicit, *per Judam*, & *audiri facite Hierosolymis*, & *dicite*, h. e. Hierosolymitanis & Judæis circum habitantibus nunciate hostem adpropinquare; reticetur, quid nunciarent; sed ex seq. facile patet id, quod dixi. Pergit propheta, *clangite tuba in terra, clamate, implete, & dicite, congregamini, & urbes munitas ingrediamur.* h. e. Hierosolymitanis non tantum significate hostium adventum, sed & clangore tubæ ac clamore per totam terram excitate omnes, ut ad urbes munitas fugiant. Quod terroris, & perturbationis generalis, est indicium. Nihil hic

diff.

difficilis: tantum not. 1. Verbum מלא hic summum rei gradum & cumulum designare, ut & alibi Ps. LXXIV: 20. Job. XXXVI: 17. & æque ad *clangorem* tubæ ac *clamorem* pertinere, ut indicetur, utrumque summo gradu esse instituendum. 2. Verbum *dicere*, quod hic repetitur, ad seq. esse restringendum, & cum iis construendum, secus ac superius *dicere:* modo in genere dixerat, *dicite*, nunc restrictius exhibet, quid per totam terram sit clamandum: antea *Hierosolymitanis*, nunc omnibus per terram dicendum erat: *illis* autem dici non poterat, *congregamini*, sed his tantum, qui extra urbes habitabant; antea *Judæ* & *Hierosol.* adnunciaretur malum adpropinquans, cunctis, nimirum qui Hierosol. & urbes munitas alias per Judam inhabitabant: nunc per omnes terræ regiones erat proclamandum. Vox ארץ itaque hic, quod notari meretur, agros, ut Ex. XXIII: 10. & loca non munita in campis, & partibus inferioribus denotat, opposite ad *urbes*, passim in montibus & collibus sitas. Vox enim ארץ in genere dicit quicquid inferius. Denique, 3. notetur, verbo האספו *congregamini* non tam collectionem in unum, quam *receptionem* sui in locum tutum indicari; uti mox sequitur. De quo verbi usu vid. Bootius *a*.

§. LXXVII. *Secundus* gradus est, quo undiquaque, etiam ex urbibus munitis, evocarentur Tsionem, tanquam unicum asylum, quod supererat; cunctis locis jam ab hoste occupatis, vers. 6, 7. ubi *a*. exhibetur, quid facturi sint, *tollite vexillum Tsionem versus, confugite ad asylum, ne consistite*, h. e. urbibus etiam reliquis relictis, festinatissime vos Tsionem recipite, tanquam asylum. Hanc enim potestatem exserit verbum עוז & העיז, quod infert confugium, tanquam ad עז aut מעוז *arcem*; uti docuit Cl. Schultens *b*. *b*. *Ratio* traditur, a progressu hostium sumta, qui a septentrione excitati a Deo, tanquam judice, instar leonis e lustro, & corruptoris gentium, terram vastarent, & urbes quoque munitas, sola relicta Tsione, sed & illa brevi delenda, *quia malum*

a Anim. S. L. I. c. 10. *b* ad Har. cons. IV. p. 67.

quassans ego supervenire facio e septentrione, & confractionem magnam. Aestuans adscendit leo e lustro suo, & vastator gentium castra movens emicat e loco suo, ad terram tuam ponendam in desolationem; urbes tuae conflagratae desolabuntur, ne sit incola. Nihil hic obscuri. De verbo תִּצֶּינָה *conflagratae vastabuntur* dixi supra. Notetur tantum epitheton Nebucadnezaris מַשְׁחִית, sive *perditio*, sive *perditor*, (potest enim vox vel subst. vel adject. capi,) *gentium*; habet enim hic egregiam emphasin, qua *grassatorem latrocinatorem* dicit, & *sicarium*, quem Arab. *perditorem* κατ᾽ ἐξοχὴν adpellant. Vid. Schultens a. Ceterum figuratae Nebucadnezaris descriptioni, qua cum *leone e lustro* adscendente comparatur, mox subjungitur magis propria, qua instar vastatoris gentium e loco suo cum impetu dicitur emicaturus. *Tertius* gradus summum populi terrorem, ex irae Dei imminentis sensu ortum, depingit, vers. 8. *Propter hoc cingimini saccis, plangite & ululate: profecto non resedit exaestuatio nasi Jehovae a nobis.* Luctus & non poenitentiae esse signa, hic memorata, recte advertit praeter alios Schmidius: loco poenitentiae, quam spreverunt, dicit Propheta, eos in summum luctum esse conjiciendos, & volentes nolentes confessuros, *iram Jehovae vehementissimam* sibi imminere, minime sedatam, uti falso sibi imaginabantur hoc tempore. Emphasis est in vocula זֹאת *hoc*: quae subinde gravissimam calamitatem exprimit, uti saepe observavi. Respicit ad superiora, ut facile intelligitur. Sed in primis notandum est, *ultima* verba, *quia*, vel *profecto, non resedit* &c.: non esse prophetae, sed populi ejulantis, & materiam ejulationis continere; uti liquet, vel ex eo, quod dicatur, *non resedit a nobis.* Intelligi poterit per ellipsin, *dicentes*, vel לֵאמֹר, uti saepe alias. Vocula כִּי recte censetur inchoare sermonem cum emphasi, ut supra vidimus ad vers. 3. Verba licet emphatica sint, habet tamen structura orationis majorem emphasin, quam ad primam speciem videtur: לֹא *non* enim non est simpliciter *negans*, sed cum empha-

a ad Prov. VI: 11. XXVIII: 24.

phasi negans, vel adfirmans contrarium; ut sit, *nihil minus* quam resedit, sed cum maxime incumbit: uti sæpe alias. Verbum שׁוב eleganter adhibetur in *æstu* maximo, identidem & statis vicibus redeunte, unde faciem induit & *crescentis* & *decrescentis* æstus; hic pro *decrescente* sumitur, ut phrasis dicat, *resedit æstuatio nasi*: nam חרון proprie dicit *æstuationem, flagrationem strepentem*, & de *naso* usurpatum summam iram ac indignationem pingit; uti & hic *naso* adtribuitur.

§. LXXVIII. *Quartus* gradus summam *desperationem* primorum populi, cum *stupore* conjunctam, continet, vers. 9, 10. Desperationis & stuporis picturam exhibent hæc verba, vers. 9 *Eritque illo die, dictum Jehovæ, peribit cor regis, & cor principum, & obstupescent sacerdotes & prophetæ attonabuntur.* h. e. Rex & principes, qui civitatem tueri deberent, animis despondebunt, & omnia sana consilia perdent, quid agant, quove se vertant, nescii. Quæ omnia complectitur phrasis, *cor peribit*: *cor* enim & prudentiam, & fiduciam ac animositatem, ut 2 Sam. XVII: 10. & alibi, denotat. *Sacerdotes* vero & *prophetæ* præterea tanquam siderati obstupescent, & tonitru quasi percussi alterabuntur mente, & attoniti hærebunt; quia populum & seipsos falsa spe fefellerant, promittentes omnia bona & prospera. Verba sunt emphatica שׁמם & תמה, *prius* enim proprie est *sideratum* tanquam urente & pestifero adflatu, unde inter alia ad mentem attonitam, & obstupefactam transiit; *posterius* & alterationem odoris ac saporis, & attonitæ mentis conturbationem dicit, quasi de coelo tacta & alterata sit a. Subjungit Propheta rationem & argumentum stuporis, & mentis alteratæ, vers. 10. *Et dicam, ahi Domine Jehova! certissime decipiendo decepisti populum hunc & Hierosolymam, dicendo, pax erit vobis, & pertingit gladius ad animam.* Quæ vel *adfirmative* capi possunt, vel *interrogative*. Priore modo sensus erit, vel, Deum populum tradidisse spiritui deceptionis per falsos pro-

a Vid. Schultens clav. p. 207.

phe-

phetas; ut *decipere* sit, sinere decipi, & per modum judicii tradere efficaciæ deceptionis, sicut 1 Reg. XVII: 23. *Deus dedit spiritum mendacii in ore prophetarum illorum*. Act. VII *dedit* vel *tradidit* eos *servire exercitui coelorum* Qualia plura sunt a Glassio & Interpretibus ibi producta *a*. Deceptio enim a prophetis & sacerdotibus profecta est, non a Deo, tanquam causa efficiente, uti constat, & c. VI: 14. ac alibi diserte habetur. Sed cum Deus ita non agat, nisi præcedente prava hominum dispositione & inclinatione; qua ad id, cui a Deo traditur, pronus est, illud ipsum & hic locum habere, sicut res ipsa demonstrat, ita vocula nm in phrasi, *populum* nm *hunc*, haud obscure indicat. Populum enim esse talem, qui *decipi* velit, ut est, c. V: 31., innuit. Alii explicant, *declarasti*, patefecisti, eos esse deceptos; quod phrasi minus convenit, & ex seq. *dicendo* refutatur; illud enim ad deceptorem pertinet: *vel* etiam sensus esse potest; *dicam*, quod populus & falsi prophetæ dicere debeant, si veri fuissent prophetæ, dicam illud absurdum & impium; *profecto tu decepisti populum*: ut sic prostitueret falsos prophetas, eosque mentitos esse demonstraret; argumento ex hoc absurdo petito, quod Deus sic decepisset populum, si illi vere a Deo fuerint missi. Cum dixisset, *sacerdotes* & *prophetas* in stuporem esse conjiciendos, videntes se deceptos & populum decepisse, subjungit quid dici tunc deberet, si veros se esse prophetas tenere & defendere velint; *Deum populum decepisse*: hoc se quoque dicturum esse dicit propheta; *dicam itaque*, ait, *decepisti populum, Jehova*; si vere a te missi sint, quod jactant prophetæ illi. Quod cum absonum & impium sit, falsos se tunc fateantur prophetas, necesse est. Potest quoque ironice, & sarcastice, accipi; *dicam*, scilicet! *ah! Domine: profecto decepisti populum*, sicut illi prophetæ dicere debebunt. Sed posset etiam verbum, & *dicam*, interrogative capi, ut fortius negetur, ut & *dicam* sit pro

a Jud. IX: 23. 2 Sam. XXIV: 1. Ez. XIV: 9. 2 Thess. II: 11. & alibi.

pro *dicamne?* nihil minus, absit! non Deus, sed ipsi prophetæ in culpa sunt; & populum deceperunt; *dicamne?* ut illi debebunt, in stuporem acti. Nec insolens est hic particulæ usus; ut vel ex Noldio notum est. *a*. Ceterum solet verbum השא cum dat. construi, ex propria verbi potestate, qua *imponere* denotat, ut sit imposita sarcina naso circumduxit; h. e. decepit, ut Lat. *imponere*. Unde simul patet, errare Schmidium, qui vertit, *coram populo hoc*; putat enim de ipsis prophetis agi, a Deo deceptis coram populo; phrasibus repugnantibus, etiam particula אהה *ah!* quæ est *dolentis*.

§. LXXIX. *Quintus* gradus est in ultimo præsidio, quo populum lactarent eo tempore desperato, quum urbs a Chaldæis jam obsessa erat, prostituto, & e medio sublato, quando tandem confiterentur, secum esse actum; vers. 11--13. *Illo tempore dicetur huic populo & Hierosolymis: ventus nitens collium in deserto, via populi mei, non ad ventilandum, nec ad purgandum. Ventus plenus præ illis*, vel *plenus exsecratione, veniet mihi. Nunc etiam ego pronunciabo judicia ipsis. Ecce instar nubium irruet, & sicut turbo currus ejus, veloces præ aquilis equi ejus. Væ nobis, quod vastati sumus*. Exponamus hæc per partes. *Illo tempore*, scilicet, *quo gladius* ad *animam pertingeret*, uti modo erat dictum, seu Hierosolyma, anima corporis populi, arcte cincta foret ab hostibus: *illo tempore dicetur huic populo* & *Hierosolymis*, nimirum a primoribus & nunciis ad populum, jam fere desperatum, erigendum, & vana spe lactandum; quod ultimum erit refugium. Quid vero dicetur? *ventus nitens collium in deserto, via filiæ populi mei, non ad ventilandum, nec ad purgandum*, sed, quod supplendum est, in meliorem usum, ad populum adjuvandum & serenandum: phrasis, *non ad ventilandum* &c: nihil aliud denotat ac alium venti scopum, longe utiliorem, adeoque, ut dixi, ipsum populum, & non frumentum, serenum & purum ab omni malo & periculo

O con-

a Vid. etiam ad Mal. I: 7. §. 21.

constituendum: sic Jes. xxix: 9, *ebrii & non vino*, h. e. non sicut a vino, sed alia longe & majore ebrietate a. Sic & Am. VIII: 11. *fames non panis, sitis non aqua, sed audiendi verbum Jehovæ*, quod huc proxime accedit. Cujus autem usus foret hic ventus, non explicite, sed implicite indicatur epitheto *sereni collium*; ventus est serenus a collibus veniens, & colles ipsos serena luce perfundens; adeoque eo tendens, ut Tsionem illuminet, & tenebras, ipsi incumbentes a Chaldæis, dispellat. Ex quo manifestum esse reor, non Chaldæos, sed Aegyptios intelligi, ad Hierosolymam ab obsidione liberandam, ac luce prosperitatis ac libertatis perfundendam, tendentes. Cujus & hoc indicium est, quod *ventus* non a septentrione, sed *meridie*, seu *deserto* venire dicatur. Verba itaque sunt non mala, sed bona nunciantium, & populum spe liberationis ab Aegyptiis lactantium.

§. LXXX. Sed hoc subsidium in vanum cessurum, & hunc ventum longe vehementiore retundendum, ac dispellendum, declarat Deus, qui loquens introducitur, his verbis, vers. 12. *ventus plenus præ illis veniet mihi, nunc etiam ego pronunciabo judicia ipsis*, h. e. illo ipso tempore & *ventus serenus* adnunciabitur ipsis, & *ventus*, longe fortior, aliunde veniet meo jussu; etenim ego quoque ultimam sententiam destructionis proferam, & exsequar in eos. Opponitur *ventus vento*, ille hoc vehementior, uti phrasis, *plenus præ illis*, indicat; non dicit *præ illo*, vento, sed *illis*, ad venti sensum emblematicum, quo exercitum se moventem pingit, respiciens: uti sæpe alias. *Ventus* vero *plenus* est, si ad originem verbi מלא respicias, bene *fartus*, densus & *stipatus*, si ad usum attendas, summus & vehemens, uti ad vers. 5., vidimus; adeoque vehemens simul, simul omnibus particulis crassis, & tenebricosis, refertus intelligitur, opposite ad ventum serenum & nitidum, modo memoratum. Sunt, ut Capellus, qui, punctis mutatis, legunt מאלה, ut sit ventus *exsecratione* plenus, quod non ausim spernere: vid. Jer. XXIII: 10.

a Vid. Schultens ad Job. xxx: 28. & Prov. VIII: 10.

ro. Jes. xxiv: 6. Zach. v: 1, 3. Sed potest utroque modo sumi, pro punctorum diversitate, quod & alibi locum habet. Caeterum verba esse Dei, & subintelligendum, *dictum Jehova*, viderunt Interpretes, & res certa est ex ultimo membro, quod Dei proprium est, & c. 1: 16. simili casu de Deo usurpatur: nec turbat phrasis, *veniet mihi*; non enim dicit, *ad* vel *in me*, sed *mihi*, per pleonasmum emphaticum, quo jussus & directio Dei simul ob oculos ponitur. Deum vero hic loqui, phrasis *populi mei* vers. praecedente quoque indicat. Sed verba Dei sunt respondentis ad superiorem nuncium de vento sereno; & *Chaldai* intelliguntur per ventum vehementiorem, qui Aegyptios ad liberandum populum advenientes profligarent, & totam illam spem frangerent.

§. LXXXI. Consequens foret tristis, lamentabilis, & desperabunda vox populi, loco laetae & spei plenae, paulo ante auditae cum nunciaretur ventus serenus; his verbis: vers. 13. *ecce instar nubium irruet, & sicut turbo currus ejus, veloces prae aquilis equi ejus: vae nobis, quod vastati simus*, vel, *vae nobis! vastati sumus.* Explicatio est *venti pleni* adventantis, & sententiae destructionis pronunciatae; uti facile cernitur, & populus introducitur loquens: uti ex ultimis verbis manifestum est. Stylus concisus & abruptus, de affectu testans, fecit, ut personae loquentis non fuerit expressa facta mentio; uti saepe fit in verbo Prophetico. Populus vero eo aptius in scenam prodit, quod hic declaretur, spem supra datam evanuisse, & populum se sensisse tandem omni parte deceptum. De phrasibus emblematicis *nubium*, *turbinis* & *aquilarum*, nihil dico; cum nihil habeant difficilis: tantum not., respici ad *ventum plenum*, seu nubilosum & procellosum, ut facile intelligitur.

§. LXXXII. *Tertius* articulus adhortationem ad veram resipiscentiam, vers. 4. in genere factam, repetit, tanquam unicum medium semp. servandi, eamque urget ex Israelitarum a Gentibus destructorum exemplo, nec non instanti Chaldaeorum adventu ad Hierosolymam destruendam, vers. 14-18.

Lava cor tuum a nequitia, Hierosolyma! ut serveris. Quousque molliter cubabunt in medio tui cogitationes vanitatis tuæ? Quia vox nuncii e Dan, & proclamantis vanitatem e montano Ephraim. In memoriam revocate gentes: ecce audiri facite contra Hierosolymam, observatores venientes e terra longinqua. Et dabunt contra urbes Judæ vocem suam. Sicut custodes agri sunt contra eam undiquaque, quia me acerius sua rebellione strinxit: inspiratum Jehovæ. Via tua & facinora tua fecerunt hæc tibi. Hoc est malitia tua, quia acerba, quia pertigit ad cor tuum. In qua pericopa 1. occurrit ipsa adhortatio, vers. 14. *lava cor tuum a nequitia, Hierosolyma, ut serveris.* h. e. idololatriam, & apertam legis violationem, non sufficit aliquatenus omisisse, sed ipse animus est ab iis abstrahendus, & purgandus; ut dixerat vers. 4. & conversio ad Deum est toto corde instituenda, non mendaciter & hypocritice, uti c. III: 10. habuimus: quod unicum medium est status vestri firmandi, & ab excidio liberandi; sicut cujuscunque salutis & liberationis est unica via in hac & futura vita. Non enim necesse est amplitudinem verbi *servandi* restrinxisse. 2. Urgetur adhortatio α. ex vanitate cogitationum & consiliorum ad remp. servandam qualicunque præter hanc veram resipiscentiam, ibid. *Quousque molliter cubabunt in medio tui cogitationes inanitatis tuæ.* h. e. quousque animum tuum lactabis vanis cogitationibus de tua præstantia, opibus & robore; acsi tibi firmando sufficerent. *Cogitationes vanitatis*, uti vox און ejusdem originis ac אין *nihil*, opposite ad יש *solidam* existentiam, recte vertitur, omnia illa præjudicia, consilia & molimina continent, quibus statum suum durabilem & firmum futurum credebant Judæi, præter resipiscentiam veram. Cum vero vox און subinde etiam *vigorem*, opes & robur, designat, eam significationem & hic admittere licet, sed ita ut propheta omnia illa simul hac voce declaret *inania* & *nihili*. Cum autem ea ratione a vera resipiscentia abstraherentur, & a recta via remp. tuendi aberrarent; admonet eos, ut eas

co-

cogitationes non amplius foverent; *quousque* dicit, *molliter cubabunt in medio tui*, proprie *cubabit*, *cogitationes*, pro unaquæque earum; quo nihil est usitatius. Verbum תלין rectius pro tert. fut., quam *secunda* habetur, quia minus recte cum Hierosolyma construeretur. De verbi potestate in *fomentando*, vel *calidius fovendo*, alibi dixi ad Ps. XLIX., quod huc recte quadrat.

§. LXXXIII. β. Nova instantia petitur ab Israelitarum exemplo, qui similibus vanitatibus decepti gravissimum excidium sunt experti; & eandem sortem annunciant Hierosolymitanis, vers. 15. *Quia vox nuncii ex Dan*, & *proclamantis vanitatem ex monte Ephraim*, scilicet, olim ad vos delata adhuc in auribus vestris auditur, & de novo clamat, nimirum id, quod mox sequitur. Exemplum Ephraimitarum hic Hierosolymitanis putem ob oculos poni, sed ita, ut eandem sortem nunc instare Tsionitis, eadem fama, quæ olim excidium Israelitarum adnunciavit, proclamet; acsi haberetur: *vox* ex Dan & Ephraim, excidii Israelitarum nuncia, sicut olim ad vos delata est, ita & nunc vobis clamat, *recordamini gentium* &c. Qua ratione omnia recte cohærent: simul verus conspectus horum verborum adparet. Verba itaque nostra eo directe tendunt, ut ultimam Ephraimitarum calamitatem, ex vanis eorum consiliis quoque ortam, Judæis in memoriam revocent; adeoque ultimum illud excidium eorum contineant; cujus indicium est 1. in *Danis* & *montani* Ephraim mentione, 2. in *vanitatis* & iniquitatis Israelitarum, tanquam argumenti adnunciationis, commemoratione: *Dan* & *montes* Ephraim memorantur tanquam duo termini regni Israelitici, adeoque totum regnum proponunt. *Argumentum* nuncii dicitur fuisse און; h. e. cum iniquitatem, tum excidium, quo ad nihilum redactus est populus Israeliticus: quem utrumque significatum vox habet, & hic conjungimus. *Dan* vero & *montanum* Ephraim eo aptius memorantur, quod iniquitatis sedes fuerint, *Dan* & *Bethel*, ubi vituli Jeroboamitici fuerunt, excidium quoque inceperit a Dan, &

se per totum regnum extenderit ad montanum Ephraim, denique quod hostes, qui Judam exscinderent, inde invaderent Judæos. Quibus omnibus hic locum dare licet, tanquam ad scopum recte facientibus; circa quæ Interpretes sunt distracti.

§. LXXXIV. γ. Subjungit propheta, ut adhortationem superiorem in animos fortius infigeret, quid eadem vox, antea audita, & nunc clamet adhuc ad Judæos, vers. 16. *In memoriam revocate Gentes, ecce audiri facite contra Hierosolymam observatores venientes ex terra longinqua.* Hic sententia finienda est, & reliquæ voces cum sequentibus conjungendæ sunt, ut mox patebit. Cohærent etiam recte *observatores* cum *audiri* facite, reliqua per particulam conjunctivam *&* inde separantur. Sensus est, vox Ephraimitarum excisorum adhuc clamat ad omnes, ut recordentur gentium, quæ Israelem destruxerunt, & nunc omnia inundare incipiunt, utque vocem observatorum, venientium ex terra longinqua, contra Hierosolymam audire faciant, nunciando, scilicet, instare eorum adventum, & urbes Judæ ac Hierosolymam esse hostiliter ab iis invadendam. Phrasis, *commemorare gentes*, vel *earum recordari*, uti verba sunt vertenda, eo tendit, ut gentium destructricium populorum memoria renovetur a Judæis: facite, o Judæi! ut ad animum revocetis, quid sint, quidve fecerint *Gentes?* & inde colligatis, quid vobis exspectandum sit: quando recte subjungitur, *ecce audiri facite*, h. e. facite, ut omnes Judæi *audiant*, quid? *contra Hierosolymam*, scilicet clamantes *observatores venientes e terra longinqua.* Non dicitur, *Hierosolymam audire facite*, sed על *contra Hierosolymam*; adeoque subintelligi debet, *vocem edentes observatores*, uti mox explicatius traditur. Sed qui sunt נצרים? custodes, non servantes, sed *observantes* & *insidiantes*; uti ex re ipsa non tantum facile intelligitur; sed usus verbi נצר quoque ostendit: sumitur enim in malam partem aliquando pro *observatore* & *insidiatore*. vid. & Job. VII: 20. Prov. XXIV: 12. quod etiam in vicina radice

נצר

-er obtinet, Lev: xix: 18. Jer. III: 5. 12. Ps. CIII: 9. Chaldæos intelligi, manifestum est.

§. LXXXV. 2. Confirmat propheta nomine Dei hunc nuncium, & rem ita vere futuram declarat, addita ratione seu causa, in populi perversitate quærenda, vers. 16--18. his verbis: *Et dabunt contra urbes Juda vocem suam*, seu hostilem clamorem, quem oppugnantes urbem edere solent; *sicut custodis agri sunt contra eam*, ipsam Hierosolymam quoque, *undiquaque*. h. e. cingent eam, imo est acti jam cinxerint, tam certo id eveniet, quam arctissime, uti agrum solent *custodes* in usum suum, ne quid intret, aut exeat, vel potius *observatores*, agro intenti & imminentes, ut, occasione data, intrent & diripiant, quemadmodum vox sumitur Jud. 1: 24. Cujus rei causa est *rebellio* urbis contra Deum; sic enim pergit, *quia me acrius strinxit*, contra me obstrigillantes, & ducentem meam manum retractando stringentes, adeoque sese mihi & legi opponentes, ac rebellantes. Verbum enim מרה proprietatem habet in *acrius stringendo manum*: unde met. *retractare*, manum ducentis acrius stringendo. Concludit, populum sibi ergo imputare debere hanc calamitatem, & non Deo, vers. 18. *Via tua & facinora tua fecerunt hæc tibi; hoc est malitia tua*: hoc tantum malum est a malitia tua. Vocula זה *summum malum* subinde dicit, ut supra & sæpe alias notavi: pergit, *quia acerba*, seu *acris* & fortis, insuperabilis, *quia pertigit ad cor tuum*, te totum & medullitus infecit; vel & te totum penitus vastavit; sicut vers. 10. *gladius* pertigit *ad animam*. Vocula itaque כי *quia* repetita facere potest, ut alterum ad *malitiam*, alterum membrum ad זה *hoc*, seu *calamitatem*, referri possit.

§. LXXXVI. *Quartus* articulus querulas Prophetæ & acerbas lamentationes, ex intimis visceribus prorumpentes, super hostili invasione, & eam secuta vastatione totius terræ, sibi revelata, & in scena ob oculos posita, continet, cum lamentabili interrogatione *quousque?* & responso Dei, caussam tradentis, in populi corruptione & stultitia quærendam, vers.

verf. 19-22. Quæ pericopa conſpectum præfert colloquii cum Deo, coram quo querelas effundit, & quem de exitu calamitatis rogat, & a quo reſponſum accipit, uti ex verſ. 21 & 22, manifeſtum. Quem animi adfectum & eo ſcopo patefacit Propheta, ut *cum* de convictione & perſuaſione ſua de futura & inſtante adflictione certius conſtaret; *tum* præjudicium populi a ſe amoliretur, acſi aut pro lubitu declamaret in populum, aut voluptatem in ejusmodi concionibus interminatoriis ſentiret; cum omnia alia experiretur, non niſi coactus & ex amore populi ita inſtitueret. Offert autem ſeſe hac in pericopa 1. *a.* lamentabilis & acerba, ex intimo animi dolore orta, quiritatio ſuper vaſtatione terræ, ab hoſtibus profectura, quam animo tanquam præſentem contemplabatur, verſ. 19, 20. *o viſcera mea, viſcera mea! parturientis inſtar dolore luctor: o parietes cordis mei! æſtuans mihi eſt cor meum, non ſilebo: quia ſonum tubæ audiviſti mihi anima mea, clangorem bellicum: Confractio ſuper confractione proclamatur; quia vaſtata eſt tota terra; ſubito vaſtata ſunt tentoria mea; momento aulæa mea.* h. e. Tantum animi luctum, & æſtuationem tantam, ſentio, ut non poſſim non ſilentium rumpere, & exclamare, o viſcera mea, o parietes cordis mei, ſeu præcordia! nec ratio deficit urgens; animo enim meo obverſatur ſonus tubæ, & clangor bellicus, hoſtium itaque invaſio & oppugnatio undiquaque: vaſtatio quoque, una poſt aliam, *aures* meas circumſonat, adeo ut tota terra mihi objiciatur vaſtata, tentoria & aulæa mea, ſeu populi mei, ſubito & momento deſtructa conſpiciantur. Quæ paraphraſis ſenſum & ſcopum pericopæ in ſat clara luce poſuit, ut paucis poſſim defungi obſervatis. 1. *Viſcera & parietes cordis* per ſe ſtant, & exclamationis conſpectum habent, ut ſit, *o viſcera, ó parietes!* quo emphaſis orationis augetur. 2. Viſcera ſunt *inteſtina*, & *parietes* cordis ſunt *præcordia*, cor cingentia & tuentia: quod jam occupatum eſt. 3. Verba, *dolore crucior*, & *æſtuat mihi cor*, rationem

dant

dant exclamationis, seu molestissimæ adfectionis viscerum & præcordiorum, illorum a dolore parturientis, horum ab æstuatione cordis. Verbum enim חול & יחל sedem habet in *versando*, στρέφειν, unde inter alia transiit ad *dolorem parturientis*, quasi στρέφεσθαι *versari, torqueri*; ergo torqueri multa versatione, quod est *parturire a*, tribuitur itaque recte visceribus. Alterum verbum המה proprie dicit, *æstuavit*, *æstu efferbuit*, & המיה signat *æstuationem* cum *vociferatione* & fletu conjunctam, quæ cum *præcordia* tangat & moveat, recte de iis adhibetur. 4. Ex quo simul patet, recte subjungi, *non silebo*, h. e. nihil minus, sed in fletum & lamentationes erumpam; præ dolore & æstuatione exclamans, o viscera, o præcordia mea! Sed illud, *non silere*, simul involvit propositum promulgandi calamitatem populi, tanquam *causam*, vel & effectum, harum adfectionum; ut *non silebo* vel idem sit, ac rationem & causam non tacebo, vel, adeo instar parturientis, & æstuantis, corde constringor, ut ingratam prophetiam, quam premere vellem, continere amplius nequeam, sed in eam volens nolens erumpere debeam vocem, quæ totalem ruinam denunciat. Vid. c. xx: 9. & Job. xxxiii: 18. 19. In quam eandem fere cogitationem incidit Ghislerus, ansam ipsi præbente loco Eccles. xix: 11, 12. ut ipse fatetur. Quando 5. recte additur, *quia sonitum tubæ, classicum belli, audivisti anima mihi:* quam emphasin habet י in שמעתי *audivisti mihi:* lectio enim textualis sana est, & verbum est sec. foem. cum י paragogico. *Audivisti anima* non sine ratione dicit, ut indicaret intimam & certam non tantum notitiam, sed & nondum extra, sed intra se adhuc, in animo & Spiritu prophetico, rem futuram tanquam præsentem sistendo. 6. Addit, *confractio super confractione*, seu alia post aliam, continua serie, *proclamatur*, non *occurrit*, ut alii cum קרה confundentes; nam *proclamatur* rectius cum superiore *audire* cohæret. Sumitur vero verbum pro *præconis instar* promulgare, ut Deut. xxxii: 3. & alibi. 7. Deni-

P que

a Vid. Schultens ad Prov. xxxi: 19.

que *tentoria* & *aulæa* memorantur, ut partim subitanea & facillima destructio terræ exprimeretur cum emphasi, haud secus ac *tentoria* & aulæa omnes domus, omnes urbes, destructæ sunt, res momentanea cum *tentorio pastoris* comparatur, Jes. XXXII: 22., ut jam notavit Sanctius, partim universalitas destructionis indicaretur, tanquam quæ ad ipsas casas se extenderet, ut Calvinus monuit, quæque, quod addo, nullum relinqueret locum vel ipsis pastoribus & gregibus. Tentoria sua adpellat propheta, ut relationem suam ad populum indicaret, & se æque adfectum esse, acsi omnia essent sua tentoria.

§. LXXXVII. β. Lamentationi adjungit interrogatum, cum expostulatione aliqua conjunctum & deprecatione, de diuturnitate hostilis grassationis per terram, vers. 21. *quousque videbo vexillum, audiam sonitum tubæ?* sive signa bellica, & hostilem destructionem: quod facillimum est. Interrogatum est, *quousque?* cujus sensus est; diu jam vidi & audivi, & tota terra jam vastata est, sola restat Hierosolyma; hanc enim periodum temporis prophetæ fuisse obversatam, ex superioribus patet. *Quamdiu* nunc? an diutius? nonne satis diu? an ipsa metropolis cum regno & religione cadet? sed interrogatum est cum aliqua expostulatione & deprecatione conjunctum; idne tuæ ad populum relationi tuisque virtutibus convenit? tantumne excidium populus tuus meruit? quæ ejus potest esse ratio, Te ad id necessitans? Qua amplitudine esse capiendam interrogationem prophetæ, sequens responsum evincit, cum nihil, nisi hanc *rationem*, contineat. γ. *Quæ* tertia est pericopæ *pars*, vers. 22. *Quia stupiditate est crassus populus meus, me non agnoscunt, filii stultitia faculenti sunt, & non intelligentes: ad malum faciendum sapientes sunt, sed bonum agere nesciunt.* Verba esse Dei, facile adparet, quibus respondet interrogato præcedenti; introducit itaque propheta Deum sibi ad querulam interrogationem respondentem, nullo addito indicio, sed sua sponte, acsi ipse sibi responderet, ut simul indicaret, suum

etiam hoc esse responsum, seu se illud adprobare. Verum, ut nexus adpareat, notetur, interrogatum prophetæ simul, quod modo dixi, tacite comprehendisse expostulationem & *rationis*, seu causæ, petitionem: *usque quo* & *quare videbo* &c: quando responsum recte habet *quia*; acsi dixisset, durabit ulterius ob hanc rationem: *quia* populus in stultitia sua perseverat; stultus est, nec resipiscit. Vid. etiam Schmidius. In verbis nulla difficultas: tantum notetur emphasis orationis & elegantia 1. in titulis *populi Dei* & *filiorum*, h e. populi, in origine & vi destinationis, *generosi* ac *nobilis*, & *filiorum* præclaræ familiæ & bene educatorum, ac institutorum, illustrissimæque hæreditatis: quam emphasin habent illi tituli. Hic talis populus est *crassus* instar lactis acescentis condensati, degener & stupidus: hanc enim originem præfert אויל *insipidi* & *densi*, unde ad stolidum & stupidum facilis est transitus a: hi tales filii sunt *fæculenti* & de fæce populi: quam potestatem habet vox סכל, cujus potestas sita est in *fæculento*, crasso, concreto instar turbidi sedimenti: & pro *fæce* populi venire videtur Eccles. x: 8. 2. in phrasi *& non intelligentes*, נבונים, quæ & adliterationem habet ad נבל, & emphasi pollet, qua non tantum *non intelligentes*, sed *nihil*, imo nihil minus quam intelligentes denotat.

LXXXVIII. *Quintus* articulus imaginem totalis destructionis terræ continet, ad vivum expressam, coloribus, a primo statu terræ ante creationem, seu ordinationem ejus, Gen. 1. petitis potissimum, pictam, quæ aliquid trahit de hyperbole; vers. 23-28. *Intuitus sum terram hanc, ecce vaga est & vacua, & coelos, nec est splendor eorum. Vidi montes, & ecce intremiscunt, & omnes colles sese leves præstant. Inspexi, & ecce vacuitatem hominum, omnesque coeli volucres avolarunt. Contemplatus sum, & ecce carmelus* (terra fertilis) *est desertum, & omnes urbes ejus destructa sunt: præ facie Jehovæ, præ æstu*, inquam, *nasi ejus. Quia, sic dixit Jehova, sideratio erit tota terra, at consummationem non faciam*,

a Vid. Schultens ad Prov. 1: 7. XIV: 24.

ciam. Propter hoc lugebit terra, & squalidi erunt coeli desuper: propterea quod dixi destinavi, nec poenitebit me, nec recedam ab eo. Propheta cum dolorem suum fuisset testatus, & de duratione calamitatis interrogasset, ejusque causa; nec non ex responso Dei intellexisset, præ populi indomita indole & corruptione invincibili, cum omnem bonum mentis motum & sensum perdidisset, destructionem non esse abrumpendam, sed ad statutum finem perducendam; repetit filum orationis, & in destructionis tragicam descriptionem totus se effundit; ut, si pote, stultum populum excitet ad seriam adtentionem. Prophetæ enim, & non Dei, quod Coccejus vult, esse orationem, facile patet, & communiter statuitur, cum quod *vidi*, sæpius repetitum, rectius in Prophetam, in contemplationem temporum illorum ductum, quadret, tum quod vers. 26 & 27 dicto Dei confirmet. Ad orationem & phrases nihil admodum habeo notandum, quod ab Interpretibus non est occupatum: quare non diu morabor. 1. Not. vers. 26. accipi debere tanquam conclusionem, seu summam superioris picturæ hyperbolicæ, ad simplicem sensum redactæ; adeoque *Carmelum* non esse montem, eo nomine notum; sed terram Judæam in genere, a fertilitate sua *Carmelum* dictam: uti liquet, quod mox addatur, *urbes ejus vastatæ sunt.* Quemadmodum *Carmel* pro imagine populi Dei sumitur. Jes. XXXII: 15. XXIX: 17. 2. Posterius membrum, vers. 27. *& consummationem non faciam*, continet temperamentum prioris membri, idemque est, ac; *nec tamen, at*, vel *sed, consummationem* non faciam, ut ex c. v: 18. & aliunde manifestum est, & a nonnullis recte observatum. 3. Posterius membrum, vers. 28. *propterea quod dixi; destinavi, nec poenitebit, nec recedam ab eo*, dupliciter capi potest, ut sensus sit, vel, *dixi*, quod firmiter mecum *constitui*, absque ut ulla poenitentia ducendus sim &c: quando ellipsis est τῷ [illegible] ante [illegible]: vel, *dixi destinavi*, & *dixi*, & firmiter *constitui* mecum; nec *poenitet*, quod *destinavi*, nec ab eo, quod *dixi*, exsequendo recedam, donec perfecero;

Qua

qua ratione, *non poenitet*, pertinebit ad *destinationem*, & *non recedam*, ad *dictum Jehovæ*. Ceterum emphasin habet verbum זמם, denotat enim cogitationem fixam, quam quis cum animo destinavit, & unde avelli nequit; a primaria notione *alligandi* firmius *revinciendi*, speciatim capistro a.

§. LXXXIX. *Sextus* articulus *vanitatem* fiduciæ Tsionis, in media totius terræ destructione, in idolis & amasiis positæ, coram quibus se ornare pergebat, perstringit, & in acerbum luctum eam esse mutandam declarat, oratione ad ipsam Hierosolymam, tanquam meretricem sese magnifice ornantem, ut amasiis placeat, versa. vers. 29..31. Qua in pericopa Tsion introducitur, non ut destructa jam, quod multis placet, sed in medio destructæ terræ sola superstes, & a vastatione proxima, uti liquet cum ex vers. 29., ubi urbes memorantur desertæ, quum Tsion se ornaret ad placandos amasios; tum ex vers. 31., ubi defatigata dicitur coram occisoribus & desperabunda. Interpretibus imposuit verbum שדוד vers. 30. quod *vastatum* vertunt, & cum Tsione construunt; male, cum repugnat *genus*; est enim Tsion foem., sub meretricis persona proposita, & שדוד masc: gen.; de quo mox. Verti autem sermonem ad Tsionem, liquet ex vers. 31. quam clarissime. Occurrit vero in hac pericopa a. totius terræ conditio misera & deploranda, vers. 29. *propter sonitum equitis & sagittarii omnes urbes fugam capessunt, omnes urbes intrant densas silvas, & petras adscendunt, omnes urbes sunt desertæ, nec in illis est habitator*. Sensus est, incolas partim metu hostium adventantium esse dilapsuros, tantum abest, ut in aciem prodirent; partim, occupatis & excisis urbibus, esse dispergendos, & in latebras sese recepturos. Nihil hic difficile, modo not. 1. כל *omnem* urbem dicere, non *totam*, acsi de una diceretur; uti vel ex seq., ubi *in illis* negatur fore habitatorem, elucescit. 2. voce עבים non *nubes*, ut nonnulli putant, etiam ipse Schmidius, sed sylvas & nemora, quam potestatem apud Arabes habet, significari

a Vid. Schultens ad Prov. XIV: 17. XXX. 31. [illegible]

a propria radicis potestate, in *constipatione farta*, & *densitate* sita. *Nubium* enim hic nullus locus est, & mox *rupium* additur mentio, quæ *sylvis* recte adduntur. β. Hac lamentabili in terræ conditione Tsionem pessime res suas instituere, docetur vers. 30., oratione ad eam versa, *& tu vastatori quid facies?* (in vanum & frustra laborabis,) *quia coccinea veste te indues, ornatu auri te instrues, oculos tuos lacerabis quasi stibio, in vanum te pulchram reddes, animo in te sunt exulcerato amasii tui, quærent tuam animam.* Comparatur Tsion cum meretrice, in specie Jezabel, ut recte Sanctius, quæ, Jehu hostili animo adventante, se pigmentis, & splendido amictu ornavit, sperans, se ea ratione decepturam hostem, sed ipsa decepta est, & misere periit. Ita Tsion institueret, sed & eandem sortem subiret; ostentaret animum idololatricum hosti, in cujus gratiam id ante cum successu fecerat; sed nunc res aliter verteret; amasii enim in hostes erant mutati, ob idololatriæ communionem non fauturi amplius Tsioni. Hic sensus est verborum: ad quæ hæc tantum notanda habeo, ab Interpretibus male intellecta. 1. Vox שדוד non est pass. sumenda, & cum Tsionè construenda, ut vulgo volunt, genere repugnante, de quo modo monui, sed act. & de *vastatore* accipienda, adeoque cum seq. *quid facies?* connectenda, hoc sensu: *& tu, Tsion! vastatori quid facies?* proprie *vastatorem quid facies?* nisi placeat per ellipsin supplere ל, ut שדוד sit pro לשדוד, satis usitate. Potest cum accus. etiam construi, ut apud Lat. & Gr. *quid faciam illum*, pro *illi*. Sic sumitur Ez. XVIII: 10. Jes. XXVI: 18. & alibi. Part. שדוד active quoque capi posse, a Dieu ex Chald. alibi ᵃ jam observatum est, & ex Arab. ulterius confirmatur, ubi שדיד & act. & pass. occurrit. Sic & infra. c. XX: 9. verbum Dei dicitur עזר *stringendi vi præditum*, & stringens, ut ibi videbimus. Ita & hic שדוד virum signat, spiritu & virtute vastandi insuperabili plenum, qui vers. 7. *vastator gentium* dictus erat, & mox *occisores* vers. 31. Ipsum שדוד eo

for.

ᵃ ad Ps. CXXXVII: 8.

forte sensu quoque pro *vastatore* sumendum est Jud. VI: 27. Sensus est, *vastatori*, qui terram jam vastavit, & te petit, quid facies? sc. ad placandum, frustra erit omnis tuus ornatus meretricius, &c: 2. Not. diversitas temporum, in verbis *spreverunt te amasii, animam tuam petent*, frustra non adhibita, sed ab Interpretibus neglecta; sensus est, animo jam sunt in te exulcerato, & quærent animam tuam. Quæ recte fluunt. Verbum מאס non est simpliciter *spernere*, sed animo esse exulcerato in aliquem, & ab eo vehementer abhorrere. Denotat enim primario *exulcerari*, ulceribus ac tabe diffluere. Sunt vero illi *Chaldæi*.

§. XC. γ. Quantopere fiducia illa, in artibus meretriciis sita, in vanum caderet, & in acerbissimum luctum verteretur, propheta sub imagine mulieris parturientis, & in nisu frustraneo deficientis ac lugentis, Tsionem introducit confitentem, vers. 31. *vocem instar parturientis audivi, stringentem angustiam instar primum parientis, vocem filiæ Tsion, quæ anhelat & manus expandit, væ quæso mihi, quod vertiginosa sit anima mea coram occisoribus meis.* Nihil hic obscuri: not. 1. ante verbum תתיפח intelligi per ellipsin usitatissimam אשר, ut sit, audivi vocem *Tsionis*, quæ *anhelat*, & *manus expandit*. Radices vero sororiæ, פוח, יפח, & נפח a *sono* fictæ, quem spirans & gravius anhelans exprimit, habent spirandi & anhelandi potestatem a. 2. Voces, *væ quæso mihi, quod vertiginosa sit anima mea coram occisoribus*, sunt voces Tsionis lamentantis, & desperationem indicant; anima jam *vertiginosa*, (quæ vera est potestas verbi עיף, in *gyratione* sita b) & deficiens *coram occisoribus* truculentis: ל enim idem est, ac לפני *coram*, seu ad *conspectum* occisorum. Quo etiam facit usus præfixi ל, quo imminentiam & ingruentiam rei adfert; uti Ps. XXXII: 6. לשטף ingruente inundatione, & Jes. XXI: 1. Jer. XLVI: 19. Ezech. XVII: 9. & alibi. Ita hic להרגים *imminentibus occisoribus*. Verbum vero עיף, proprie *minuta-*

a Schultens ad Prov. VI: 19. b Schultens ad Prov. XXIII: 5.

tatim consideres, ut Psal. LXXVIII. 18. inde *laniandi* & *trucidandi* potestatem habet, & cædem truculentam ac graviorem adfert, seu *confrictionem*, quæ fit *multis ictibus*.

CAP. V.

1. *Discurrite in plateis Hierosolymæ, & videte quæso & cognoscite, & quærite in foris ejus, si inveneritis virum, si sit faciens jus, quærens fidem, & condonabo ipsis.*
2. *Quod si dixerint, vivit Jehova! propterea mendaciter jurabunt.*
3. *Jehova! nonne oculi tui ad veritatem? percussisti eos, & non doluerunt, consummasti eos, renuerunt adsumere disciplinam, firmiter adstrinxerunt facies suas præ rupe, pertinaciter recusarunt conversionem.*
4. *Et ego dixi, solummodo tenues illi, stupidi sunt facti, quia ignorant viam Jehovæ, jus Dei sui.*
5. *Ibo mihi ad magnates, & cum iis loquar, quia illi cognoscunt viam Jehovæ, jus Dei sui: profecto illi pariter fregerunt jugum, ruperunt vincula.*
6. *Propterea percussit eos leo de sylva, lupus vesperarum vastabit eos, pardo maligno oculo invigilante urbibus eorum, quisquis ex iis exiens discerpetur, quia multiplicatae sunt defectiones eorum, consummatae sunt aversiones eorum.*
7. *Ubi propter hoc condonabo tibi? filii tui deseruerunt me, & jurarunt per non Deum; & satiavi eos & adulterium commiserunt, & domum meretricis turmatim involare solent.*

8. *Equi*

8. *Equi bene librati*, vel alti ac ornati, *protrahentes sunt illi, quisque ad uxorem proximi sui adhinniunt.*

9. *An propter hæc non visitarem? inspiratum Jehovæ! & an vindictam non sumeret anima mea de gente, sicut hac?*

10. *Conscendite pedamenta ejus, & perdite, at consummationem ne facite, removete palmites ejus, quia Jehovæ non sunt illi.*

11. *Quia perfide contra me egerunt, domus Israel & domus Judæ, inspiratum Jehovæ.*

12. *Abnegarunt Jehovam, & dixerunt, nihil hoc; nec superveniet nobis malum, nec gladium ac famem videbimus.*

13. *Et prophetæ erunt*, vel *sint*, *in ventum, & qui loquitur, non est in ipsis, sic fiet*, vel *fiat*, *ipsis.*

14. *Propterea sic dixit Jehova exercituum, propterea quod hoc verbum dixeritis, ecce me dantem verba mea in ore tuo in ignem, & populum hunc in ligna, & consumet eos.*

15. *Ecce me supervenire vobis facientem gentem e longinquo, domus Israel, inspiratum Jehovæ, gentem pertinacissime tensam, gentem antiquam, gentem, cujus linguam ignorabis, nec intelliges quid dixerit.*

16. *Pharetra ejus instar sepulchri patentis, omnes illi heroes sunt.*

17. *Et absumet messem tuam, & panem tuum devorabunt, filios tuos & filias tuas, comedet oves tuas & armenta tua, depascetur vitem ac ficum tuam, adteret urbes munitas tuas, quibus confidis, gladio.*

18. *Attamen ne his quidem temporibus faciam vobiscum consummationem.*

19. *Eritque quum dixeritis, propter quod fecit Jehova, Deus noster, hæc omnia? & dices ipsis; quemadmodum reliquistis me, & Deos peregrinos coluistis in terra vestra, sic & peregrinis servietis in terra non vestra.*

20. *Nunciate hoc per domum Jacobi, & audire hoc facite per domum Judæ, dicendo;*

21. *Audite quæso hoc, popule stolide & vecors, quibus oculi sunt, & non vident; aures & non audiunt.*

22. *An me non timebitis? inspiratum Jehovæ: an a facie mea non torqueremini multa versatione? qui arenam posui mari terminum, statutum aeternum, quod non transgredietur, adeo ut commoturi quidem sese sint fluctus ejus, sed non praevalebunt, aestuaturi quidem sint, sed non transituri illud.*

23. *At populo huic est cor contumax & obstrigillans, recesserunt & abierunt.*

24. *Nec dicunt in corde suo; timeamus quaeso Jehovam, Deum nostrum, qui dat pluviam, & primam & serotinam, tempore suo opportuno, septimanas statutas messis vigilans conservabit nobis.*

25. *Distorsiones vestrae inclinare faciunt hæc, & peccata vestra praececant bonum a vobis.*

26. *Quia in populo meo inveniuntur improbi, rectus instar septi spinosi aucupum, constituunt latrocinationem, homines capiunt.*

27. *Sicut harpago est plena aviculis, ita domus eorum plenae sunt dolo;* (opibus dolo partis) *propterea invaluerunt, & divites sunt facti.*

28. *Pin-*

28\. *Pingues facti sunt & splendidi, etiam intumuerunt, & inundarunt verba mali; litem non judicant, litem pupilli, & prospere agunt, & judicium pauperum non faciunt.*

29\. *Nonne haec visitarem? inspiratum Jehovae! an de ejusmodi gente vindictam non sumeret anima mea?*

30\. *Stupendum & horrendum factum est in terra.*

31\. *Prophetae vaticinantur in mendacio, & sacerdotes premunt super manus ipsorum, & populus meus amant sic. Sed quid in extremo ejus facietis?*

§. XCI.

S*eptimus* articulus justificationem peremtorii judicii & plenarii excidii complectitur, verf. 1--11., variis vicibus repetitam; ut constaret de necessitate ejus, & Dei longanimitas ac bonitas sarta tecta maneret. Quæ justificatio *prima* vice proposita, verf. 1-6. continet 1. rationem judicii verf. 1--5. 2. ipsum judicium, verf. 6. 1. *Ratio* α. repræsentatur, verf. 1--3. β. circumductius traditur & confirmatur, verf. 4, 5. α. Petitur in generali propositione cum ab universalitate depravationis, tum ab insanabilitate. *Prior* verf. 1. 2. his verbis, *discurrite in plateis Hierosolyma, & videte quaso & cognoscite & quarite in foris ejus, si inveneritis virum, si sit faciens jus, quarens fidem, & condonabo ipsi. Quod si dixerint, vivit Jehova! propterea mendaciter jurabunt.* Ad quorum intellectum ante omnia notandum est, 1. pertinere hæc verba ad omnes cives & incolas Hierosolymæ, cujuscunque sint conditionis, & non ad tenuioris & plebejæ tantum sortis, quod Schmidius voluit, verf. 4to. in errorem ductus; cum ea in pericopa propheta adsertum Dei ulterius illustret, a plebe ad magnates eundo, adeoque, non de plebe tantum, sed & magnatibus nostro loco agi indicet;

de quo mox. 2. Prophetæ proprie & directe fuisse ob oculos versata non Josiæ tempora, quibus concio hæc fuit habita, verum secutura, & in primis ultima reip. sub Zedekia, quibus corruptio summum gradum attigerat, omnibus bonis fere vel mortuis, vel in exilium cum Jojachino abductis, vel dilapsis. Cujus indicium est, quod cap. præcedente in illis temporibus describendis fuerit versatus, & in eorum contemplationem ductus ea tanquam præsentia delineaverit; uti supra vidimus. Accedit, *a.* cap. XXIV. distinctionem Judæorum sub Jechonia & Zedekia in bonos & malos ea ratione fieri, ut, post exsilium Jechoniæ nihil boni amplius superfuisse inter Judæos, significetur, *b.* alias quoque prophetias de corruptissimo Hierosolymitanorum statu, sublatis cunctis piis, sub finem reip. agere, ut Jes. LVII. Mich. VII. *c.* Ex hac hypothesi verba Prophetæ de totali defectu, vel paucitate bonorum, majorem habere emphasin, & minore laborare difficultate; in qua tollenda alias frustra laborandum sit, ut fecerunt Interpretes, varie instituentes.

§. XCII. Ad σχῆμα seu formam orationis facit, quod Deus ipse hic introducatur loquens; ut ex fin. vers. 1. patet, eo scopo, ut peremtorium judicium suum in populum a justitia & æquitate commendet, & justificet, provocans ad omnes, qui voluerint, ut inquirant, sitne aliquis in medio urbis? in cujus gratiam Deus ulteriore longanimitate erga Hierosolymam uti, salva justitia, possit, aut debeat. *Circuite*, dicit Deus, *videte*, *cognoscite*, *quærite*, scilicet, vos quicunque sitis, & volueritis, quorum interest viarum mearum cum hoc populo cognoscere rationes, & de iis judicare; sive Judæi, sive Gentiles sitis. Schema orationis nihil habet difficilis, & ad simplicem sensum redactum significat, corruptionem universalem Hierosolymitanorum esse notoriam, in omnium oculos incurrentem; eamque tantam, ut ne unus quidem in publicum prodeat, qui aut corruptionem non participet, majore minoreve gradu, aut torrenti huic se opponat, possitve cum successus aliqua spe. Sensus vero

non

non est, *a.* numerum non facere in populo *operatores justi* & *veri*, ut multum sit hyperbolica locutio, quod volunt Interpretes, sed ne unum aut alterum esse talem. Licet enim non nimis premere phrasin necesse sit, aliquamque admittat exceptionem; non est tamen hyperbole statuenda, quæ de justificatione Dei multum detraheret, maxime cum ad Sodomæos haud obscura sit adlusio, inter quos ne *quinque* fuerunt justi. Sed, si orationi sit inhærendum, *b.* sensus non est constituendus, 1. ne unum quidem aut alterum virum *pium* superesse in urbe; sed ne unum in publicam prodire lucem, ut a pietate notus sit; paucos contra viros probos, qui supererant, latitare & gemere in occulto. Vid Ez. IX: 4. 2. nec est sensus, nullum esse Hierosolymis, qui in corruptionem declamet; superfuit enim *Jeremias*, *Baruch*, & forte unus & alter similis; verum nullum esse de populo aut magnatibus, qui id faciat, uti in seq. vers. 4. &c. explicatius traditur. *Jeremias* ex. gr. hic in censum non venit, cum is aliunde in urbem venerit tanquam propheta a Deo missus. 3. Denique non necesse quidem est statuere, nullum esse de populo aut magnatibus, qui & ipse virtutem palam exerceat, & tueatur; sed sufficit, neminem esse, qui ita id faciat, aut facere possit, ut spes vel minima supersit emendationis populi, aut cujus gratia Deum deceat populum diutius tolerare; neminem itaque, qui ita se gerit, *ut Deus ignoscere* possit *urbi:* sicut vers. 1. fin. dicitur. Verbum enim *& ignoscam* quoque de fini & effectu capi potest, pro *ut ignoscam*, ut id debeam, aut decenter possim. Fere uti Ez. XXII: 30. *Et quæsivi ex ipsis virum sepientem sepem, & stantem in ruptura coram me pro terra hac, ne perdam illam, sed non inveni.* Quod Ghislerius etiam observavit.

§. XCIII. Sententia itaque sequentia comprehendit, 1. nullum esse de omnibus civibus Hierosolymitanis, qui, reliqua terra destructa, soli superessent eo tempore, de quo hic agitur, ne unum quidem aut alterum, qui corruptioni sistendæ & emendandæ manum efficacem præbet, aut præbe-

re ausit, qui *justitiam* & *veritatem* ita quærit, ut eam in urbe possit fundare & promovere, & efficere, ut exercitium legis & virtutis obtineat in urbe; ipseque, salva justitia, possim ei ignoscere. Emphasis est in *viro*, & phrasibus *operari jus* ac *quærere veritatem*. *Vir* enim hic emphatice dicit insignem, magnanimum, & intrepidum, qui sese torrenti corruptionis objicit; *sapientem* itaque *sepem*, & *stantem in ruptura*. Ez. XXII. *Operari* judicium & *quærere* fidem eo sensu, uti & alibi occurrit, erit omnem operam justitiæ & fidelitati impendere & efficiendæ, & statuminandæ &c. Verbum עשה, a propria *tegendi* & *operiendi* potestate, non qualitercunque *facere*, sed omni nisu, rei *incumbendo*, & eam quasi *operiendo*, nec non *perficere* & consummare, denotat; ut 1 Sam. XIV: 6. Deut. XXXII: 6. Jes. XLIII: 7. Ps. c: 3. Alterum vero verbum בקש in origine est, *trivit*, *terendo subegit*, unde est conatus & studium magnum aliquid indagandi aut persequendi; in specie quod *perditum* est aut *ignotum*; quale quid hic indicatur esse *fidem* & *fidelitatem* in cultu Dei, & officiis erga proximum. 2. Præterea indicatur, ne unum aut alterum esse, qui qua talis, pietatis & virtutis sectator, in publicum prodit, & publicam venit notitiam, aut in conversationibus, commerciis, & administratione rerum publicarum, se justum, æquum & fidelem, præstat: quo phrases, in *plateis* & *foro*, nos ducunt; absque ut negetur, aliquos esse pios latitantes, & in occulto gementes. Vid. Ez. IX: 4. Denique 3. ne unum aut alterum esse, quin de corruptione dominante, magis minusve, participet, cujus studium non refrixit, qui torrente se non aliquatenus abripi patitur; adeoque qui non mereatur communi excidio involvi, tantum abesset, ut Dei longanimitatem ulterius erga populum prolongaret: esse itaque totam illam civitatem ad unum usque corruptam, & bonos alias, æque ac malos, ea infectos. Ceterum vox משפט videtur omne quod *justum* & *æquum* est comprehendere, & אמונה omne quod *verum* & *bonum* ac fidele est. Conf. c. IV: 2.

§. XCIV. Adgravabat corruptionem, tantum abest ut excusaret, aut superius adsertum enervaret, sicut prætendebat, aut prætendere posse videbatur, populus; quod sub specie veræ religionis eam exercerent, eoque ipso se *hypocriseos* reos agerent. Quo verba vers. 2. tendunt; *&, si, vivat Jehova, dixerint, propterea falso jurabunt.* h. e. Quod si provocent ad veram in me fidem & religionem, inter se obtinentem, & in juramentis in nomine Dei conspicuam, nihil juvabit, quin magis condemnabit eos, quum ne sic quidem a perjurio immunes se præstent; & nil nisi hypocrisin ac mendacium patefaciant; ipso meo nomine ad mala patranda abutentes. Prius membrum, *& si, vivit Jehova, dixerint*, partim, & proprie, juramentum quodcunque in nomine Dei denotat, ut facile intelligitur, partim fidem in Jehovam, & veram religionem, juramento etiam confirmatam, comprehendit, ut ad c. IV. 2. vidimus. *Dicere* itaque, *vivit Jehova*, est cum in ejus nomine jurare, tum prætendere, & juramento firmare, se Deum agnoscere & colere. *Posterius* membrum, *propterea falso jurabunt*, duo vel tria continere potest, vel *triplici* sensu sumi. *a.* Primus est, quo לכן dicit, *& sic, profecto sic*, h. e. eo non obstante, *falsum jurabunt*. Fide, religione, & juramento in nomine meo non abstrahuntur a peccatis & sceleribus; sed, iis non obstantibus, ea patrant, & perjuros se præstant. Vocula לכן recte vertitur pro *sic*, *ad sic*, vel *sic*, & apud Arab. sumitur pro *sed, attamen, veruntamen*: quod huc recte quadrat. *b. Secundus* sensus est, quo לכן simpliciter *adseverative* adhibetur, & *sane, certo, profecto* dicit, uti notum est. Quod & huc recte convenit, ut sit, *si vivit Jehova* dixerint, *profecto falsum jurabunt*, nomine meo in vanum sumto, cum nihil minus id præstent, quod formula illa requirit. *c. Tertius* addi potest, quo לכן non pro particula, sed infin. verbi כון habetur, sitque pro להכן vel לחכין ad *firmandum*, uti Zach. XI: 7. vel pro nomine; uti כן nonnunquam significat *firmum, ratum, stabile*, & לכן *ad firmum* vel firmitatem. Quando sensus erit:

si,

si, vivit Jehova, dixerint ad *firmandum*, vel firmitatis ergo, *falso jurabunt*.

§. XCV. Altera *ratio* ab *inemendabili* corruptione petitur, & ita sonat, verf. 3. *Jehova! nonne oculi tui ad veritatem? percussisti ipsos, & non doluerunt; consummasti eos, renuerunt adsumere disciplinam, firmiter adstrinxerunt facies suas præ rupe, pertinaciter recusarunt conversionem.* h. e. Vere res ita se habet cum hoc populo, Jehova, sicut dixisti; nec opus est ulteriore inquisitione, cum tu omnia ex vero perspecta habeas; adeoque in hoc populo nequis acquiescere; cum veritatem & fidelitatem, non speciem externam, requiras; demonstrasti quoque in viis tuis cum eo, te hoc solum respicere, & in populo hoc velle; cum eos ante percusseris, quam excidio devoveris: sed verum non tantum hoc omne est, sed insuper populus obduruit ad omnia conversionis media; adeoque non potest non a Te, qui ad veritatem tantum respicis, penitus repudiari. Paraphrasin fusius expressi, ut omnia complecterer, quæ priore membro involuta sunt. Hoc enim solum aliqua difficultate laborat; cum reliqua sint facilia. Manifestum enim est, Prophetam non tantum totalem corruptionem agnoscere, sed adgravare ab inemendabilitate ejus, cum vel efficacissima media frustra ceciderint, adeoque concludendum sit, frontem populi esse saxeam, nec corrigi posse. In quo nihil est difficilis; modo notetur, *a.* agi de statu populi sub finem reip., uti supra observavi, adeoque *b.* omnia judicia Dei præcedentia hic intelligenda esse. Ceterum gradatio est cum in *judiciis* Dei, tum in *obduratione* populi describenda. 1. in *judiciis*, *percussisti eos*, *consummasti eos*; posterius enim pertinet ad sententiam decretoriam in populum pronunciatam, mox exsecutioni mandandam. Quem sensum hic habet verbum כלה. Non enim *consummatio* actu jam facta intelligitur, sed pronunciata tantum, nec totalis summa emphasi, sed ex parte; nam Deus supra dixerat c. IV: 27., *se non facturum consummationem*, quod & hoc cap. & alibi repetitur. Designat itaque

hic

hic sententiam decretoriam, mox efficiendam, pronunciare, sive כליתם vertatur, *consummasti eos*, h. e. decretoriæ sententiæ eos subjecisti, sive, uti potest, *consummasti illis*, ut sit idem ac כליתה להם, cujus exempla non desunt similia, h. e. decretoriam sententiam in eos pronunciasti; uti 1. Sam. XXV: 17. Esth. VII: 7. & alibi *a*.

§. XCVI. *Gradatio* in obduratione depingenda quoque sese facile offert. 1. Dicit propheta, eos *percussos*, qualibuscunque plagis adfectos, sed non ad excidium totale, *non doluisse*, scilicet, ad poenitentiam; ad ejulationem quidem & murmurationem, sed non ut castigati sensu peccatorum molesto fuerint adfecti; imo ne quidem debito sensu malorum Tsionis, uti Am. VI: 6., instar ebriorum, qui contusi nihil sentiunt, Prov. XXIII: 35., in vanum itaque percussi, nihilo meliores facti, Jes. II: 29. Jes. I. 5., non *adverterunt*, nec *in animo reposuerunt* Jes. XLII: 25. 2. Ulterior gradus est, quod *non admiserint disciplinam*, licet decretoria sententia percussi; quodque pertinaciter *recusarint* eam admittere; adeoque quo gravius sunt percussi, & ab excidio essent propiores, eo pertinaciores facti sint; ut est Jes. I. & alibi. Emphasis est in verbo מאן *recusare*, proprie *gravem* esse, inde renuere & refractari, instar ejus, qui sarcinam, qua gravatur, subire recusat, & *gravari* renuit *b*: qua cum *sarcina* comparatur *disciplina coercens*, alias *jugum* dicta. Vox מוסר proprie *disciplinam vincientem* denotat, a rad. יסר ejusdem potestatis ac אסר *ligare*, *vincire*. Sed possent quoque verba, *renuerunt accipere disciplinam*, pro ratione & causa sumi *decretoriæ sententiæ*, quam Deus tandem pronunciavit, quia omnem aliam disciplinam vincientem & castigationem quamcunque recusarunt adsumere, seseque emendari pati. Sumitur enim vox מוסר pro *castigatione* paterna, etiam exemplo poenæ severissimæ. Crescit adhuc oratio, quum *frons durior petra* ipsis adtribuitur, quæ ne erubescere quidem novit, nihilque inscribi aut flecti patitur: quando concluditur, illos *pertinaci-*

a Schultens ad Prov. XXII: 8. *b* Id. ad Prov. I: 24.

ter *recusare conversionem.* Verbum enim מאן quoque involvit apud Aramæos *tædium & molestiam onerosam*, adeoque indicat, *conversionem* in ipsorum oculis tale quid esse, a qua propterea pertinaciter alieni erant.

§. XCVII. Sed quid sibi vult primum membrum, *Jehova! nonne oculi tui ad veritatem?* trahunt quid de ambiguo, seseque ad præcedentia, simul sequentia, porrigunt. Ad præcedentia si referantur, habebunt conspectum adprobationis Prophetæ; qua adsertum Jehovæ de universali corruptione populi confirmat, illudque verissimum esse confitetur; adeoque *cum* ne unum aut alterum esse justitiæ & veritatis studiosum, *tum* externam religionis speciem nihili esse in oculis Jehovæ, ad *veritatem* respicientis: acsi diceret: non opus est, ut quis per plateas & vicos scrutetur, sufficit tuum, o Jehova, adsertum, cum *veritatem* penetrent oculi tui; nec dubium, quin species religionis tibi non satisfaciat, cum *veritatem* & sinceritatem unice spectes, & attendas. Verum si cum sequentibus construantur, sensus erit, acsi haberetur; Jehova, cum certissimum sit, Tibi sinceritatem & fidelitatem unice placere, eoque scopo cum hoc populo fideliter egeris, eum *castigando*, ut ad *fidem* & pietatem redeat: nihil superesse fateor, quam ut ad internecionem deleantur, quia *obstinationem* addiderunt universalitati corruptionis. Videtur abrupta esse & elliptica interrogatio, *nonne oculi tui ad veritatem?* aliquid reticet, hac vel simili ratione supplendum; verissimum est, *oculos tuos tales* esse (interrogatio enim adfert, uti constat, certissimam adseverationem;) quid itaque dicam? qua ratione excusabo populum? forte emendari posse dicam? non possum; culpam penes te esse, dicam, si deleas populum? nec id possum; meretur ergo exscindi, cum *inemendabilis* sit &c.

§. XCVIII. β. Cum propheta nomine Dei *universalitatem* corruptionis, & sua adprobatione *inemendabilitatem* ob oculos posuisset; eandem rem, in primis *incorrigibilitatem*, ulterius deducit, & clarius adfirmat; apto orationis sche-

ma-

mate usus, quo, se experimentum capere voluisse, dicit, num non emendari possit populus, & *incorrigibilitas* non ab ignorantia fuerit orta? adeoque penes plebem tantum resideat obstinatio? Qua figura usus est, ut vividius pingeret obdurationem, quippe ex perversa voluntate ortam. Hic conspectus & scopus est, vers. 4, 5. non itaque tam ut *corruptionem*, quam *inemendabilitatem*, ejus exponeret. Corruptionem esse universalem & videri incorrigibilem dixerat, & vias Dei justificaverat; sed subjungit, se secum reputasse, causam penes plebem esse, & in ejus ignorantia quærendam; adeoque spem nondum decolasse, apud magnates plus proficі posse; cum illi legem Dei probe callerent: sed declarat, se deceptum esse & deprehendisse, magnates, licet viarum Dei non ignaros, non magis quam plebem, corrigi posse, adeoque concludendum, rem esse desperatam, & obstinationem voluntariam, ac deliberato consilio factam. Verba sic sonant, quæ exhibebo & illustrabo, ubi opus fuerit. *Et ego dixi*, scilicet mecum, in animo meo; ratiocinatus sum mecum; *ipse ego*, non Dei jussu, sed sponte, & ex intimo adfectu, quo in populi salutem feror, deliberans, qua via servari & corrigi possit: *id ego* feci, cum corruptum populi statum a Deo intellexi, & adprobavi; quem usum habet ו particula conjunctiva, *& ego dixi*, pro *at*, *tunc*. Quid dixit? *solummodo tenues illi*; h. e. viles de plebe, pauperes & tenuioris sortis homines sunt *illi*, scilicet, in quos competit incorrigibilis corruptio. Sensus non est, prophetam de illis tantum fuisse locutum, vers. 1--3. ut accepit Schmidius; sed se apud animum reputasse *illis* hoc tantum convenire, quod de corruptione inemendabili modo dictum erat: figura orationis est, ut vividius pingeret obstinationem universalem. Vocula vero אך hic non dicit *certe*, *veruntamen*, aut, ut alii, *forte*; sed *tantummodo*, uti alibi quoque sumitur: sensus est, *tenues* esse solum *eos*, quibus obstinatio competat. Pergit, *stupidi sunt facti*, *quia ignorant viam Jehovæ*, *jus Dei sui*, h. e. *plebejos* esse tantum, mecum reputavi, qui obsti-

nati sunt, adeoque non tam ex malitia & voluntario motu, quam ex *stupore* animi, ab ignorantia profecto. *Dixi, plebeji tantum sunt:* qui præ stupore & stultitia, quod vias Jehovæ ignorant, tales sunt, & non ex voluntaria obstinatione. Verba originem pandunt obstinationis, non in malitia obstinata, sed stupiditate ex ignorantia legis, quærendam; adeoque per institutionem, exempla magnatum & peritorum, tollendam forte. Radices יאל & יאל vicinæ & sororiæ originem habent in *adpactione tenacissima*, & in bonam ac malam partem flectuntur, dicuntque *& lubentiam* cum animi acquiescentia perenniter adfixam rei, & quoque adpactionem mentis crassioris & obtusioris, unde *stoliditatis* intellectus oritur; ut in Gr. παχύς, & Lat. *crassus*. Signat itaque stultitiam seu crassitiem adpactam illam & altius concretam. Quam ab ignorantia legis repeti forte posse, indicat propheta, ubi subjungit, *quia ignorant viam Jehovæ, judicium Dei sui*, h. e. rationem agendi, quam Deus, Sanctus, justus & bonus, tenet cum hominibus, convenienter eorum statui & qualitatibus, nec non *legem* Dei, omnis justi & æqui normam, secundum quam vel punit, vel remuneratur.

§. XCIX. Tales cum sint plebeji homines, facilius excusandi, & quorum causa resp. non foret delenda; quique forte corrigi possent, modo honoratiores in populo, principes, sacerdotes & prophetæ, aliique legum Jehovæ periti, sese obsequiosos præstent, eorum dicit probationem se instituisse, & experimentum cepisse, num corrigi se paterentur; sed deprehendisse, illos, non obstante notitia legis, vias suas ita corrupisse, ut omnem admonitionem respuant, & se in peccatis manere velle demonstraverint, vers. 5. *Ibo mihi*, scilicet, dixi mecum, ex vers. 4. *ibo mihi*, h. e. proprio motu & consilio in meam instructionem, *ibo* ad *magnates*, cujuscunque sint loci & dignitatis, quoscunque viros honoratiores; *quia illi cognoscunt viam Jehovæ*, h. e. propterea ad eos accedam, tanquam legis & viarum Dei peritos; libro legis quippe jam reperto & ab iis lecto; quod anno 18vo.

Jo-

Josiæ contigisse docetur 2 Chron. XXXIV. quo hic respici videtur; accedam ad eos sub spe melioris successus admonitionum & reprehensionum mearum: volebat enim eos adire, *ut cum iis loqueretur*, uti dicit, eosque cum Deo reconciliaret; & pacem inter eos & Deum faceret; quam emphasin habet verbum דבר, vel & actionem judiciariam institueret, & disceptaret cum iis, longiusque deduceret: quo sensu haud infrequenter quoque verbum venit, quod huc recte quadrat. Subjungit successum irritum, & concludit, eos esse obstinatos, ac voluntarie incorrigibiles: *profecto*, id enim particula אך hic dicit, *illi pariter fregerunt jugum, ruperunt vincula*, h. e. unitis animis & consiliis in legis divinæ transgressionem aperte & deliberato animo conspirarunt, adeoque plusquam verum esse deprehendi, quod supra dixi, eos omnes *renuere suscipere disciplinam vincientem*. Phrasis *frangere jugum* non est simpliciter *legem* violare, sed perversa voluntate, & contra conscientiam sese opponere *legi*, & omnem ejus obligationem rejicere, ut recte *Schmidius*, simul sese hostiliter opponere cunctis monitis & monitoribus; ut Ps. II: 3. & palam a Deo desciscere.

§. C. ג: Subjungit nunc apte judicium, a Chaldæis exsequendum, qui primum instar *Leonis* percuterent populum graviter, dein vastarent universum, ut nusquam refugium sit, instar *lupi* vespertini & *pardi*, vers. 6. *Propterea percussit ipsos Leo de sylva, lupus vesperarum vastabit eos, pardo maligno oculo invigilante urbibus eorum, quisquis ex iis exiens discerpetur; quia multiplicatæ sunt defectiones eorum, consummatæ sunt aversiones eorum.* Nihil hic difficilis & parum nobis relictum. Noteter tantum, non sine ratione *tempora* hic mutari; & verbum הכם *percussit eos* in præt. occurrere; quia, licet omnia sint futura, *percussio* tamen hic effertur tanquam in re futura præterita, adeoque præt. est respectu *vastationis*, eam secuturæ, &, cum scena prophetica hic, ut ex supra dictis constat, figatur in tempore ultimo reip., quo Hierosolyma jam erat obsessa sub Zedecia,

percussio tanquam præterita recte repræsentatur; quæ itaque referenda erit ad clades, a Nebucadn. & populis vicinis inflictas Judæis tempore Jojakimi & Jojachini. Quando in propinquo erat totalis *vastatio*, brevi secuta. Ceterum hostis primum *percuteret ut Leo*, generosum animal, non omnia vastans, sub Jojakimo & Jojachino, dein vastaret, ut *lupus*, vel *campestris* vel *vespertinus*, utrumque enim vox ערב admittit, animal voracissimum & rapacissimum, nihil relinquens *a*, tandem instar *pardali*, ferissimi omnium & intentissimi, nihil effugere permitteret ex *urbibus*; sed discerperet & diriperet omnia. Emphasi hic gaudet peculiari verbum שקד, quod *vigilationem*, & intentissimum studium non tantum, ut alias, sed *malignum* simul oculum involvit: sicut Arab. شقذ quoque denotat *insomnis fuit, maligno petivit oculo*. Repetit propheta rationem, supra datam, quia *multiplicatæ sunt defectiones eorum, consummatæ sunt aversiones eorum*, & quantitatis & qualitatis respectu. Verbum עצם, superiori רבו subjunctum, non caret emphasi, sed ulteriorem gradum comprehendit multiplicationis; *copiositatem* enim non simpliciter denotat, sed talem, quæ ad plenam pertigit mensuram, quæque simul arcte est & presse stipata. Proprie enim dicit, *compactus stipatus est*, inde *numerum solidatum & plenum*. Aversiones itaque *compactæ* sunt & plenæ, & graves ac vehementes, non superandæ.

§. CI. Justificatio judicii Dei peremtorii, *altera* vice proposita, *a*. crimina exhibet, a Deo non amplius toleranda, in specie *idololatriæ* & quarumvis scortationum, & adulterii, vers. 7. 9., his verbis, quæ exhibebo & illustrabo: *ubi propter hoc condonabo*; scilicet, o Tsion, quam adloquitur, ut ex seq. patet, ubi *filii* ejus memorantur. Sensus est, cum tanto reatu sis obstricta, quem mox etiam describam, *quomodo* tibi *ignoscerem*, poenas non mox infligendo, sed diffe-

a Vid. Bochart. H. p. 1. l. 111. c. 10. Ribera ad Hab. 1: 8. & Delrio adag. 824.

ferendo ulterius? Quod hic *ignoscere* denotat, ut recte Schmidius, sicut in ultima prece Domini in cruce pro Judæis, *Pater remitte ipsis*, h. e. non mox iram tuam effunde, sed differ. Luc. XXIII: 34. Vocula אי *ubi* idem est ac, *quomodo*; *ubi* est *propter hoc condonabo?* qua ratione id possem? sic אין proprie *ubi tibi*, est *quomodo*: cum vero ex quæstione, *ubi est*, facile nascatur negatio, hinc אי pro *non* usurpatur, ut 1 Sam. IV: 21. a. Hac ratione *ubi condonabo* idem erit, ac *non condonabo*; sed *ubi* emphasin habet, & interrogationem involvit, qua Deus ad conscientiam hominum provocat, *quæ respondere* debeat, non posse Deum. Emphasin quoque habet לזאת *propter hoc*, scilicet, tantum crimen, tantum peccatum. Sicut enim *gravem calamitatem*, ut alias observavi, ita & *atrox crimen* exprimit b.

§. CII. Crimina mox, ex. gr., recensentur *idololatriæ* & *adulterii*, magno cum ardore patrari solita: *filii tui*, (cives quicunque,) *deseruerunt me* (cum fastidio, sicut qui nimio cibo repleti repudiant cibum; quam emphasin habet verbum עזב ad *cibos* relatum c, quod huc aptius quadrat, cum mox *saturitatis* fiat mentio) additur, & *jurarunt per non Deum*; (me saturatore suo rejecto, sese *idolis* adjunxerunt, qui nullam præstare possunt utilitatem. Conf. c. II: 13.) Pergit, *& satiavi eos* & *adulterium commiserunt* (hanc mihi gratiam rependerunt, quod a me omnibus bonis repleti lascivierint contra me, & *moechati* sint, cum spiritualiter, tum corporaliter; quod utrumque jungendum esse sequentia demonstrant: adgravatur crimen, quod non tantum Jehovam deseruerint, sed ab eo bene *pasti* id fecerint; nec parce & sparsim aut inconsiderate, sed animo lubente, & passim ac summo studio, uti verba seq. indicant:) & *domum meretricis turmatim involant*, vel involare solent, (non unus aut alter, nec occasionaliter & cum aliqua repugnantia, sed magna co-

a Vid. Ludolf. ad hist. Aethyop. l. 1. p. 203. Schultens ad Job. XXXII: 20. & comm. Pocket ad Mal. II: 17. b Vid. ad Mal. I: 9. c Schultens ad Job. XX: 13.

copia & conſpiratione facta, ſummo ſtudio & impetu, irrumpunt *domum meretricis*, ſive εἰδωλεῖον, templum idolorum, ut ibi & idola colant, & ſcortentur publice, ut in templo Veneris, ſive etiam publicas ædes meretricias, quæ cunctis apertæ erant, & publice proſtabant: utrumque enim conjungi poteſt).

§. CIII. Qua occaſione propheta ad horrendum impetum ſcortandi corporaliter vivide depingendum tranſit, verſ. 8. *Equi bene librati*, vel *alti* ac *ornati*, *protrahentes ſunt* illi, *ad uxorem proximi ſui adhinniunt*. Comparantur adulteri cum equis admiſſariis, & in equas furentibus, iisque bene paſtis, & ingentibus gravibusque verendis præditis, qui extractis verendis ruunt in foeminas. Quæ fortiſſima eſt furioſi ſpiritus ſcortatorii pictura, ab Interpretibus non ſemper recte percepta. Dicit propheta, filios Tlionis eſſe equos מוזנים משכים *libratos*, *altos* & *inſtructos*, ſimul extrahentes, ſcilicet, *verenda*; quod non addit, ſed ex re ipſa & præcedente verbo facile eruendum reticuit, emphaſios ergo, & ut conciſius loqueretur. *Prius* verbum vel eſt in Pyh. verbi יזן aut וזן *libravit* apud Arab., uti obſervavit Cl. Schultens *a*, dicitque *gravi pondere præditos*, vel eſt part. in Hiph. מוזנים, ut Coccejus *b*, a rad. זון proprie *ornavit*, *inſtruxit*, unde cum ad *alimenta*, tum *armamenta*, proprie *ornamenta*, facile tranſiit: quem utrumque uſum habet radix, unde etiam זונה *cauponaria* & *meretrix*, bene ornata & inſtructa, & domum inſtructam ac politam reddens. Captavit hoc ambiguum propheta, ut equos pingeret & bene *paſtos*, & bene inſtructos ſeu *armatos*, ac ponderoſius vaſatos, & bene *peculiatos*. Sed addit משכים ἕλκοντες, ut Aq. & Th. reddiderunt, *trahentes*, a ad. משך, ut ſit part. Aramæum מַשְׁכִּים pro מֹשְׁכִים, quod jam notavit Dieu. *Trahere* vero non ſolum pro ire, ſeu *celeriter ire*, uti Dieu, & Schultens *c* ſumſerunt, ſed etiam *extrahere*, depromere, velut e vagina, & *mulgere* ubera trahendo, uſurpa-

a Gr p. 338. clav. p. 214. Vid. & Lette. anim. ad V. T. p. 169. *b* in Lex. *c* ad h. l.

patur: quod utrumque huc recte quadrat, ut ponderosi & bene vasati equi dicantur *trahentes*, partim quod pondera librata trahant in venerem, partim quod *ruant* in eam. Quo nos manifeste ducit, quod additur, *quisque ad uxorem proximi sui adhinniunt*, instar equorum bene vasatorum & in venerem ruentium, quorum est *adhinnire* χρεμετίζειν. Quod ulteriore expositione non indiget. Ceterum agi de proprie sic dicta scortatione adultera, ex phrasi, *quisque ad uxorem proximi sui*, facile patescit. Erant itaque *admissarii* & θηλυμανεῖς *furentes* in foeminas, ut, si rem spectes, recte LXX. Repetit Deus necessitatem vindictæ, vers. 9. *an propter hac non visitarem?* poenas exigendo, *dictum Jehova! annon vindictam sumeret anima mea de gente sicut hac?* h. e. gente tam abominabili: quam emphasin voculæ זה unice observandam habeo, sumitur enim hic, ut alibi *a*, contemtim. Ceterum, cum formula hæc sæpius recurrat, notari hic velim, ea denotari, peccata commissa habere *clamantium*, ut adpellantur, conspectum, & eo scopo adhiberi.

§. CIV. Concludit itaque ad hanc peractam justificationem, ut antea, Tsionem esse ab hostibus destruendam, addita ratione, supra deducta, vers. 10, 11. Ipsum judicium describitur per modum adhortationis ad hostes, ut veniant, & Tsionem perdant; ut indicaretur, Deum hoc ipsis permittere, & velle, ut fiat; vers. 10. *Conscendite pedamenta ejus & perdite, sed consummationem ne facite, removete palmites ejus, quia Jehova non sunt illi.* Metaphora petita est a vite, cujus palmites longe lateque sunt diffusi, & pedamentis, quibus fulciuntur, sustentati: quo nos manifeste ducit vox נטישות palmites, diffusi longe lateque, quasi exsoluti omni nexu, omni restrictione; a rad. נטש proprie *solvit*, *exsolvit*, nodis, quibus res constricta est, unde inter alia ad libertatem cursus & diffusionem transiit. Nec officit vox שורות vel שרות; etsi enim *muros* communiter dicat, tamen adhibetur quo-

a Vid. ad Ps. XIII: 9.

quoque pro pedamentis vitium, uti Gen. XLIX: 22. *a*. Comparatur vero *Tfion* cum *vite*, ficut fæpe alibi, a Deo plantata, & apta facta ad bonos fructus edendos Jef. v. cujus *pedamenta* funt quævis fulcra & fubfidia, quibus fidebat civitas; ut funt *muri*, fortalitia, aliaque munimenta, etiam opes, & divitiæ: *palmites* vero, vel *farmenta*, funt *cives* cujuscunque loci & ordinis. In quibus nihil eft difficilis. Jubet nunc Deus, vel propheta, ut *pedamenta illa* confcendant hoftes & *deftruant*, fimul *palmites* auferant; partim deftruendo, partim alio transportando; addita cauffa, *quia non funt Jehovæ illi*, fcilicet, cives, per palmites depicti: refpicitur enim in conftructione non ad *palmites*, fed homines, per eos delineatos, ut fæpe alias, adeoque indicatur, eos & dignos effe, qui ita tractantur, fimul facile fore hoftibus illud efficere, cum fub Dei tutela non fint amplius. Additur tamen temperamentum, ne *confummationem faciant*, nimirum cum populo, eum totum delendo.

§. CV. Repetitur quoque ratio, vel explicatur dictum præcedens, *eos non effe Jehovæ*, verf. 11. *quia perfide contra me egerunt domus Israel & domus Judæ, dictum Jehovæ.* h. e. eos mereri hanc deftructionem, nec eos effe Jehovæ, ut modo dixerat propheta, vel hinc manifeftum eft, quod perfidiæ in me rei fint, ait Jehova; æque domus Judæ, feu Judæi, ac *Israelitæ*, propterea a me repudiati, & abjecti. *Israelitæ* hic fimul memorantur, quia eorum & antea facta fuerat mentio in exemplum Judæorum, adeoque ut indicaretur; *Judæos* iis non effe meliores, nec meliorem fortem mereri. Idem ergo eft, acfi, particula כ fuppleta, haberetur, prævaricati funt *ficut* Israelitæ, ita & Judæi. *Israelis* enim nomine Judæos intelligi, quo inclinat Schmidius, abhorret, nec neceffe eft. Emphafin habet verbum בגד, & phrafis *prævaricando prævaricati* funt, quæ intendit fignificatum, dicitque, cum maxime & fummopere id fecerunt; uti notum eft. Verbum vero fimul involvit, Judæos fub fpe-

a Vid. comm. nofter.

specie religionis pessimum occultare animum & adfectum in Deum, *mali* itaque multum in sinu occultum gerere, & *fovere*, omni occasione promendum, vid. ad vers. 2. Primigenia enim potestas est *fovendi*, unde & *vestimenti*, quasi fomenti, & *perfidiæ*, est significatus, qua quid mali in sinu fovetur, inde promendum, quum maturum est.

§. CVI. *Octavus* articulus continet summum perversitatis, & securitatis carnalis, gradum, quo Judæi, licet palam Deum abnegantes, nihil mali exspectandum habere sibi persuadebant, adeoque prophetarum interminationes prorsus spernebant; quod acriter a Deo reprehenditur, & severissime puniendum esse declaratur. vers. 12--31. Qua in pericopa α. proponitur summa populi obduratio & securitas carnalis in media defectione a Deo, sibi probe cognita, qua, Jehovam licet abnegantes, nihil mali se metuere profitebantur, vers. 12. nihili itaque facere prophetarum interminationes impudenter dicebant, vers. 13. *Prius*, his verbis, vers. 12. *Abnegarunt Jehovam, & dixerunt, nihil hoc; nec continget nobis malum, nec gladium ac famem videbimus*. h. e. Jehovam, Deum suum licet abnegarint, ab ipso & lege ejus ad idola desciscendo, tamen dicunt, hoc ipsum nihili esse, nec ullam propterea calamitatem, aut famis aut belli & destructionis, sibi eventuram. Interpretes hic aliter, sed varie, instituunt; sed verus sensus est, quem dedi. Dicit propheta, Judæos *Deum abnegasse*, respectu scilicet cultus & legis; nec tamen aliquid mali propterea metuere, quin hoc crimen apostasiæ suæ pro re nullius momenti habere. Quæ summa erat corruptio, & securitas carnalis, ex profanis de Jehova, ejusque justitia & veracitate, hypothesibus orta. *Crimen* illorum erat apostasia, his verbis expressa, *mentiti sunt in Jehovam*, scilicet, Deum suum; ut ipsum nomen indicat, & vers. 19. diserte additur; quo non indicatur Atheismus theoreticus directus, aut indirectus: sed *abnegatio Jehovæ*, qua Dei sui, ipso facto præstita, in obligationis & officii erga Deum suum negatione, & volunta-

neglectu. Verbum כחש proprie est *delere*, *obliterare*, inde *mentiri*, & *negare*; in Pih., ut hic, abnegare officium, & spem fallere, jus alicui debitum præfracte abnegare, & impie ejurare, adeoque perfidum & perjurum se præstare, uti Jes. LIX: 13. & alibi *a*. *Abnegare* itaque *Jehovam*, vel *mentiri contra eum*, est cultum ipsi debitum, & juramento firmatum, denegare, ac legem ejus violare, jugum frangere, uti vers. 5. habuimus, & ad idola descíscere. Hoc agentes dicebant, *nihil hoc est*, sic enim recte vertuntur voces לוא הוא; uti הוא pro *hoc*, *hoc ipsum* subinde sumitur *b*, uti notum est; sic LXX vertentes *non sunt* ταῦτα *hæc*. Sic & לא pro *nihil* frequentissime, ut sæpe observavi, usurpatur; *nihil hoc* autem idem est, ac nullius hoc est momenti, nihil in eo vitii, nihil inde metuendum mali; uti Deut. XXIX: 18., ubi apostata introducitur, cum audiverit execrationem *legis*, *sibi benedicens in corde suo*, *dicensque*, *pax erit mihi*, *licet pro arbitrio meo ambulaverim*. Confirmat interpretationem, quod explicationis gratia mox addant, *non veniet super nos malum* &c. Accedit, pronomen *hoc* subinde pro verbo substantivo sumi, & idem notare, ac *est*: *nihil hoc* ergo significat simpliciter, *nihil est*. Reliqua sunt facilia.

§. CVII. Quantopere præterea prophetas Dei spreverint, & iis imprecati fuerint, hæc verba declarant, vers. 13. *Et prophetæ erunt*, vel *sint*, *in ventum*, *& qui loquitur non est in ipsis*; *sic fiet*, vel *fiat ipsis*. Continuatur sermo improborum, quod a nonnullis recte est observatum, ut nexus docet, & sequentia, ubi ad verba eorum respondetur, evincunt; adeoque veri Prophetæ, qui Spiritum Jehovæ præferebant, hic intelligendi sunt, quorum dicta respuebant, inspirationem divinam negabant, & eos in malam rem abituros vovebant. Quæ summa erat obstinatio & impudentia. *Primum* membrum, ut paucis absolvam, partim est adfirmantium, partem voventium, prout vertitur, vel *prophetæ erunt*, vel *sint*,

a Vid. Schultens ad Job. XVI. 8. *b* Vid. Nold. de particul.

sint, *in ventum*, h. e. & verba eorum *vana*, & illi ipsi in *vanum*, seu perniciem. *Ventus* enim hic *vanitatem* denotat, ut Prov. XI: 29. & alibi etiam apud exoticos. Adlusum ad spiritum Jehovæ, quem præferebant Prophetæ, facile cernitur. *Secundum* membrum, *qui loquitur non*, vel nihil, est *in ipsis*, eo tendit, ut ratio superioris detur, quare prophetas pro vanis habeant, & eos devoveant, quia *spiritum in iis* loquentem non habebant, ut improbe dicebant Judæi, hac ratione: erunt & sint in ventum, *etenim* Spiritus, qui loqui solet vera & solida in prophetis, *non*, vel *nihil*, est *in ipsis*, eo non gaudent hi prophetæ Jehovæ, nec eo adflati sunt, sed *vento* & imaginario adflatu tantum aguntur. Emphasis est in verbo הדבר *qui loquitur*, vel loqui solet; scilicet Spiritus רוח, qui oracula Dei profert, & κατ' ἐξοχὴν *loqui* dicitur, quia vera & solida profert, non est in ipsis, sed vanus & imaginarius; adeoque *flatus* & *ventus*, in quem ipsi vadant, & dispereant. Ex quo patet, recte haberi verbum דבר & non nomen דבר: ad quod passim obhæserunt. Sed habet verbum illud, etiam absolute positum, usum *adloquendi*, ut Lat. dicunt, pro verbis *solantibus* adloqui, *adloqui ad cor*; cui hic recte locum damus *a*, ut sit: *spiritus*, qui verba bona & consolatoria loqui solet & deberet ad populum Dei, *non est in ipsis*, adeoque vero non gaudent spiritu Dei, quippe cujus est, non *mala* semper, sed *bona* & *prospera* adnunciare; conf. 1 Reg. XXII. dictum Achasi de Micha, *semper malum profert*, & omnino, quod Jer. XXIII: 24. habetur, ubi verbum דבר quoque eo sensu occurrit, & a משא *dicto oneroso* & *molesto* distinguitur. *Ultimum* membrum *sic fiat ipsis*, continet vel dicti adfirmativi, vel voti, *propheta in ventum* erunt vel sint, confirmationem; *sic fiat*, vel fiat *ipsis*, quod modo diximus, nunc repetimus, & confirmamus ulterius.

§. CVIII. ב. Responsum Dei ad hanc impudentem & obstinatam securitatem, ac prophetarum contemtum *a*. ad

a Vid. ad Mal. III: 16.

Prophetam ipsum dirigitur, ut animo non deficiat, sed in opere strenue pergat; simul populus inde discat, quam graviter peccet, & se decipiat: verba enim Dei ad se coram populo profert propheta, vers. 14. *Propterea sic dixit Jehova exercituum; propterea quod hoc verbum dixeritis, ecce me dantem verba mea in ore tuo in ignem, & populum hunc in ligna, & consumet eos.* Nihil hic difficilis, modo notetur, verba, *propterea quod hoc verbum dixistis*, non esse Dei, sed prophetæ verba; Deus enim hoc versu non Judæos, sed prophetam, adloquitur; uti facile patet. Ceteroquin duplex statuenda foret apostrophe, primum ad Judæos, dein mox ad Prophetam; quæ nimis desultoria foret oratio, quæ vitatur, si pro verbis prophetæ ad populum habeantur, quibus rationem reddit novæ revelationis sibi factæ, hoc modo: propterea quod hoc *dixistis*; *sic dixit Jehova exercituum*, primum ad me; dein *ad vos* ipsos, vers. 15. Ceterum not. 1. non sine ratione Jehovam hic insigniri titulo Dei *exercituum*, in cujus manu sunt omnes qualescunque exercitus & Angelorum & hominum per totum terrarum orbem; quia mox memorantur exercitus hostiles remoti ac barbari, a Deo in populum immittendi; opposite ad profanas Judæorum opiniones de *Jehova*, acsi ab eo nihil metuendum haberent, si vel foedus ejus rumperent; & populi vicini, quibuscum Judæis jam ante fuerat commercium, nihil mali infligere aut possent amplius, aut vellent. 2. Ubi Jehova dicitur *ponere verba sua in ore* prophetæ instar ignis, populum instar stipulæ devoraturi, indicatur, *a.* verba prophetæ, tantum abesse, ut *ventus* sint & in vanum casura, quod illi improbe dixerant, ut *instar ignis* sint omnia consummatura, certo itaque implenda, & summa emphasi *b* populum fore imbecillum, & nullius bonæ frugi, instar stipulæ seu ligni aridi, nihilque habere, cui inniti possit. *c* Deum id jam nunc incepturum esse exsequi; utique insigni exemplo demonstraturum, quid populus exspectandum habeat. Quo tendit formula, *ecce me dantem* &c.

§. CIX.

§. CIX. β. Hinc oratio Dei vertitur ad ipsos Judæos, *a*. eo tendens, ut modus explicetur, quo Deus judicium, modo memoratum, exsequeretur, per gentem longinquam, irresistibilem, barbaram, bellicosam, quæ terram depopularetur, & urbes etiam munitas adtereret; ut nihil fere reliqui maneret in terra: verf. 15--19. Quod Propheta, *a*. proponit, verf. 15--19. *b*. quaquaversum vulgari vult, verf. 20, 21. *a* Proponit verf. 15--19. *Ecce me supervenire vobis facientem gentem e longinquo, domus Israel, inspiratum Jehova, gentem pertinacissime tensam, gentem antiquam, gentem, cujus linguam ignorabis, nec intelliges quid dixerit. Pharetra ejus instar sepulchri patentis, omnes illi heroes sunt. Et absumet messem tuam, & panem tuum devorabunt, filios tuos & filias tuas, comedet oves tuas & armenta tua, depascetur vitem ac ficum tuam, adteret urbes munitas tuas, quibus confidis, gladio. Attamen ne his quidem temporibus faciam vobiscum consummationem. Eritque, quum dixeritis, propter quod fecit Jehova, Deus noster, hac omnia? & dices ipsis; quemadmodum reliquistis me, & Deos peregrinos coluistis in terra vestra, sic & peregrinis servietis in terra non vestra.* Ad cujus pericopæ intellectum *verbalem* uno alterove observato defungar. 1. Phrasis, גוי איתן nota designat gentem *asperam*, horridam, aut robustam, sed *cum* perenni in vigore consistentem, armis, viris, & viribus opulentissimam, ac illibatam hucusque, *tum* pertinacem & rigide in proposito perseverantem, a propria *firmissima tensionis*, quæ nunquam remittit, potestate *a*; cui recte respondet alterum epitheton, *gens a seculo*, antiqua & statum suum semper bene tuita. 2. Singularis phrasis est, pharetra *ipsius* est *sepulcrum apertum*, cujus variam qui velit explicationem, adeat Ghislerium. Ex mea opinione dicit, *a* magnam ipsi adesse *telorum* copiam; quam pharetra, capacissima instar sepulchri, continet. *b*. singularem esse hujus gentis *promtitudinem* in sagittando; cum nullo negotio ex pharetra, semper

apert-

a Schultens Orig. l. 1. c. 8. & ad Prov. XIII: 15.

aperta, depromat tela, & scopum feriat in iis jaciendis peritissime. *c.* sagittas itaque esse *lethales*, ex orco quasi missas, ut sint *tela mortis*, quæ unice eo tendunt, ut absorbeant quoscunque obvios. *Sepulchrum apertum* pingit quid amplum, & inexplebile, ad absorbendum paratum & aptum, sicut de *gutture* adhibetur, Ps. v: 11. ubi tamen *foetidum* & teterrimum simul adtenditur. 3. Secundum membrum, vers. 17. recte vertitur, *devorabunt filios & filias tuas*, & de *gente*, id factura, intelligitur, licet in plur. occurrat; cum & vers. præced. dictum fuerat, *omnes illi heroes.* Alii supplent שבר, & de liberis capiunt frumenta seu cibos aliter consumere solitis; sed nimis abrupte, & minus emphatice; cum nulla ratio sit, *liberos*, tanquam cibum consumentes, in specie memorandi. 4. Verbum רשש & רושש proprietatem habet in *atterendo* & *adtenuando*, ac *lacerando*, unde ad fortunarum attritionem & paupertatem transiit *a*. Hic de *urbibus munitis* usurpatum earum *lacerationem* & *exspoliationem*, qua status earum adtritus & tenuis ac pauper redditur, denotat. 5. Denique ultima vox בחרב ad omnia superiora sese porrigit, uti recte quoque Ghislerius observavit, & ex nostris Calvinus, & in genere *bellum* exprimit; unde illa orirentur. Respicitur vero ad dictum Judæorum, vers. 12.

§. CX. Inquiramus nunc, *a.* quare hostes his epithetis *longinquitatis*, *perennitatis*, *antiquitatis*, & *peregrinæ linguæ*, describantur? *b.* quinam intelligantur? *a.* Prius non est in difficili positum: eo enim omnia tendunt, ut 1. hostes inexspectato, nec opinantibus Judæis, superventuros esse, indicaretur, ad eorum securitatem, qua a vicinis sibique notis populis nihil timendum esse credebant, retundendam. 2. hostes potentes & cunctis rebus bene instructos fore. 3. eosque sævos & truculentos fore, nec misericordia erga Judæos ulla usuros esse, quippe *peregrinos* plane & *barbaros*, quibuscum nullum habebant, aut habere poterant,

a Schultens clav. p. 305.

sant, commercium. *b*. Sed qui qualesve intelliguntur populi hostiles? Babylonii quidem, respondeo, sed, secus ac communis habet opinio, non soli, verum una *Scythæ*, qui, tempore Josiæ, ut videtur, ultimo, Asiam tenuerunt occupatam, & Palæstinam invaserunt, ac depopulati sunt, teste Herodoto, a quorum aliqui manserunt in urbe, ab ipsis dicta Scythopoli b, ad quos digitus quoque intenditur, Ez. XXXII: 26. Chaldæos intelligendos esse, 1. inde patet, quod ultima & totalis destructio intendatur, uti ipsa descriptio evincit, & præterea confirmat, quod vers. 18. *consummatio* ne tunc quidem futura sit; quod temperamentum addi solet in plenarii excidii interminatione, & tunc etiam apte locum habet; cum videri posset de populo actum esse. 2. ex eo quoque elucescit, quod vers. 19. *in terra peregrina* dicantur futuri, adeoque in exilium abducendi. Sed rationes non desunt, quæ suadeant, *Scytharum* lineas quoque hic duci. 1. Quia invasio horum populorum hostilium tanquam *propinqua* prænunciatur; uti phrasis, *ecce me immittentem in vos*, &c: indicat, uti modo notavi; cum Babyloniorum oppressio fuerit paulo remotior, eam Scytharum secuta. 2. Quia epitheta, vers. 15. in Scythas majore, in Chaldæos minore emphasi quadrant. *a*. Quorum *primum* est, gentem esse *longinquam*, longius a Judæorum terra remotam. Quod quare de Babyloniis magis, quam Assyriis, in specie dicatur, vix constat? nec adeo remoti fuerunt a Judæa, ut tale quid speciatim memorari debuerit: sensu tantum *debiliore* in eos convenit, quo *remoti* dicuntur comparate ad populos vicinos hostiles: quemadmodum alibi, cum Babylonii minus noti essent, adpellantur *longinqui*, ut 2 Reg. XX: 14. & Jes. V: 26: ubi tamen remotiorum, seu Romanorum, ratio quoque habetur, ut hic *Scytharum*. *b*. *Secundum* est, gentem esse *perennem* & ab *antiquo*; uti supra exposui. Quod in Babylonios minus quadrat, nisi respectu originis, quatenus *Chaldæi*

T erant,

a lib. 1. c. 105. b Vid. Cl. Wesseling ad Itin. Hierosl. p. 587.

erant, in Mesopotamia & vicinis regionibus degentes, & vitam pastoritiam ac latrocinalem agentes; quum גוי gens *erratica*, quæ vis vocis est, & non עם populus celebris, & in formam reip. redactus, erant; posteriore enim hoc respectu dicuntur *non fuisse*, *& ab Assyre* in Babyloniam translati, Jes. XXIII: 13. a quo tempore tamen non nisi leviore sensu dici potuerunt in florente & illibata semper conditione fuisse, cum Assyriis fuerint subjecti, & non nisi sero in libertatem vindicati. c. *Tertium* est, gentem esse Judæis plane *barbaram*; quod non nisi leviore quoque sensu Babyloniis convenit, cum non magis quam Assyrii, quorum a lingua parum distat eorum, mereantur dici Judæis ignota, nec intelligibili, lingua uti; diversa tantum erat dialectus, vulgo quidem Judæorum ignota tempore Senacheribi, uti ex 2 Reg. XVIII. constat, sed nec eo tempore omnibus Judæis, nec postea forte tam universaliter. Quæ omnia epitheta *Scythis* summa emphasi, uti notum est, competunt. 3. Addatur, criterium aliquod Scytharum etiam in eo esse, quod *sagittarii* periti & violenti in specie dicantur, & ab ea arte ac exercitatione describantur, vers. 16. Scytharum autem hoc proprium esse criterium, nemini non constat, imo ipsum nomen inde derivari solet. 4. Convenit quoque in illos rectissime, quod nec vastatio aut destructio Judæorum, nec abductio in exilium, sed deprædatio & attritio ac attenuatio urbium expresse tantum memoretur. Hic enim eorum mos fuit, & hoc etiam ipsis per Asiam & Palæstinam præcipue adtribuitur.

§. CXI. Quæ si recte disputata sint, oportet statuatur, prophetam Scythas & Chaldæos una fuisse complexum, tanquam executores judiciorum Divinorum; epitheta vero talia selegisse, quæ in Scythas majore emphasi conveniunt, a Chaldæis non plane abhorreant, ut præter Chaldæos, etiam alios populos esse in Judæam immittendos cognoscerent; Scythas vero initium facturos, sed præludii tantum instar; ut inde discerent, quid ab aliis populis, ut Chaldæis, tandem

exspectandum haberent. γ. Subjungit tamen Deus; ne sic quidem totum populum esse plane delendum, sed temperamentum aliquod fore severi hujus judicii; vers. 18. *Et quoque in diebus illis, dictum Jehova, non faciam vobiscum consummationem.* h. e. ne illo quidem ultimo & peremtorio judicio vos omnes exstirpabo, sed reliquias superesse curabo, suo tempore restituendas. De quo jam antea diximus. Emphasin habet, & *quoque illis diebus*, scilicet, quum videri possit, vos plane a me repellendos & destruendos esse, ne tunc quidem *consummabo vos*; sed reliquias servabo, & instaurabo; quod subintelligitur: minus dicitur & plus intelligitur: uti saepe alias. δ. Reliquiarum stuporem illo tempore, indeque oriundam conversionem ad Deum, propheta tandem addit, & in eo hanc pericopam apte claudit, vers. 19. *Et erit, quum dixeritis,* (vos, tunc superstites, & ad saniorem mentem induendam proni) cujus *vice,* vel *propter quod, fecit Jehova, Deus noster, nobis hac omnia?* (cum ipse sit Deus noster, & nos populus ejus selectus, quid quaeso movere potuit ipsum ad tantam calamitatem inducendam? ut nobis in posterum cavere possimus, & sciamus, quo modo Deus placandus sit. Verba sunt poenitentium in causas inquirentium, ut eas removere possint,) *& dices ad illas* (h. e. sic dixit ad me Jehova, *dices illis:* oratio subito vertitur ad prophetam, & de Judaeis, quos modo adlocutus erat propheta, in tertia persona fit mentio. Cui desultoriae, ut videri possit, orationi recte succurritur, si suppleatur ex vers. praeced. *dictum Jehova ad me: dices illis,* hoc mihi in mandatis dedit, solenni formula, *dices ad eos*) *quemadmodum deseruistis me, & servivistis* &c. Indicatur, ipsos in terra peregrina jam versaturos, cum in rationem judicii Dei inquirerent, & eo tenditur, ut, verum ac unicum medium redeundi in patriam, & res instaurandi, fore conversionem ad Deum, omni idololatria missa, intelligerent.

§. CXII. *b.* Propositio facta, vult propheta, ut per universam terram divulgetur propter incredibilem populi torporem

& stupiditatem, ut, si pote, ea excutiatur, vel saltem populus reddatur magis inexcusabilis, & obdurationis perpetuum exstet monumentum, vers. 20, 21. *Nunciate hoc per domum Jacobi, & audire facite hoc per domum Judæ, dicendo, audite quæso hoc popule stolide & vecors, quibus oculi sunt, & non vident, aures, & non audiunt.* Verba eo, quo dixi, collineant, & ad superiorem prophetiam de hostium invasione omnino pertinent; licet passim ad sequentia referri soleant. Vocula enim *nn hoc* ad supra descriptam calamitatem nos ducit, & vers. 22. nova incipit prophetæ oratio cum solenni formula, *dictum Jehovæ.* In verbis & phrasibus nihil est obscuri. *Domus Jacobi* quoque compellatur, quia domus Judæ se ei similem præstiterat, nec aliam sortem subiret, ita ut domus *Judæ* quoque dici possit *domus Jacobi*, sicut vers. 15. propterea diserte vocatur *domus Israelis.* Addi potest, laudabile illud epitheton *Judæ* dari, quod solus de posteritate Jacobi supererat, reliquis tribubus jam destructis, vel deportatis. Figura orationis, *nunciate hoc*, impersonaliter sumitur pro *nuncietur hoc*, vel quicunque vultis, hoc facite. Excoecatio & obduratio populi vivide describitur phrasibus emphaticis, quibus *populus stultus sine corde*, h. e. ulla sapientia ac prudentia, adpellatur, & *oculos* ac *aures* habere sine ullo eorum usu, acsi non haberent; adeo ut facultates quidem habeant res percipiendi & dignoscendi, ac admittendi, & obediendi, sed quibus propria culpa non utantur: nec præ obduratione amplius possint uti; adeo ut sint, acsi non habeant amplius *oculos* & *aures* &c. haud absimiles itaque *idolis*, quæ colebant. Ps. cxv.

§. CXIII. β. Sequitur *altera* pars responsi Prophetæ ad obstinatæ securitatis Judæorum verba, vers. 12, ut recte observavit Schmidius, licet cum vers. 20. jam incipere minus recte statuat. Judæi vers. 12. dixerant, sibi nec *gladium nec famem* eventuram, licet Jehovam abnegarent; ad quod propheta responderat, *gladium* esse in procinctu; nunc vero regerit, *famem* non posse propter peccata populi, a quibus

avel-

avelli non possit, inhiberi, sed omnino immittendam esse: qui conspectus & scopus est pericopæ, vers. 23- 29. uti ex ipsa lectione facile adparet. Sunt autem ejus sequentes partes. *a. Prima* his verbis effertur, vers. 22-24. *An me non timebitis? inspiratum Jehova: an a facie mea non torquemini multa vexatione? qui arenam posui mari terminum, statutum aeternum, quod non transgredietur, adeo ut commoturi quidem sese sint fluctus ejus, sed non praevalebunt, aestuaturi quidem sint, sed non transituri illud. At populo huic est cor contumax & obstrigillans, recesserunt & abierunt. Nec dicunt in corde suo; timeamus quaeso Jehovam, Deum nostrum, qui dat pluviam, & primam & serotinam, tempore suo opportuno, septimanas statutas messis vigilans conservabit nobis.* Qua in pericopa Deus exprobrat populo obstinatam ingratitudinem, & bonitatis Dei, tam diu erga eum exercitæ, incredibilem contemtum; quod, cum per longanimitatem & beneficentiam Jehovæ excitari debuisset ad eum reverenter habendum ac colendum, tantum aberat, ut hoc fecisset, ut in perversitate & abnegatione Dei fuerit eo ipso confirmatus, secumque statuerit, *nihil* esse, quod Deum abnegaverit, nihil mali sibi propterea eventurum; quod obstinatæ & aversissimæ indolis erat indicium. Huc tendit oratio, vers. 22-24. quod Interpretes minus recte perceperunt, adeoque nec in verum conspectum penetrarunt vers. 22. Sensus vero est, nonne me, tam longanimem & beneficum erga vos, timere deberetis, & a me abnegando absterreri, qui vestri causa & maris inundationes coercui, & *pluviam* suis temporibus vobis concessi ad fertilitatem, & omnis proventus copiam; sed tam perverso estis corde, ut in animum vestrum non venerit id agnoscere, nec incitari vos passi sitis ad me *timendum*, & colendum; contra, eo ipso in profanas veneritis cogitationes, *nihil esse, me abnegare*, nec inde aliquid mali vos passuros esse. Memorat Deus *duo* longanimitatis ac beneficentiæ signa & effecta; sed diversa orationis figura, mox exponenda. Erant autem

illa signa & effecta, *alterum* in terræ inundatione repressa, *alterum* in *pluvia tempestiva* concessa: sed *prius* expresse ipse profert, *posterius* in reprehensione ingratitudinis populi memorat. *Prius*, vers. 22. quum se timendum populo sistit, tanquam qui *arenam posuerit terminum mari, statutum æternum, quod nunquam transgredietur:* adeo *ut commoturi quidem sint sese fluctus ejus, sed non prævalituri, æstuaturi quidem, sed non transituri illud.* Descriptio est potentissimi simul, simul benignissimi, rectoris hujus universi, qui sola *arena* fluctus maris æstuantes frangit, & reprimit; illudque in gratiam hominum facit, ne universali diluvio, quo hic digitus intenditur, uti merebantur, æque ac olim, delerentur. Cuncta enim tendunt ad maris & diluvii repressionem, ex Dei bonitate factam; ut inde discerent Deum revereri, & timere ejus offensionem; cum Deo, ejusque statuto, unice acceptum referendum sit, & non causis naturalibus, quæ illud impedire non possint, cum *arena* tantum sit, quæ prohibeat, quod aquæ maris non inundaverint terram. In verbis nihil est difficilis, multum vero emphasios & elegantiæ. Tantum not. 1. verba, *statutum æternum & non transgredietur illud*, explicationis gratia addi præcedentibus, quibus Deus dixerat, se *arenam posuisse limitem mari*, adeoque significare, illud, quod Deus posuit, esse *æternum statutum, quod non violabitur*, 2. emphasin habere sequentia verba, *& ex tumore subsilient nec prævalebunt*, scilicet, *fluctus* maris, ex seq. membro repetendi, & supplendi; sensus est, fluctus quidem tumidos minaturos esse transgressionem limitum arenæ, sed non superaturos, non prævalituros. Verbum געש proprie est, ut recte conjecit Coccejus [a], *διοιδαίνειν ex tumore diffluere, dissilire*, ex גוש *fervere, tumere*, & גשש *subsilire* ex tumore, formata radice געש per litterarum vicinitatem. Hitph. vero, qua forma hic occurrit, exprimit, quid fluctus præferrent & minarentur, sed *non efficerent*, quod est לא יוכלו *non capaces erunt* proprie, dein non *valebunt*, obtinebunt, ef-

[a] in Lex.

effectui dabunt. 3. Auget emphasin, quod additur, *aestuabunt* cum *strepitu fluctus* (quae vera potestas est verbi [illegible]) *sed non transibunt illud*, nempe statutum vel terminum; proprie intumescendo non pervadent, & inundabunt terram.

§. CXIV. Alterum beneficentiae signum est pluviae & *primae* & *serotinae*, ad semen, terrae mandatum, fructificandum, & fruges alendas ac maturandas, concessio, *mensiumque* fixorum messis vigilans *conservatio*, in usum populi, vers. 24. ubi omnia plana sunt; modo not. *septimanas statutas messis*, ut recte vertuntur voces, illud omne tempus denotare, quo fruges colliguntur, a paschate facto initio; in quod incidit *festum pentecostis*, festum *septimanarum* dictum. *Pluviae* concessae in tempore suo recte subjungitur *conservatio septimanarum messis*, quia dependebat bona messis ab illa pluvia tempestiva; sed additur tamen, quia sola pluvia non efficiebat, verum temporum messis custodia, a Deo facienda, ut & plena sit, & recte possit *colligi* messis, praeterea requirebatur. Nec sine ratione verbum [illegible] in fut. occurrit, cum eo innuatur, Deum in posterum eandem benedictionem continuaturum esse, si populus mereatur. Ceterum *custodia* intelligitur accurata & benevola, a custode vigilante, & *accincto* facta. Quam emphasin habet [illegible] proprie *substringi*, *succingi*, & *accingi* ad quid agendum, aut cavendum, inde studiosum, diligentem & expeditum esse a.

§. CXV. Superest, verbo dicamus de diversa orationis forma, qua haec signa & effecta proponuntur. *Prius* per interrogationem effertur, vers. 22. *an me non timeretis, dicit Jehova, an a facie mea non torqueremini multa versatione? qui posui arenam terminum maris* &c: h. e. nihil magis decebat vos, & a vobis exspectandum erat; hunc enim sensum habet hoc loco forma interrogandi. Quid vero illud erat? *timere Jehovam*, scilicet, ejus offensam, & reverenter sese erga ipsum, & legem ejus, habere & gerere; ad-

a Schultens ad Har. conf. III. p. 161.

ditur *a facie ejus torqueri multa versatione*, instar parturientis, foetum simul emittere *nitentis*; quam emphasin habet verbum חול & חיל, a propria *versandi*, στρέφειν, potestate *a*. Involvit itaque & *poenitentiam*, & conatum Deum placandi, & studium enixum coram ipso probe *versandi*. Ratio petitur, *explicite*, a potentissima, simul benignissima Dei cura erga homines, qua impedit, ne mundentur; adeoque quævis mala a populo Judæo arcet; sed *implicite*, a paterna providentia, qua fertilitatem terræ, & ita copiam proventuum & bonorum quorumvis, largiter concedit; quam *rationem* hic intellectam vult, ut ex seq. patet, ubi eam expresse memorat: de quo mox.

§. CXVI. Subjungit nunc Deus summam populi & obstinatam ingratitudinem ex corde rebelli & averso ortam; vers. 23, 24. ubi *a*. fontem & principium ingratitudinis memorat, vers. 23. *At populo huic est cor contumax* & *obstrigillans*; *recesserunt* & *abierunt*. h. e. tantum abest, ut officium fecerint, & exspectationi tam justæ responderint, ut animo obstinato & refractario a me desciverint, sine redeundi spe. Verba sunt emphatica. Verbum סרר, a sono fictum, dicit *scindere* cum *acri sono*; hinc *refractari* cum indignatione & murmuratione; alterum מרה proprie *acrius stringere manum*, hinc *retractare* cum strictione manus ducentis, & ita *obstrigillare b*. *Cor* itaque plane aversum, obstinatum & rebelle, indicatur, in totali & finali defectione a Deo sese exserens, uti additur, *recesserunt* & *abierunt*, h. e. longe recesserunt, sine spe redeundi. Quo etiam facit usus verbi ילך ad *incrementum* & progressum in actione significandum; qui satis frequens est in part. הולך, & infin. הלוך. *β*. Ipsa *ingratitudo* exponitur, vers. 24. *nec dicunt in corde suo, timeamus quæso Jehovam, Deum nostrum, qui dat pluviam* &c: uti hactenus fecit, & in posterum faciet; sed & inhibere potest; nubibus æque ac mari terminum coercentem ponendo. Memo-

a Idem ad Prov. XXXI: 29. *b* Schultens defect. §. 130 &c. nec non ad Prov. [illegible]

moratur hoc signum bonitatis Dei *explicite* in descriptione *ingratitudinis*; quia ad populum Judæum directius spectabat, & eum inprimis ad Deum colendum movere debebat, adeoque summa sit ingratitudo, dum hoc non agnoscit. Sed emphasin habet, eos *ne quidem in corde dicere, timeamus Jehovam*; indicatur enim summa stupiditas & obstinatio, in eo conspicua, quod tale quid ne quidem in animum venire patiantur.

§. CXVII. *b*. Obstinatæ huic ingratitudini & perversitati indolis declarat nunc propheta non posse non succedere inhibitionem omnis boni, cujus meminerat, in specie *famem*, quam sibi non eventuram jactaverant, vers. 12. Quod α. proponit, vers. 25. β. deducit & confirmat, vers. 26--29. α. Propositio vers. 25. his verbis fit: *distorsiones vestræ inclinare faciunt hæc, & peccata vestra præsecant bonum a vobis*. h. e. fieri aliter non potest, quin statuta illa pluviæ & messis tempora ordinem suum flectant, & divergentur, omneque bonum a vobis coerceatur; quia estis *contorti*, & *peccatis* unice dediti. Utitur verbis *præteriti* temp., seu *præs*., ut nexum indicet inter peccata & poenas; quem conspectum hic versus habet. Respicit vero ad superiora bonitatis Dei signa, quæ cessatura sint; quo vocula אלה *ista* pertinet manifeste: oratio autem est elegantiæ & emphasios plena. *Contorsiones* populi, a recta via deflectentis, quam potestatem habet vox עון, dicit, *illa* statuta & ordinata, modo memorata, quoque *vergere*, & a recto tramite deflectere debere. Radix enim נטה proprie dicit *tendere* cum *inclinatione*, Lat. *vergere*; ut rectum tenorem & cursum non amplius res habeat. Recte itaque sibi respondent *contorsiones* populi, & statutorum Dei *inclinationes*. Præterea in verbo מנע respicitur eleganter ad pluviæ *occlusionem* & *coercitionem*; quem usum etiam apud Arabes a habet, sed a primaria *præsecandi* potestate: unde reliqui usus facile derivantur, uti in Gr. ἀποτέμνειν cum derivato ἀπότομος.

V §. CXVIII.

a Vid. Kuypers ad Ali p. 91.

§. CXVIII. β. In propositionis deductione, *a*. Facinora, in populo Judæo grassantia, explicatius recensentur, *b*. judicii Divini necessitas inde derivatur & urgetur. a. *Prius* vers. 26--28. *tribus* articulis proponitur, quorum *primus* habet, in medio populi Dei sese palam ostendere *peccatores* impios, adeo ut nihil sani fere supersit, sed alii alios defraudent & opprimant, vers. 26. *Quia inveniuntur in populo meo improbi, rectus instar septi spinosi aucupum, constituunt latrocinationem, homines capiunt*. h. e. tanta copia est scelestorum hominum in medio populi, tantaque est eorum corruptio, ut *rectus* populus nihil fere sit, quam *spinosum aucupum* septum, & latronum ac grassatorum statio; qui palam grassantur, & defraudant quoscunque. Dicit. 1. Deus, *inveniri in populo suo impios*, scilicet palam & magna copia, ita ut ubique sese prodant, nec quæri necesse habeant. Sed majore hic pollet emphasi verbum *invenire*, dicitque, sceleratos esse *deprehensos* & convictos, quemadmodum fures ἐπ' αὐτοφώρῳ, ut recte Calvinus. Conf. c. II. 26, 34. 2. *rectum esse sicut aucupum septum spinosum*, h. e. rectum populum esse factum horridum aliquod sepimentum aculeatum, quo figuntur, & irretiuntur homines; id enim vox שך denotat. Radices enim סכך שכך שוך, & שכך proprie denotant *spinosus fuit*, spina punxit, spinis *obsepivit* *a*, unde שך & שך *sepimentum spinosum*, & מסוכה. Jes. V: 5. *sepes spinosa*, & שכים σκόλοπες *spinæ densiores*. Cum tali *spinoso septo*, quo aucupes ad aves & feras irretiendas & transfigendas utuntur, comparatur ipse populus Judæus, originis suæ respectu ישר *rectus* dictus, cum manifesta allusione ad ישרון *Jeschurun*, quo titulo Israel insignitur Deut. XXXII: 15. Jes. XLIV: 2. Dempta enim terminatione ון, quæ intendit significationem, ipsissima vox erit ישור, formæ פקוד & פקיד, pro qua alias occurrit ישר, quæ frequentioris usus est. Intelligitur autem ipse *populus* modo memoratus, & sensus est, eum, qui in origine fuit *rectus*, & talis, si ad omnia illa respicias, quæ in eum a Deo collata sunt, esse de-

a Id. ib. p. 125. & Schultens ad Job. [illegible]

debebat, tum, inquam, ipsum populum nunc adeo degenerasse, ut similis sit *septo spinoso aucupum*, quo homines illaqueantur & perduntur. Convenit plane, quod Mich. VII: 4 occurrit, *bonus eorum tanquam spina, rectus plusquam sepimentum spinosum*, nec non, quoad rem ipsam, Jes. I: 21. *quo modo facta est meretrix urbs fidelis, plena erat judicio, justitia pernoctabat in ea, & nunc latrones:* sicut & hic mox additur. Interpretes, ad insolentiam vocis ישור offendentes, nec ad nomen ישר attendentes, acceperunt pro verbo, & reddiderunt, *observabit*, *insidiabitur*, a quo eos absterrere debuisset vel num. sing. verbi ישור, cujus ratio dari nequit, minus, cum propheta num. plur. constanter hic observet: præterea quam insolens phrasis est, *insidiabitur*, instar *septi spinosi aucupum?* cui ut alii medeantur, aliter voces eas vertunt; sed infeliciter. Cui non necesse est immorari. Nostra interpretatione, cui adstipulantur Aquila & Sym. [a], nihil est facilius, aut elegantius; modo observetur, verbum *est*, uti sæpe, mente intelligi, ut sit, *rectus est instar septi* &c.

§. CXIX. 3. Explicationis & illustrationis ergo addit propheta, *constituunt latrocinationem hominum*, *eosque capiunt*. h. e. civitatem rectam apte cum *septo* spinoso aucupum a me comparatam esse, inde satis elucescit, quod in ea constituant publicam & venationem & grassationem hominum, ad eos in servitutem redigendos, aut occidendos, aut spoliandos. Not. 1. משחית hic esse *latrocinationem* & *grassationem* violentam; uti alibi [b]. a rad. שחת, proprie *rupit vellendo* ac *radendo*, unde *cum* pro *deradere*, radendo perdere, *tum* pro *corradere* per fas & nefas, usurpatur. 2. Verbum הציב emphatice hic comprehendere fixam & publicam stationem, adeoque sensum esse, latrocinantium esse talem stationem in urbe; loco militum præsidiariorum. Radices enim יצב & נצב in origine dicunt, *fixus*, *defixus*, est, solentque ad firmam & erectam sta-

[a] Vid. Montf. ad Hexapla Origin. [b] Schultens ad Prov. XI: 32. XXVIII: 24.

stationem referri [a], sic נצב præfectum, מצב castra, stationem militarem, præsidium denotat. 3. Denique vocem אנשים sese ad *præcedens* ac *sequens* porrigere; ut sit, *constitui latrocinationem* hominum, homines *capi*; acsi vox *bis* repetita esset. 4. In verbo לכד in specie respici ad *artes* nefarias, quibus capiuntur homines, sicut in שחת ad publica latrocinia. Dicit enim לכד in origine *viscosum* & *tenax*, unde *capiendi* potestas, sicut aviculæ *visco* glutinantur [b]. Quo etiam facit, quod mox met. ab *aviculis* continuetur.

§. CXX. *Secundus* articulus continet fructum latrocinationum & deprædationum, in opibus & divitiis situm, vers. 27. *Sicut harpago est plena aviculis; ita domus eorum plena sunt dolo: propterea invaluerunt & divites sunt facti.* Parum hic obscuri. Not. 1. Voce כלוב non *caveam* aut *corbem*, ut vulgo putatur, & a Bocharto [c] defenditur ex Gr. voce κλωβὸς κλωβὸς, nimis levi tibicine, sed, ut ex Arab. dialecto patet, *harpaginem*, instrumentum ferreum, multis uncinis præditum, quod & *figit* tenacius, & rebus adfigitur, significari, unde *mortua* volucres & fructus pendere solent, a propria rad. כלב potestate, in *figendo*, & ita firmius compingendo; unde quoque *canis* notio orta est, quia morsu vehementiore se *adfigit*, & adfixus *mordicus* retinet. 2. Cum ejusmodi *harpagine*, avibus, ei adfixis, plena, eleganter comparantur domus latronum & defraudatorum, quorum facta modo fuerat mentio, bonis aliorum, dolo multiplice partis, refertissimæ; quippe quæ & fraude fuerint aliis erepta, ut *aves* visco capiuntur, & in domos latronum coacervata, ut inde divelli nulla amplius ratione possint; ibi denique in usum latronum adservata, ut laute & splendide inde vivant. Voce *fraudis* itaque ipsæ *opes*, fraude congestæ, omnino intelligendæ sunt; ut phrasis, *domus plena sunt dolo*, & comparatio cum avibus harpaginatis facile edocet &c. 3. Ultimum membrum, *propterea invaluerunt, & ditati sunt*, conclusionis ad vicem exponit *modum*; quo divites & poten-

[a] Schultens ad Job. 2. [b] Idem ad Job. v. 13. [c] Hieroz. p. II. l. I. c. 13.

tentes facti sunt, scilicet, per latrocinia & fraudes. Voculæ itaque על־כן *causam* & *modum* declarant, modo memoratum; sive reddantur *propterea*, sive *sic*, eo *modo*: uti modo dictum est. Verbum vero חזל proprie *implicari multis filis*, & sic *densius intorqueri*; inde & ad potentiam ac validas vires, & ad fortunas ac opes, transfertur. Hic potentiæ & virium potior habenda est ratio, quia *divitiarum* sequitur mentio.

§. CXXI. *Tertius* articulus comprehendit *insolentiam*, ex prosperitate in mediis sceleribus ortam, ita ut per ipsam prosperitatem pejores fiant, tantum abest, ut emendarentur, vers. 28. *Pingues facti sunt & splendidi, etiam intumuerunt, & inundarunt verba mali, litem non judicant, litem pupilli, & prospere agunt; & judicium pauperum non faciunt.* h. e. in medio facinorum pravorum ac oppressionum miserabilium personarum, pupillorum & pauperum, laute ac prospere degunt, adeoque insolescunt, perque ipsam meam longanimitatem, qua id fero, pejores fiunt; prava facinora non tantum nihil obesse existimantes, sed & prodesse prosperitati. Nihil per hanc paraphrasin relictum est difficilis: quare uno alterove observato defungar. 1. Vocula גם *etiam* in primo membro, *pingues* facti sunt, *etiam intumuerunt verba mali*, insignem habet emphasin, qua dicit, non obstante perversitate eorum pinguescunt, in mediis facinoribus *nitescunt*, pinguedini adjungunt scelera; & per ipsam prosperitatem magis corrumpuntur. 2. Phrasis, עבר *intumuerunt*, vel intumescunt, *verba mali*, minus intellecta, significat, lites, ab improbo suscitatas, intumescere, inundare & grassari per terram: Vox דבר peculiari usu frequentatur in actionibus judicialibus, notatque, controversiam judiciariam agitare, disceptare & longius deducere; ut ad vers. 5. jam observavi: qui significatus huc unice quadrat, ut ex seq. patet. Phrasis vero דברי רע denotat disceptationes *mali* seu improbi, ab eo suscitatas & intentatas innocentibus, ut *pupillis* & *pauperibus*, ex. gr. Denique verbum עבר proprie

dicit *intumescere*, ac de fluvio intumescente, seque altius efferente, & omnia inundante, adhibetur, ut Jes. VIII, XXVIII. Ps. XVIII. & ita de hostili invasione, per omnia *transeunte*, uti notum est. Sensus itaque, minus perspectus, est, improbas improborum lites sese altius extulisse, omnia corripuisse, & grassari ubique per terram, absque ut impediantur, aut reprehendantur. Quæ summa erat populi & tribunalium perversitas: uti mox explicatius traditur, quum dicitur, *pupillorum* & *pauperum* nequidem causas agi, & jus defendi.

§. CXXII. *b*. Talis tantaque cum sit populi & primorum corruptio, eaque per ipsam prosperitatem, ac Dei longanimitatem, vires acquirat, quam justum & necessarium sit Dei judicium, facile elucescit; quo verba, vers. 29. tendunt; *nonne hæc visitarem, dictum Jehovæ? an de ejusmodi gente vindictam non sumeret anima mea?* Quæ supra vers. 9. jam habuimus.

§ CXXIII. *c*. Reperit denique Deus, per modum conclusionis, impudentem Judæorum securitatem in mediis facinoribus horrendis, & eam in desperabundam perniciem esse exituram, ut in responsione ad eam securitatem retundendam deduxerat, declarat. Qui verus est conspectus & sensus, vers. 30 & 31. his verbis: *stupendum & horrendum factum est in terra. Prophetæ vaticinantur in mendacio & sacerdotes premunt super manus ipsorum, & populus meus amant sic. Sed quid in extremo ejus facietis?* h. e. stupenda licet & horrenda patrentur in terra Israelitica facinora, horrenda quoque inde sit oritura vastatio; prophetæ tamen in mendacibus suis & fallacibus vaticiniis, quibus *pacem* promittunt, nec non in nomine idolorum prophetare pergunt; *sacerdotes* quoque sese eorum adjutores & patronos præstant in eo, nec *populo* illud displicet, quin placet cum maxime. Sunt itaque omnia desperata, sicut vos ipsi, ô vates, sacerdotes, ac Judæi! experiemini, cum finale excidium terræ advenerit. Respicitur, ut dixi, ad superiorem pericopam,

pam, a verf. 12 ad 29. usque, & instar conclusionis repetitur cum desperata securitas carnalis in mediis sceleribus, tum extremum judicium, terræ infligendum, quo tandem se deceptos esse experientur. Occurrit *a.* horrendæ corruptionis descriptio, verf. 12. phrasi *abnegationis Jehovæ* expressa, sed hic fortius repetita, *stupendum & horrendum factum est, & fit, in terra.* h. e. tale quid, quod mentem *sideratam* quasi in stuporem defigere, & *æstuante* horrore adficere, possit & debeat; quam vocum emphasin jam supra *c.* 11: 12. observavi. Corruptio quidem directe intelligitur, ut l. c. & alibi, sed simul insinuatur, horrificam calamitatem secuturam esse, in quam exiret illa horrenda perversitas; quam omnes facile prævidere possent, & prophetæ Dei clare ob oculos posuerant. Sensus ergo in omni latitudine est; *horrenda* nunc est corruptio, & talis etiam erit pernicies.

§. CXXIV. *b.* Additur securitatis carnalis in media illa corruptione, & excidii exspectatione, descriptio, qua, omnis ordinis viros in eam conspirasse, declaratur, uti verf. 12, 13. habuimus. Verba ita habent, verf. 31. *Prophetæ vaticinati sunt in mendacio, & sacerdotes premunt super manus ipsorum, & populus meus amant sic,* h. e. Vates mendaciter pacem annunciant, & omne bonum, quorum manus premunt sacerdotes, vel obtegunt veste seu pallio, in patrocinium eos sumendo & adjuvando, ipse populus in eo sibi complacet; adeo ut omnes in securitatem carnalem consentiant, nullisque interminationibus se emendari patiantur. Nihil hic difficile, nisi in *secundo membro, sacerdotes* ירדו *super manus ipsorum*, scilicet, prophetarum falsorum: quod varie vertitur & exponitur. Videamus, quo verbi potestas & usus nos ducat. Sororiæ radices, רדה, רדד, & רדה originem habent in *premendo*, unde inter alia fluxit potestas cum *expandendi*, & ita *obvelandi*, tum *dominandi*, & cervices premendi, ac subigendi, tum denique ultro citroque commeandi, magnoque studio se premendi, & terram calcandi, ac ambitiose *discursandi*, quæ maxime in רוד residet. Nulla

la harum est significationum, quæ ad nostrum locum nequeat adplicari. 1. Si *premendi* usus in genere adsumatur, sensus erit, sacerdotes prophetarum illorum *manus* plaudendo, & ita faciendo, seu tundendo, pressisse, & adplausisse. Quod nescio an Gr. Interpretibus fuerit obversatum, quum verterunt, ἐπεκρότησαν *adplauserunt manibus* suis, vel eorum. 2. Quod si *expandendi* & pallio obtegendi potestas, quam adseruit Cl. Schroeder *a*, & in lucem protraxit, placeat, phrasis erit figurata, quæ *præsidium* & *tutamen* denotabit, sensusque erit, sacerdotes *manus* prophetarum suo præsidio firmasse; quo sensu vox Hebr. apud Arab. frequentatur, ut Idem *b* notavit. Rem ipsam expressit Chald., qui vertit, *sacerdotes auxiliantur manibus ipsorum*. 3. Ultro citroque *discurrendi* si arrideat usus, sensus erit, sacerdotes secundum ductum prophetarum sese movisse, & jugo Dei excusso vagatos esse, ut cupiditati & desiderio suo satisfaciant; vid. ad c. II: 31. על itaque erit *juxta*, *secundum manus*. h. e. ductum prophetarum, uti phrasis quoque sumitur 2 Chron. XXIX: 27. Esr. III: 10. 4. Denique & *dominandi*, & *tyrannidem* exercendi, idea locum quoque habere poterit, hoc sensu: *sacerdotes*, secundum ductum prophetarum, & super manibus ipsorum, seu auctoritate eorum innixi, *dominatum* suum strenue exercent, & omnes, qui ipsis adversantur, sibi subjectos tenent. Quod Cl. Schultens *c* quoque admisit, qui tamen illud, *super manibus ipsorum*, ad ipsos sacerdotes retulit, & morem ab ipsismet ordinatum, ac institutum, seu solennem suam normam agendi, a patribus acceptam, ab ipsis propagatam, intelligit.

§. CXXV. *c.* Subjungitur securitatis & corruptionis invincibilis exitus desperabundus, his verbis: *& quid facietis in extremo ejus?* scilicet terræ, ut ex aff. foem. patet, adeoque tempore finis & excidii terræ. Formula, *quid facietis*? vos omnes modo memorati, ad quos oratio emphatice & sub-

a ad Jes. III. cap. 21. *b* ibid. p. 384. *c* ad Job. X: 14.

subito vertitur; rem esse desperatam indicat: uti Jes. xi 3. ubi etiam explicationis causa additur, *ad quem fugietis auxilii gratia?*

CAP. VI.

1. *Confugite ad asylum, filii Benjamin, e medio Hierosolymæ, tuba clangite Thekoæ, & super Bethcherem elevate signum: quia malum despectat a septentrione, & confractio magna.*

2. *Illa tu habitatrix commoda, & superba delicatula, periisti mihi, filia Tsion!*

3. *Ad eam venient pastores, & greges eorum, fixerunt contra eam tentoria circumquaque, depascit quisque manum suam,* seu spatium.

4. *Auspicamini contra ipsam bellum, surgite & adscendamus ipso meridie: hei nobis! declinavit dies, extensæ sunt umbræ vespertinæ.*

5. *Surgite & adscendamus de nocte, & diruamus palatia ejus.*

6. *Quia sic dixit Jehova exercituum, scindite lignum & fundite contra Hierosolymam aggerem: ipsa urbs visitatum est universum ejus, oppressio in medio ejus.*

7. *Sicut eructat puteus aquas suas, ita eructat malitiam suam; violentia & latrocinatio auditur in ea; coram facie mea jugiter excoriatio & plaga.*

8. *Castigator,* vel disciplinam admittito, *Hierosolyma, ne revellatur anima mea a te, ne te ponam desolationem, terram non habitatam.*

9. *Sic dixit Jehova exercituum, racemando racema-*

bunt; sicut vitem reliquias Israelis; redúc manum tuam instar vindemiatoris ad malleolos, sive flagella.

10. *Propter quod mihi disceptarem & contestarer? ut audiant? ecce præputiata est auris eorum, nec poterunt advertere; ecce verbum Jehovæ ipsis est obtrectationi, nihil minus quam delectantur eo.*

11. *Et excandescentia Jehovæ plenus sum, defatigatus continendo. Effunde super parvulum in plateis, super coetum juvenum pariter: quia etiam vir cum foemina capientur, senex cum pleno dierum.*

12. *Et convertentur domus eorum ad peregrinos, agri & uxores pariter. Quia tendam manum meam super incolas terræ hujus. Inspiratum Jehovæ.*

13. *Quia a minimo eorum usque ad maximum eorum, universum ejus sectatur lucrum, & a propheta usque ad sacerdotem universum ejus facit lucrum.*

14. *Et resarciunt fracturam populi mei super quam levissime, dicendo, pax, pax, & non est*, vel erit, *pax.*

15. *Perplexi sunt facti, quia abominabile fecerant, nec pudore adfecti sunt, nec ignominia notari sciverunt: propterea cadent inter cadentes, quo tempore visitaverim eos adpacti hærebunt & peribunt, dixit Jehova.*

16. *Sic dixit Jehova: Consistite juxta vias, & videte & rogitate de viis seculi; ubi hic via bona illa? & ite in eam, & invenite requiem animis vestris. Sed, non ibimus,* dixerunt.

17. *Et constitui vobis speculatores,* dixique, *attendite sonitum buccinæ; sed dixerunt, non attendemus.*

18. *Propterea audite gentes, & cognosce cœtus, quod in ipsis est,*

19. *audi terra. En ego supervenire facio malum huic populo, fructum cogitationum eorum, quia verbis meis aures non præbuerunt purgatas, & legem meam detestati sunt.*

20. *Quorsum mihi hoc? thus e Scheba venire solitum, & calamus odorifer e terra longinqua. Holocausta vestra non sunt accepta, nec sacrificia vestra suavia mihi.*

21. *Propterea sic dixit Jehova; ecce me! tendo ad populum huncce offendicula, quibus adpacti hærebunt, patres & filii pariter, vicinus & amicus ejus peribunt.*

22. *Sic dixit Jehova: ecce populus venit e terra septentrionis, & gens fortis excitabitur e lateribus terræ,*

23. *(Arcum & lanceam firmiter tenebunt, sævus effractor ipse, nec miserentur, vox eorum, instar maris, æstuabunde fremit, & equis vehuntur, instructus instar viri ad bellum) contra te, filia Tsion!*

24. *Audivimus auditionem ejus, flaccidæ sunt manus nostræ, angustia stringens prehendit nos, versans tortura instar parturientis.*

25. *Ne exeas in agrum, ne per viam incedas, quia gladius inimici, pavor undiquaque.*

26. *Filia populi mei, adcinge saccum, & volve te in cinere, luctum unigeniti fac tibi, planctum acerbitatum gravissimarum, quia subito supervenies vastator nobis.*

27. *Exploratorium constitui te populo mihi arcis, ut cognosceres, & probasti vias eorum.*

28. *Omnes illi recedentes refractariorum, detrectatores, æs & ferrum, omnes illi, perditissimi illi* sunt.

29. *Ronchizat flatus* eorum *ab exustione eorum*, vel *igneus*, aut *ignem, in rectum. Plumbum frustra conflat conflando, cum mali non avellantur.*

30. *Argentum reprobum eos vocabunt, quia reprobavit eos Jehova.*

§ CXXVI.

Nonus articulus Hierosolymæ obsidionem, cum excidio ejus conjunctam, a Chaldæis, tanquam præsentem vivis coloribus depingit, nomineque Dei confirmat, subjuncta adhuc admonitione ad resipiscentiam, si tempore obsidionis velint exitium reip. & urbis prævenire, verf. 1--8. Cujus pericopæ ansam præbere potuit ultima pars præcedentis: *quid facietis in extremo ejus?* scilicet, Tsionis & terræ. Occurrit autem *a*. obsidionis Hierosolymæ tum prædictio, tum tanquam præsentis delineatio; *prior*, verf. 1--3., *posterior*, verf. 4, 5. cujus utriusque indicium est in diversi temporis verbis; *prioris* enim partes verba in fut., *posterioris* in præs. occurrunt. In *priore* parte *a*. Benjaminitæ excitantur, ut, deserta Hierosolyma, ad austrum sese recipiant; Thekoam & Bethcherem, omnesque quaquaversum *tuba*, & aliis signis elatis, admoneant; ut sibi prospiciant, verf. 1. his verbis, *confugite ad asylum Filii Benjamin ex medio Hierosolymæ, Thekoæ clangite tuba, & super Bethcherem elevate signum.* h. e. Vos, o tribules mei, qui vel Hierosolymis habitatis, vel eo, securitatis ergo, confugietis suo tempore, ne ibi consistite, sed inde vos alio recipite: longius versus austrum, simul accensis ignibus, & tubam figentes

in

in locis editis, Thekoa & Bethcherem, omnibus quaquaversum significate, advenire hostem a septentrione versus Tsionem, ut in alia loca tutiora sese recipiant, si possint. Interpretes, qui de convocatione incolarum in unum, ut unitis viribus hosti adventanti resistant, verba interpretantur, uti faciunt multi, *a.* ex eo refutantur, quod verbum [illegible] vero suo significatu & usu denotet *receptionem* ad *asylum*; uti ad c. IV: 6. vidimus. *b.* quod phrasis, ex *medio Hierosolyma*, nos ad fugam ducat, & non ad resistentiam. *c.* quod scopus prophetæ sit, *desperabundum* populi statum repræsentare, Hierosolyma obsidenda & expugnanda. Quo ultimæ voces cap. præcedentis etiam tendunt. Signa itaque *tubæ* & *ignis* in montibus hic non ad congregandos milites, sed incolas de adventu hostis admonendos, ut sibi prospiciant, pertinent. Quo in casu solebant quoque *tuba* clangere, & *ignes* accendere: quod posterius indicatur vocem [illegible], quæ proprie *elevationem*, dein in specie *fumi* vel *ignis* elationem denotat. V. d. Bootius *a*, qui locum recte exposuit: quare plura non addo. Ceterum ad *Benjaminitas* videtur oratio hæc admonitoria verti, cum quod Prophetæ tribules fuerint, tum fortissimi haberentur Judæorum, quibus fugientibus res debeat videri desperata. Loca vero *Thekoa* & *Beth-cherem* memorantur exempli gratia, tanquam viciniora Hierosolymis non tantum, sed & civium sapientia ac prudentia ab antiquo celebria: cujus indicium in eo est, quod Joab de Thekoa *sapientem* foeminam accersiverit, 2 Sam. XIV: 2. & inde quoque Amos propheta fuerit, de quo vid. Hieronymus. Præterea, quod negligendum non erat, versus *austrum* Hierosolymæ, quia hostis a septentrione veniret Hierosolymam usque; quam cingeret obsidione, adeo ut non nisi versus *austrum* urbis foret aliquod perfugium. Interpretes hæc loca passim ad septentrionem Hierosolymæ collocare, & eo in sua interpretatione respicere, mirari subit, cum ex Euseb. *b* & Hieronym. *c* & aliis no-

a Anim. l. 1. c. 11. *b* Onom. in [illegible] & [illegible] *c* ad Amos.

notissimum sit, in australi parte Judææ fuisse sita. Quod vero Eusebius *a*, Thekoam olim fuisse *urbem* φυγαδευτηρίου *refugii*, tradat, illud ex hoc loco videtur desumtum. Paranomasia in vocibus תקעו בתקוע & שאו משאת, in stylo orientis & Script. frequentissima, in oculos mox incurrit.

§. CXXVII. Ratio hujus admonitionis, ab hostium septentrionalium invasione in Judææam, & Hierosolymæ obsidione, non impedienda, petita; quæ mox apte subjungitur, 1. in genere proponitur, vers. 1. fin. & 2. dein 2. explicatius traditur, vers. 3. 1. Generalis propositio habet, ingens malum ac fractionem terræ a septentrione sese manifestare; unde Tsionis ruina orietur, vers. 1. & 2. his verbis: *quia malum despectat a Septentrione, & confractio magna*, h. e. ingens calamitas, quæ terram plane confringet, jam *nunc*, ecce! e Septentrione, tanquam ex alto, despectat in terram, eique imminet: id enim denotat verbum נשקף, proprie *incurvatus* est ad *despectandum* ex alto, cum corporis inclinatione: שקף enim in Kal est *incurvavit* *b*. Indicatur autem, calamitatem e Septentrione jam tunc temporis, quod Propheta tanquam præsens ob oculos ponit, capitibus imminere, & ex alto in populum despectare, ut irruat mox instar *turbinis*; quo etiam nos ducit vox סער, quæ calamitosam diffractionem & subversionem signat, qualis fit per *turbinem* violenter erumpentem, & irrumpentem *c*. Conferatur de re ipsa Jer. 1: 14. & ibi dicta. Cujus turbinis erumpentis consequens, oratione ad Tsionem versa, mox subnectitur, vers. 2. *Illa habitatrix commoda & superba delicatula, periisti mihi, filia Tsion!* h. e. Tu illa, in meditullio & centro commodissime habitans, ac gaudio & deliciis adfluens, simul oculo amatorio ferocula, *tu*, *Filia Tsion*, talis ac tanta, eheu! *periisti mihi*, per calamitosum illum turbinem in te erumpentem plane subvertenda. Vertitur ad ipsam Tsionem, seu Hierosol., subito sermo, elegantiæ & emphasios ergo; cujus in-

a l. c. in Θεκωε *b* Vid. Schultens ad Prov. VII: 6. *c* Id. ib. XV: 4.

indicium est, [illegible] emphatico seu demonstrativo, in vocibus נוה & המענגה h. e. commoda illa habitatrix *tu*, & delicatula illa *tu*, seu, ô *habitatrix ô*; præterea *Filia Tsion* in fin. recte pro persona, quam adloquitur propheta, habetur; & verbum דמיתי eo quoque recte flectitur, modo notetur, esse sec. pers. cum י paragogico emphatico, pro דמית לי *periisti mihi*: de quo supra ad c. IV: 19. dixi: verbum vero דמה hic *exitii* habet & interitus intellectum, secus ac aliis videtur, qui *similitudinis* retinent: cui hic locus esse nequit, cum nec phrasis admittat, nec sensum fundat tolerabilem. Verbum דמה originem habet in *æquatione liniendo* facta, unde *complanationis* & planissimæ exæquationis idea fluxit, quæ inter alia transiit cum ad *silentium*, met a mari æstuante, quod stratis undis æquari dicitur, tum ad *excidium*, quo omnia solo æquantur. Recte itaque vertitur, vel *sites* mihi, vel complanata & excisa jaces mihi: opposite ad statum præsentem & *commodum*, & *delicatulum*, multa celebritate, ac frequentia, & strepitu, concurrentium ac luxuriantium conspicuum. Quo duo illa epitheta pertinent, נוה & מענגה; quorum *prius* adfert *hospitium* commodum valde, ad quod *tenditur*, tanquam *centrum* & *meditullium*, toto corde & omnibus viribus. Proprietas est *tendere*, *intendere*, *contendere*; unde usus, quem dedi, fluxit facillime. Sic & Ex. xv: 2. Israel de Deo dicit, ואנוהו *faciam eum* mihi *meditullium*, scilicet, omnis laudis ac lætitiæ. Adpellatur itaque Tsion aptissime *habitatio*, seu *habitatrix*, commodissima, tanquam totius populi meditullium, quo tendunt, qua gloriantur omnes. *Posterius* epitheton expingit *delicatulam* & *lascivam* puellam, quæ præ mollitie & suavissimo gaudio amatorio colliquescit, & feroculam, ac superbientem agit. Proprietas est in *gestu oculi amatorio*, quum præ voluptate, deliciis & jucundissimis adfectionibus, oculi veluti obliquantur & natant. Hinc infert cum *mollitiem*, qua, quis fractus, oculis gestientibus se prodit, tum delicatum & superbum gaudium, quale est

[illegible] ama-

a Nold. part. p. 246 [illegible]

amatoris; *speratam* suam possidentis, & ea fruentis *a*. Quæ quam apte in Filiam Tsionis quadrent, facile perspicitur. Conf. de phrasi Deut. XXVIII: 54, 56. Jes. XLVII: 1. & alibi.

§. CXXVIII. 2. Prædictio futuræ obsidionis perniciosæ mox clarius traditur, ita ut via sternatur ad præsentis obsidionis descriptionem, quæ mox subjungitur. Verba vers. 3. ita habent. *Ad eam venient pastores & greges eorum, fixerant contra eam tentoria circumquaque, depascit quisque manum suam*, seu spatium. Quod de calamitosa confractione a Septentrione despectante dixi, illud eo pertinet, quod inde venturi sint duces & principes cum ingente exercitu, Tsionem undiquaque obsidione cincturi, & omnes ejus opes ac proventus circumquaque depasturi, tam certo, acsi jam venissent & depasti essent; adeo ut merito dici possit, illos jam istud fecisse. Huc enim spectat, quod verbo fut. temp., *venient*, subjungantur reliqua præter. temporis, nisi quis malit, præt. pro *futuro* sumere; præt. enim præmisso, fut. sequi subinde solet ejus potestatem *b*. Sed possent quoque hæc præt. temp: verba cum seq. construi, per ellipsin voculæ אשר, satis frequentatam, subintelligendam ante תקעו; hac ratione: *venient ad eam pastores* cum *gregibus suis*: qui, cum fixerint tentoria & omnia fuerint depasti, eo non contenti *dicent* ad se invicem; instruite *contra ipsam illam bellum*, *surgite & adscendamus* &c. Ceterum hostiles *exercitus*, eorumque *duces*, comparantur, satis usitate, cum *pastoribus* & *gregibus*, tum ob eorum immensam copiam, tum ob prædæ aviditatem, & prædationem instituendam; sed hic eo aptius, quod Tsion modo cum commodissima, & lautissima, habitatione fuerat comparata, quæ lætissimi pascui habebat conspectum: a quo significatu non est vox נוה aliena, quippe quæ & *caulam* ac *pascuum* denotat; ut loca a Bocharto *c* citata docent. Reliqua sunt facilia. Tantum notetur, vocem ידו in

fin.

a Schultens ad Job. XXVII: 10. Prov. XIX: 10. *b* Id. ad Job. XIX: 27. *c* Hieroz. p. I. l. II. c. 44.

in. verf. *fpatium* denotare, fingulis adfignatum & propinquum, fecundum omnem *protenfionem* fuam. Radix enim ידה proprie dicit, *tendere*, exferere prolixius; unde יד *manus extenfa*, & inde *fignum monftrans*, quafi manu porrecta, Ez. XXI: 19. 2 Sam. XVIII: 18. & *fpatium* feu *locus*. a. Senfus itaque eft, hoftes omnia circumquaque in circuitu Tfionis, totum territorium ejus, effe depafturos, deprædaturos & vaftaturos.

§. CXXIX. Sed nec eo contenti ipfam metropolin, meditullium populi, adgrederentur, eo fcopo, ut eam penitus deftruerent. Quod eleganter, tanquam præfens, depingitur, verf. 4, 5. *Aufpicamini contra ipfam bellum; furgite & adfcendamus ipfo meridie: hei nobis! declinavit dies, extenfa funt umbra vefpertina: furgite & adfcendamus de nocte, & diruamus palatia ejus.* Verba funt hoftium, fe excitantium ad Hierofolymam oppugnandam; verbo ויאמרו & *dicent* per ellipfin intellecto; uti paffim recte obfervatum eft. Sed, quod minus probe animadverfum eft, excitant fe non ad obfidendam, fed fine obfidione mox aperto marte invadendam ac deftruendam; cum omnia ex voto fuccedebant, ne aliquod impedimentum occurreret, quod cum ante fores videbant, hoc non obftante urbem adgredi volebant; fed res ipfis non fuccederet, Deo aliter difponente, ut in obfidionem mutaretur oppugnatio, & populo ita adhuc concederetur tempus & occafio ultimum excidium præveniendi. Quo fequentia verba, nomine Dei prolata, manifefte tendunt; ut mox patebit. Propheta itaque hoc loco aviditatem hoftium depingit, & confilia eorum repræfentat, quæ fuiffent exfecutioni mandata, nifi Deus interceffiffet, & aliquod impedimentum objeciffet, quod hic cum *vefpera* & *nocte* comparatur; &, in Aegyptiis, fefe contra Chaldæos moventibus, quærendum effe, ex hiftoria conftat. *Aviditas* itaque hoftium non tantum depingitur, fed & *impedimentum*, aliunde oriturum, repræfentatur; adeo ut *meridies* fit commoda oppugnandi occafio, nemine impediente, *vef-*

 pera

a Vid. Vitringa ad Jef. LVI: 5.

pertinæ umbræ significent difficultatem consilium exsequendi majorem, aliunde injectam; quæ, cum primum oriretur, eos in lamentationes conjecit, *væ nobis* &c: Volebant quidem, durante illo impedimento, vel cum primum nasceretur, rem perficere; sed non succederet: sicut indicatur per silentium prophetæ, qui de successu tacet; quia mox, quousque res hac vice proveniret, declarat. Reliqua ab Interpretibus recte sunt expedita. Illud solum observo, verbo קדש, in plurali, קדשו *contra ipsam bellum*, non *adgressionem* seu parationem tantum designari, sed *sacrum* simul bellum esse indicari, quod cum successu sit gerendum, cum quod ad perjurium, seu foedus, juramento a rege Judæorum firmatum, violatum, vindicandum geratur, tum quod, ipso Jehova, Deo Israelis, auspice, erat ex ipsorum Chaldæorum opinione, vid. c. XL: 2. susceptum, tum denique, quod more Chaldæorum solennibus ritibus sacris, de quibus ex Ez. XXI: 21. egregie constat, erat addictum, & consecratum. *Sanctificate* bellum itaque est, sacrum reputate bellum, & qua tale illud animose gerite, de successu securi: emphasin hanc aliquatenus etiam detexit Ghislerius.

§. CXXX. β. Cum calamitatem, ab hostibus imminentem Hierosolymæ, repræsentasset, simul eorum impetuosa consilia ac molimina exposuisset; subjungit, quæ *secunda* pericopæ pars est, *a.* confirmationem dictorum, & *modum* ac *terminum* successus consiliorum hostilium, hac vice futuri, una cum *ratione* permissionis & directionis Divinae, vers. 6, 7. Quibus versibus, 1. confirmatio & successus consiliorum hostium, ad certum terminum usque, proponitur, vers. 6. his verbis, *quia sic dixit Jehova exercituum, scindite lignum, & fundite contra Hierosolymam aggerem*, h. e. verum fore, quod de hostium adventu dixi, nec tamen consilia eorum tunc mox ad plenum effectum fore perducenda, verbis Jehovae & confirmo, & expono clarius: venient, dixit Jehova, nec tamen Tsionem mox occupabunt, sed cingent eam obsidione; hoc permittam, &

eo dirigam, ut fiat. Solemnem formulam, *sic dixit Jehova*, præmittit, ut superiora confirmaret, simul explicaret, quousque consilia hostium, vers. 4 & 5 memorata, hac vice procederent, non ultra obsidionem nimirum; secus ac ipsi volebant. Cum enim hostes a Propheta essent introducti, tanquam se ad Hierosolymam e vestigio invadendam, & vi aperta occupandam, incitantes; Propheta declarat, impedimentum aliquod objiciendum esse, & Deum permissurum tantum esse, ut urbs obsideretur. Quo tendunt verba, ad hostes a Deo directa, *scindite lignum* & *fundite contra Hierosolymam aggerem*, scilicet, hoc facite, licet, & permitto vobis. Nihil hic difficile: *aggerem* enim voce סללה denotari, & ejus locum esse in oppugnandis muris urbium, satis constat, & observatum est; tantum not., עצה notare *lignum* cum ה, non foem., sed paragogico emphatico, ad lignum copiosum exprimendum: uti in multis aliis vocibus: adeo ut frustra sese hic implicuerint Interpretes, nonnulli etiam valde aliena sectati sint, qui *consilium* verterunt, uti facile adparet ex phrasi *scindere* lignum, & nexu orationis.

§. CXXXI. a Additur ratio hujus permissionis & directionis Dei, a summa & insuperabili corruptione urbis petita, his verbis: *ipsa urbs, visitatum est universum ejus; oppressio in medio ejus: sicut eructat puteus aquas suas, ita eructat malitiam suam: violentia & latrocinatio auditur in ea, coram facie mea jugiter excoriatio & plaga.* Quæ omnia vividissime & fortissime pingunt summum corruptionis gradum, per totam urbem probe pervestigatam, ita ut oppressio publica in ea dominetur, & malitia ex perenni vena & inexhausta eructetur continuo; publicus etiam violentæ latrocinationis clamor in omnium aures se ingerat, & coram facie ipsius Dei excorians plaga sese ubique exserat. De verbis & phrasibus nonnulla habeo notanda, minus recte intellecta. 1. Primum est, verbum הפקד non cum *urbe*, quæ præcessit, sed כלה, quod sequitur, construendum esse, ut vel ex masc. gen. verbi הפקד elucescit. Recte autem cohærent,

 urbs

urbs hæc, *visitatum est universum ejus*, pro, *urbis* hujus universitas est visitata: כל enim esse subst. & *universitatem* significare, nemini non notum. Confirmat, quod *totum ejus*, *oppressio in medio ejus*, minus facile fluat. Sensus itaque est, universam urbem per omnia loca ejus accurate fuisse a Deo pervestigatam, ut nihil sit intactum relictum, ad statum ejus recte cognoscendum. Respicitur ad judiciale scrutinium, quod Deus ἀνθρωποπαθῶς instituere dicitur, & nihil aliud ac accuratam Dei notitiam dicit, quæ judicium secum habet conjunctum. Sic Gen. XVIII: 21. & alibi. Quod *visitare* Dei hic, & alibi, dicitur: videatur etiam, c. V: 1. Viderunt hunc sensum nonnulli, ut *Schmidius*, sed qui cum seq. non construxit, uti debebat. 2. Phrasis, *oppressio in medio ejus*, generalem urbis visitatæ conspectum exhibet, qui mox latius & accuratius deducitur; pro more Script., rem primum in genere & summatim proponentis, dein explicantis fusius per partes. Sensus vero est, *oppressionem* qualemcunque, quocunque nomine insigniri solitam, occultam & manifestam, fraudulentam & violentam, dominari in hac urbe, & eam ad omnes partes replevisse. Eam enim emphasin habet, *in medio ejus*; uti sequentia docent. 3. Comparatio cum *puteo* perenni vena prædito, & aquas continuo eructante, puteo altius effosso (quam potestatem habet בור & ביר a rad., quæ *findere*, *perfodere* & *excavare* profundius, denotat,) eo tendit, ut oppressionem in medio urbis, tanquam in perenniter fluente & manante puteo esse, & inde indesinenter eructari, declaretur; adeoque phrasis, *in medio ejus*, explicaretur clarius. Digitus itaque intenditur ad alte radicatam *concupiscentiam* & perversitatem *cordis*, sese continuo inde exserentem in omnia flagitia. Quæ elegans & facilis est figura amplissimi sensus. 4. Reliqua, quæ sequuntur, ad *oppressionem*, ex eo fonte manantem, pertinent elucidandam; *violentia vero* & *vastatio* est violenta admodum grassatio & latrocinatio publica, & omnium ora solvens. Voces enim *violentia* & *vastatio* per adpositionem conjun-

g-u-

guntur, & se mutuo illustrant, sive violentam *grassationem*, sive *violentiam latrocinalem*, dicas; perinde est. Vox שד proprie *incursationem*, dein *vastationem* significat, sed in specie talem, qualis est *latronis*, qui per excellentiam *vastator* adpellatur; uti Prov. XIX: 26. *a*: altera vox חמס proprietatem habet in *crudo*, & *duritie* cruda, unde ad *violentum* & *crudum* animum transfertur *b*. Nec elegantia aut emphasi caret, quod *audiri* dicatur in medio urbis hæc violentia latrocinalis; respicitur enim ad streperam aquarum putei eructationem, & indicatur, magnum non tantum rumorem quaquaversum dedisse hanc grassationem, sed pro *peccato clamante*, adeoque non amplius ferendo, esse habendam; imo præterea eam in urbe non tecte, & occulte, sed palam, non cum aliquo pudore, sed impudenter, fieri, ita ut facinora illa palam efferantur & celebrentur. Denique subjungitur, quod notandum est, *coram facie mea jugiter excoriatio & plaga*, h. e. plaga excorians: eodem modo, ac in præcedente. Conjunguntur & alibi nonnunquam duæ hæ voces, ad plagam sævissimam, cutem & carnem lacerantem, ac laniantem denotandam; quæ vis est radicis חלה, in *excoriando, atterendo* & *lacerando*, sita *c*. Significatur itaque, Judæos, in propria viscera sua Hierosolymis inmaniter *sævire*, ita ut alii alios excoriante plaga adficiant, & sævissime excrucient. Nec negligenda erat emphasis, *coram facie mea jugiter*, quæ impudentiam & obstinationem summam exprimit, simul ad Deum Hierosolymis habitantem respicit.

§. CXXXII. *b*. Addit Deus ex superabundante ultimam adhuc admonitionem Hierosolymæ ad resipiscentiam, nisi penitus & e vestigio sese velit excisam: quæ erat summa Dei benignitas erga hanc urbem, qua *obsideri* aliquandiu voluit Hierosolymam, non mox, quod hostes volebant, occupari; ut tempus aliquod resipiscentiæ adhuc concederetur. Verba ita sonant, vers. 8. *castigator*, vel disciplinam admittito;

 Hie-

a Vid. Schult. ad l. c. *b* Vid. ad Mal. II: 16. *c* Schultens orig. l. I. c. 9.

Hierosolyma; *ne revellatur anima mea a Te, ne te ponam siderationem, terram non habitatam.* h. e. eo scopo te non mox occupari, sed ad tempus aliquod *obsideri* tantum volui ab hostibus, ut, si pote, adhuc te ad meliorem frugem reducerem; ultimumque excidium, quod ante fores est, a te avertam. Utere itaque hac mea longanimitate, & te erudiri patere; quod si neglexeris, ultima & totalis destructio mox te feriet. Ex quo nexus & scopus verborum clare patescit. Verba nihil habent impediti. Sed *duo* ad emphasin orationis notanda habeo. 1. Alterum, est, verbum יקע propriam sedem habere in *vulsione vehementiore* cum *fragore conjuncta*, unde ad grave supplicium capitale, in quo est gravis pertusio & disruptio membrorum, cujus etiam fuerit naturæ, transfertur *a*. Met. vero ad *animam* adplicatur vehementius *avulsum* & *abruptum a communione ejus*, cui antea arctius adhæserat. Quod Gr. etiam dicitur ἀπορρήγνυσθαι, & Lat. *abrumpi*, *disrumpi*. Ex quo, quanta hic polleat emphasi phrasis, clare elucescit. Indicatur 1. arctissima Dei cum Hierosolyma & civibus ejus conjunctio. 2. intimus & flagrans Dei erga eam adfectus. 3. difficilis separatio, nec sine dolore facienda, & coacte quasi, adeoque, 4. Deum per horrendam populi corruptionem quasi cogi ad id faciendum. 5. denique, *separationem* semel factam esse reparatu difficillimam; sicut in partibus corporis semel violenter avulsis. 2. Alterum, quod observandum habeo, est, phrasin, *ne te ponam siderationem, terram, quæ non incolitur*, aut *inhabitabilem*, nos ducere ad terram non simpliciter incolis orbam, sed & fulmine quasi tactam, & inhabilem ad incolendum factam, instar fere Sodomæ & Gomorræ; uti est Deut. XXIX: 22. Jes. 1: 7, 9. & alibi apud Prophetas. Vox שממה proprie signat *vastationem* instar eorum, quæ *uredine* jacent desolata, tanquam *siderata* urente & pestifero adflatu: quæ propria est verbi שמם potestas. uti sæpe alias notavimus. *Terra* vero *non habitata* est emphatice *nihil minus* quam talis, sed in-

a Vid. Schultens ad Har. conf. III. p. 139. V. p. 158 & Kuypers ad Ali p. 100.

inculta plane & desolata, quæ nullos admittit incolas. Vid. c. 21:6. in deserti Arabiæ descriptione.

§. CXXXIII. *Decimus* articulus *cum* ultimum urbis excidium, ex repetita obsidione oriundum, quod populo, admonitionem superiorem spernenti, eveniret, *tum* etiam ejus rationem, in universali & incorrigibili corruptione sitam, comprehendit, vers. 9--15. Hæc enim pericopa cum solenni formula, *sic dixit Jehova*, incipit, & in ea terminatur; indicio, eam cohærere; sicut argumentum ejus quoque docet: quod 1. est *denunciatorium* excidii, vers. 9--12. 2. *justificatorium*, seu causam reddens judicii tam severi, vers. 13--15. 1. *Prior* pars continet adhortationem Dei duplicem, α. ad hostes, vers. 9, 10. β. ad ipsum prophetam, vers. 11, 12. α. Adhortatio hostium a. proponitur, vers. 9. b. justificatur, vers. 10. a. Propositio his verbis, vers. 9. *Sic dixit Jehova exercituum: racemando racemabunt sicut vitem reliquias Israelis; reduc manum tuam instar vindemiatoris ad malleolos*, sive flagella. h. e. Sicut hostes Hierosolymitanos, solos de Israele superstites, jussu Dei plane ad unum usque spoliabunt, & de sede removebunt, ita iis præterea injunxit, oratione ad singulos versa, *reduc manum tuam ad flagella* cædenda instar vindemiatoris; teneros ramos, qui succreverant, quoque aufer; ut nihil de vite supersit. Singulare est, quod cum modo in tertia persona dictum fuerat, *racemabunt*, mox oratio vertatur ad eos racematores, ut flagella cædant. Quod rectius non videtur expediri posse, quam ut, vocula לאמר per ellipsin intellecta ante *racemando racemabunt*, oratio sic concinnetur: *sic dixit Jehova ad eos, qui racemabunt; reduc manum tuam &c.* Similis ellipsis quoque mox, vers. 11., recurret, ut ibi videbimus. Propheta vero in tertia persona, *racemabunt*, potius locutus est elliptice, ut illud futurum esse indicaret, seu prædiceret, nomine Dei, simul illud præcessurum esse, nec eo contentum fore Jehovam; sed, ut ulterius progrediantur, jussurum: ac si haberetur; *racemando racemabunt*, inquit Jehova; & hoc fac-

to dixit ad eos Jehova, quum hoc perfecerint, ut manum iterum ad vitem admoveant & malleolos auferant. *Duo* itaque hic adnunciantur, *racematio*, & dein *flagellorum* amputatio: quod utrumque *reliquias Israelis* feriret, sive Hierosolymitanos, quorum obsidio supra erat repraesentata; *reliquias Israelis* dictos, quod soli de universo populo Israelis restarent, soli de *Israele* & *Juda*. *Racematio* vero, accurate & cum studio instituenda, quare *racemando racemabunt* habetur, complectitur *uvarum* omnium, quae post vindemiam supererant, collectionem; adeoque Hierosolymitanorum, post totam terram jam occupatam & destructam, populi in exilium abductionem jam factam, adhuc superstitum occupationem, spoliationem, & destructionem, seu deportationem in exilium. Quod sub Zedekia factum est. Sed quid *flagellorum* amputatio erit, ab hostibus facienda? reliquiarum, putem, destructio post regnum jam deletum; quae cum *flagellis* vitis comparantur, quod, tenerorum instar palmitum, novam videbantur promittere segetem; quales fuerunt etiam, qui sub *Gedalia* in terra manserunt, sed deinceps quoque terra moti sunt, & fatum invenerunt in Aegypto, a Chaldaeis etiam occisi vel exterminati: uti ex nostro propheta constat. Conf. etiam visum Ez. v: 4, 12. de *tertia* parte crinium, primum relicta, dein deleta quoque. Phrasis, *reducere manum instar vindemiatoris*, seu potius *vinitoris*, ad *flagella*, significat eorum amputationem, uti *vinitor*, manum vitibus purgandis admovens, facere solet, quo hic respicitur. Quod titulus בצר, proprie *praecisoris*, *amputatoris*, quae vera est rad. בצר potestas, quoque docet. Vocem vero סלסלות verti *flagella*, ex vicina זלזלים, uti Coccejus *a* jam conjecit: posterior vero haec vox est a זלל, cujus origo est in laxa & pendula fusione; unde derivatum denotat *palmites* laxos & fusos vitium luxuriantium, in specie *palmites* teneriores, ex sarmentis anniculis natos, quos Lat. *flagella* vocant: a qua potestate parum abest vox סלסלות a rad. סלל, cujus vis si-

a in Lex.

sita est in *longa serie* & *concatenatione*; dicit, *nectere*, *connectere*, unde סל *canistrum* a viminibus implicitis, & סלסלות *ramusculi*, seu palmites tenuiores, non vero *quali*, seu corbes vindemiatores: quod huc etiam non quadrat.

§. CXXXIV. *b.* Sententiæ decisoriæ justificatio, a pervicacia & inemendabili indole populi petita, subjungitur, vers. 10. his verbis: *propter quod mihi disceptarem, & contestarer? ut audiant? ecce præputiata est auris eorum, nec poterunt advertere: ecce verbum Jehovæ ipsis est obtrectationi; nihil minus quam delectantur eo.* h. e. Non possum non tandem ad populum penitus exscindendum procedere; quia omnia mea monita sunt frustranea, populo per præjudicia & adfectus pravos jam obdurato, ut ea recipere amplius nequeat; quin tanquam abominandum quid respuat, & pro opprobrio ac injuria sibi facta habeat; tantum abest, ut in eo acquiesceret, & delectaretur. Pauca habeo ad intellectum verborum notanda. 1. Voces על־מי non sunt, ut solent, vertendæ *ad quem loquar*, sed *propter quod mihi*, cum quod non אל, sed על habeatur, tum quod in plur. de populo sermo sit, tum quod scopo sit convenientius, *propter quod*; ratio enim datur a frustraneo opere in loquendo. Nec abhorret a vocula מי ille usus: est enim concise pro מה לי *quod mihi*, per elegantem redundantiam *mihi:* ut sæpe alias. Sic & alibi מי de *re* sumitur, ut Jud. XIII: 17. Jon. I: 8. 2. Verbum דבר hic quoque exserit usum *actionis* forensis, & disceptationem instituere; ut supra habuimus. Littera ו in וישמעו habet usum eventus & *effectus, ut audiant*, vel potius est nota interrogationis, *an audient?* uti c. IV: 10. vidimus, quando major est emphasis; negat enim interrogatio fortius. 4. Elegantia est & emphasis egregia in verbo הקשיב, relate ad *aurem præputiatam*, dicit enim verbum proprie *purgata aure* adtendere, in Kal proprie dicit, *purus*, purgatus est; unde in Hiph. *purgavit*, *purificavit*, in specie subintellecta voce און *auris*, *purgavit aurem*, unde *purgata aure* adtendit: hic vero opposite ad *aurem præputiatam*; quæ pelle

aut *carne*, obvelata vel obstructa est; vel, cujus sordes occalluerunt, ansa arrepta a pellicula præputii, quæ in calidis illis regionibus obdurescit: unde ad *sordes*, & rem quæ occalluit, transiit. Sumitur etiam Arab., pro *facibus* & *sedimento*. Sensus itaque est, cum aurem habeant præputiatam, non poterunt purgata aure audire mea monita, quæ itaque prorsus frustranea forent. *Auris* vero *præputiata* pingit animum præjudiciis & corruptis adfectibus obsessum & obduratum. Quod facillimum est. 5. Ultimum membrum, *ecce, verbum Jehovæ est ipsis opprobrio, non delectabuntur eo* haberem, si liceret; pro verbis prophetæ, superius dictum Jehovæ confirmantis, quod *ecce* tunc cum emphasi repetatur, quodque in tertia persona *verbum Jehovæ*, & non *verbum meum* habeatur: accedit, prophetam mox pergere loqui, vers. 11. Ceterum verbum Jehovæ *ipsis* dicitur *opprobrio*, quatenus illud respuebant, tanquam sibi *probrosum* & *injuriosum*, populo Dei & prærogativis ejus contrarium, & honorem suum *lacerans*; quæ vera est verbi חרף potestas, in *carpendo* & *stringendo* sita, unde pro *obtrectare*, meritis & honori detrahere, sumitur.

§. CXXXV. β. Pergit propheta loqui, suamque animi adfectionem declarat, & mandatum Jehovæ, eo in statu ad se factum de ira Jehovæ in populum effundenda, exponit, vers. 11 & 12. *Et excandescentia Jehovæ plenus sum, defatigatus continendo. Effunde super parvulum in platea, super coetum juvenum pariter: quia etiam vir cum foemina capientur, senex cum pleno dierum. Et convertentur domus eorum ad peregrinos, agri & uxores pariter. Quia tendam manum meam super incolas terræ hujus. Inspiratum Jehovæ.* In quibus verbis explanandis Interpretes per omnia non recte instituerunt; quod deducere non licet: meas itaque cogitationes tantum proferam. Verba continent, *a.* intimæ prophetæ adfectionis confessionem respectu Dei & populi, his verbis: *& excandescentia Jehovæ plenus sum, defatigatus continendo*, h. e. iræ Dei, in populum accensæ,

co-

cognitione, mihi facta, & sensu molesto adeo repletus sum, ut ferendo vix amplius sim; sed eam tandem proferre ad populi perniciem cogar, absque ut ipsum amplius aliqua dilatione, aut temperamento, erigere ac consolari queam. Significat itaque, 1. se nihil in animo habere, quam *iram Jehovæ*, nihil præter hoc, quod cum populo nunc possit communicare: id enim dicit, *plenus sum ira Jehovæ*, scilicet ego, qua propheta & doctor populi, qui *custodis* seu *præconis* publici personam gero, & populo nunciare debeo, quid videam, & sentiam. *Ira* itaque *Jehovæ* non est *zelus pro Jehova*, uti nonnulli capiunt, phrasi repugnante, & sequente oratione, *effundere* &c. refutante; sed *ira* Jehovæ in populum prophetæ revelata. 2. hanc tristem rem jam diu continuisse, & cum populo communicare veritum esse, præ adfectu suo erga eum, etiam sæpe deprecatum esse a Deo. 3. rem tandem eo devenisse, ut retinere aut retardare amplius nequeat, sed, ultimum excidium ante fores esse, adnunciare debeat.

§. CXXXVI. *b.* Tradit nunc propheta, quid a Deo hoc in statu suo acceperit in mandatis, quid sibi dixerit, & qua ratione dictum confirmaverit, quæ *duo* distincte memorantur, *a.* *Mandatum* ipsum his verbis: *effunde super parvulum in platea, & super coetum juvenum pariter*, scilicet, iram, qua se plenum esse dixerat propheta: alio enim illud *effundere* nequit referri, eo autem rectissime. Sunt autem verba Jehovæ ad prophetam; & repetendum est illud, *sic dixit Jehova*, nempe sicut modo ad hostes, qui racematuri essent populum, ita nunc ad me, qui me ira Dei esse refertum dixi, non sine querula lamentatione. Qua ratione omnia recte cohærent. Jubetur itaque propheta a Deo, ut *iram Jehovæ* effundat. h. e. non amplius intra se contineat, sed *pronunciet*, palam & cum effectu mox secuturo. Sed quare in specie *super parvulum in platea, & coetum juvenum?* ut *cum* universalis corruptio ad parvulos & juvenes usque, uti ante diluvium, tum universale excidium exprimeretur,

minorennibus & *adolescentibus* non exclusis; quippe qui parentibus non sint futuri meliores. Forte propheta eorum causa videtur *continere* voluisse *iram* Jehovæ, ne & illi excidio involverentur; sed Deus jussit, ut modo effunderet, & in eos in specie, qui non eximerentur, nec digni erant. Memoratur vero *parvulus* in *platea*, ut tales significarentur, qui jam foris poterant versari, & ibi secure solebant ludere; sicut *juvenum coetus*, quod jam ad consilia ineunda apti essent *a*. β. Mandatum Dei ad prophetam confirmatur a Deo ipso, qui loqui pergit; & rationem reddit mandati, inde petitam, quod Deus universale excidium mox exsequeretur; his verbis: *quia etiam vir cum foemina capietur, senex cum pleno dierum* &c. Occurrit autem *duplex* ratio, cujus indicium est in particula כי *quia* repetita; *prior excidium* comprehendit, quo omnes sine discrimine ætatis & sexus comprehenderentur, *posterior* causam efficientem primariam, *judicium* scilicet Dei, continet, *quia extendam manum meam ad incolas terræ, dictum Jehovæ*. Nihil hic obscuri. Tantum notetur emphasis verbi לכד, quo non sine ratione utitur propheta; indicat enim, 1. capiendos esse *improviso*, sicut aviculæ visco adglutinatæ capiuntur. Est enim in origine *viscosum* & *tenax b*. 2. captos vero partim esse occidendos, partim in captivitate retinendos, & hostibus fore prædæ, qui eos tenacissime in potestate retinerent. Usurpatur enim verbum & de *pernicie*, in quam quis illaqueatus præcipitatur, & de firma captura, qua quis manum in rem injicit, & firmiter retinet. Negligenda denique non est emphasis vocis אחרים, quibus *domus* & *uxores* cederent. Denotat enim *peregrinos*, a populo Dei plane alienos; quales fuerunt Babylonii, & alii populi hostiles, praeterea *nefandos* & crudeles, ab ipsa humanitate alienos. vid. Prov. V: 9.

§. CXXXVII. 2. Justificatio severi hujus judicii, a totali &

a Vid. Coccejus in Lex. *b* Schultens ad Job. V: 19. & Prov. III: 26.

& universali obstinatione in sceleribus petita, mox subjungitur, vers. 13--15. Quæ pericopa non tam ipsam corruptionem, quam obfirmationem populi in ea, complectitur, & 1. *rationes* exhibet, quibus sese contra omnia Dei per prophetas monita, omnia judicia castigatoria, obfirmabant; 2. ipsam obstinationem repræsentat; denique 3. judicium peremtorium. 1. *Rationes* obfirmationis, quæ cor *præputiatum* faciebant, uti vers. 10. dictum erat, memorantur duæ; altera *avaritia*, altera impudentissima *deceptio* per Prophetas & sacerdotes. *Prior* ratio his verbis: *quia a minimo eorum usque ad maximum eorum, universum ejus sectatur lucrum.* h. e. omnis status & ætatis homines inmersi sunt cupiditatibus bonorum hujus seculi, nihilque aliud appetunt aut quærunt; adeoque ad salutaria monita prophetarum audienda inepti. *Avaritia* hic non, ex. gr., memoratur, & reliqua crimina subintelliguntur, ut passim accipitur, cujus nullum est in textu indicium, nec ulla ratio, quare hoc in specie crimen exprimeretur; sed hic occurrit, ut alibi, tanquam præcipuum obstaculum conversionis populi: quia præ opum studio, quo toti ardebant, ad legem & verbum Dei audiendum erant inepti. Ceterum *a. parvi & magni* sunt, & ætate & statu tales, adeoque & *pueri* & *adulti*, & viles & honorati: nulla enim ratio est sensum restringendi, & usum vocum, qui utrumque admittit. *b. lucrum sectari* est omni studio, & omni modo per fas & nefas id facere. *Posterior* ratio *α.* proponitur, *β.* explicatius traditur. *α.* Proponitur his verbis: *& a propheta usque ad sacerdotem universum ejus facit fucum*, h. e. hypocrisin fovet, idololatriæ patrocinatur, & blandis ac falsis promissis populum decipit. Quod omne phrasi, *facere fucum*, comprehenditur, & ad obstinationem populi explicandam tendit: uti facile cernitur. Vox שקר in origine dicit, quod alibi jam observavi, *intensiorem rubrum* colorem, inde *fucum*, & met. *colorem illitum falsitatis* & *mendacii*; & pigmenta oratoria, Job. XIII: 4. XXXVI: 4. *Facere vero fucum* nihil aliud est,

 quam

quam falsitatis & mendacii colore illinere: quod faciebant *prophetæ* & *sacerdotes*, cultum Dei superstitione palliando, idololatriam colorando, denique falsa spe lactando. Verbum עשה *facere* emphasi pollet, dicitque in eo esse totum, hoc eorum esse proprium munus, has partes. Proprietas est in *tegendo*, *operiendo*, unde *facere*, q. d. *incumbere* rei, ut eam quasi operias. Ipsum Gr. ἔργον ποιήσασθαι, ut apud Aeschinem a, & τὸν ἔργον b, solenni formula, *propriæ partes sunt*, hanc emphasin præfert. Quod mox clarius deducitur in explicatione, quæ *altera* pars est, β. his verbis; vers. 14. *& resarciunt fracturam populi mei superquam levissime, dicendo, pax, pax, & non est*, vel *erit*, *pax*. h. e. levissima crustatione obducunt ingentem calamitatem populi mei, eam partim extenuando, partim instaurationem & prosperitatem promittendo, licet mala undiquaque ingruant, & certo ventura sint ad confractionem totalem usque. *Calamitatem* intelligi, & non peccata animum vulnerantia, quod Schmidio & aliis placet, ex voce, & re ipsa facile cernitur. Sed *malum* physicum indicatur, partim præsens, partim imminens, & a prophetis denunciatum; quod *resarciri* dicitur a falsis prophetis & sacerdotibus, sive extenuando, sive liberationem promittendo: uti verba indicant, *pax, pax*, in quibus nihil difficilis. Sed quid est על נקלה? verti, *super quam levissime*; quo usus voculæ על nos recta ducit. Sensus est, calamitatem illos reparare supra quam est, aut dici potest, *levissime*, extenuando, &, facile ulteriorem aut præveniendam aut reparandam esse, dictitando. Radix est קלל, quæ *levitatem* & *vilitatem*, opposite ad כבד *gravitatem*, continet, LXX partem sensus recte expresserunt, reddendo, ἐξουθενοῦντες *elevantes*.

§. CXXXVIII. 2. Ipsa nunc sequitur *obstinatio*, his verbis expressa, vers. 15. *Perplexi sunt facti; quia abominabile fecerunt, nec pudore adjecti sunt, nec ignominia notari sciveve-*

a Dial. II. p. 36. b Vid. eruditissimus noster Valckenaer ad Eurip. Phoeniss. p. 165.

verunt. Consternati tandem sunt & confusi, spe pacis, quam fecerant sibi & aliis, plane & palam prostituta; idque merito suo, quia in abominandis patrandis sine ullo pudore perseverarunt, nec pudore se propterea passi sunt adfici. Elegantiam orationis non perspexerunt Interpretes, nec sensum penetrarunt; quia diversitatem significatus verbi בוש in principio versus, & sequente oratione, non observarunt. In principio enim dicit *consternationem* mentis, penitus perplexæ ex spe elusa; sed in seq. indicat pudorem poenitentiæ, ex criminibus & mala conscientia ortum. Quam utramque mentis adfectionem verbum Hebr. comprehendit, ex primaria potestate *perplexitatis*; quæ apud Arab superest: qui etiam usurpant de *aridis multo strepitu & tumultu inter se confusis*. unde transfertur ad animum *perplexum*, pudore ignominia & aliis adfectionibus confusum, cum *arefactione* quasi & *consternatione mentis.* Sensus ergo est, eos fore confusos & perplexos, cum mala ingruerent, & omnis spes decolaverat, ut meritas luant poenas impudentiæ & obstinationis in patrandis abominationibus: *quia*, dicit propheta, faciunt abominanda, nec tamen aut pudet eos, aut ignominia fracti a malo desistunt. Plus est הכלים, quam בוש; dicit enim non *pudere* simpliciter, sed publica ignominia fractum esse, & vere poenitere ac resipiscere; uti Jer. XXXI: 19. Sensus est, pudore non sunt adfecti, ita ut etiam fracti fuerint & vulnerati ignominia, & se converterint. Proprietas verbi כלם est in *fractione*, & *vulneratione*, unde in Hiph. *fractus est*, imposita ignominia publica, tanquam totidem vulneribus famæ & dignitati inflictis, dilaceratus. 3. Sequitur nunc excidii denunciatio: *propterea cadent inter cadentes, quo tempore visitaverim eos, adpacti hærebunt & peribunt, dicit Jehova.* Ad elegantiam sermonis facit, quod *cadere* & *offendere* conjungantur, pro *offendendo cadere*. Verbum כשל proprie est, *adpactus hæsit*, unde ad omne illud transiit, quod ruinam secum trahit. Sed alterum נפל est *cadere*, vel ruere in perniciem; consequens adpactionis. Sed ad emphasin oratio-

tionis pertinet, quod *cadere inter cadentes* sit, communi excidio involvi, nec evadere, & quidem tali excidio, quo violenter ab hoste profligati pereunt, & abjecti, ac occisi jacent. Conf. Jes. XIV: 19. Sic נפל *cadere* est & sterni, interfici, præsertim in acie, & stratum jacere, instar cadaveris insepulti. *a*.

§. CXXXIX. *Undecimus* articulus ulterius persequitur justificationem judicii divini in Judæos, publice coram Gentibus quibusvis institutam, ex eo, quod populus Judæus omnia media ad emendationem adhibita obstinate spreverit, & deinceps vindicatam ab objectione Judæorum, in sacrificiis sita, vers. 16 - 21. In qua pericopa, א. ipsa instituitur justificatio publica coram toto mundo, vers. 16--19. ב. ejus vindicatio ab objectione a sacrificiis petita, vers. 20, 21. א. In *priore* parte. α. in medium adducuntur, quæ Deus in populi salutem fecit, ad eum conservandum, quæ cuncta frustra ceciderunt, vers. 16, 17. β. justificatio sententiæ decretoriæ coram Gentibus, vers. 18, 19. Præmittitur solennis formula, qua pericopa incipit, *sic dixit Jehova*, quæ non est, ut putant Interpretes, cum proxime sequentibus connectenda, acsi *dixisset Jehova*, *state ad vias* &c: non enim hoc nunc, sed sæpe ante dixerat, & ipsi Judæi introducuntur dixisse, *se nolle*; sed formula novam incipit pericopam justificatoriam, uti passim. Sequentia vero sunt elliptica; hac vel simili ratione supplenda: *sæpe vobis dictum est*, *state ad vias* &c: ita mox, vers. 17 ante *attendite*; vel &, misi ad vos *prophetas*, tanquam doctores publicos, qui vobis identidem dixerunt, vel dixi per eos, *state* ad *vias:* uti mox vers. 17. *Suscitavi vobis speculatores*, & *dixi* &c. *a*. Duo vero memorantur a Deo adhibita media, *alterum* per *doctores*, *alterum* per *speculatores*. *Prius* his verbis vers. 17. *consistite juxta vias*, & *videte*, & *rogate de viis seculi*; *ubi hac via bona illa? & inite eam*, & *invenite requiem animis vestris*; *sed dixerunt*, *non ibimus*. In quibus aliquid oc-

a Vid. Schultens Orig. l. II. p. 144.

occurrit notandum, ab Interpretibus non occupatum. 1. Verba, *rogate de viis seculi, ubi sit via ista bona?* cohærent, & hunc fundunt sensum, acsi legeretur, *rogate* de via ista bona ab antiquo strata, via regia, *ubi sit ista? Semita seculi* & *via bona* æquipollent, & elegantiæ tantum causa variat oratio: idem enim est, acsi haberetur, rogate de viis seculi, de via illa bona, *ubi sit? semita seculi* & *via bona*, idem sunt, & eandem viam, diversis epithetis, emphatice & eleganter exprimunt: quando omnia sunt facilia: ipsum quoque interrogationis objectum illud satis indicat, rogarent de *semitis seculi*, adeoque *ubi sint?* Emphasin vero habent epitheta, non negligendam. 2. Vox Hebr. נתיב non denotat, uti putatur, *tramitem*, sed viam elatam, bene stratam, & regiam, a rad., quæ apud Arab. significat, *eminuit*. Vid. Job. XXIII: 10. XXIV: 13. XXX: 13. & ibi Schultens. Indicat itaque institutum vivendi, & Deum colendi, non privata sed publica autoritate supremæ Majestatis introductum, & certis fundamentis superstructum, simul tutissimum & certissimum medium ad felicitatem perveniendi, sine metu aut periculo erroris. Conf. Jes. XXXV: 8. *Viæ* vero num. pl. adpellantur, quod sit illud institutum excellentissimum, & multitudini ad felicitatem sufficiat; ita ut omnes capere & ducere possit ad finem optatum. Sed viæ sunt *seculi*, hic & alibi, ut Ps. CXXXIX: 24., *cum* quod antiquissimæ, a primis mundi, seu reip. Jud., primordiis stratæ, quas Patriarchæ & progenitores tenuerunt, quæque in æternum durabunt, opposite non tantum ad humana & idololatrica instituta, recens inventa, sed & ipsa instituta legalia, illis deinceps a Deo *transgressionum causa* Gal. III: 19. adjecta: quod ex vers. 20. manifestum est, nec non c. VII: 22. *tum* etiam quod a Deo *signatæ*, & ejus autoritate munitæ sint: quo sensu *Filius hominis dicitur* a *Patre signatus* Joh. VI: 27. Quam sensus amplitudinem adfert vox Hebr. עולם: quippe quæ proprietatem habet in *signando*, sigillo impresso notando; unde inter alia ad publica autoritate munitum, ac signis impres-

sis tritum, nec non æternitatem, seu signatam & hominibus occultam durationem, sive ab ante, ut dicitur, sive a post, transiit. *b*. Alterum epitheton est, esse *illam viam bonam valde: ubi ista via bona illa? ista* per excellentiam, digna, quæ digito monstretur, & de qua dicatur, *hæc* est: quam emphasin & alibi habet: ut 1 Reg. VI: 12. XVIII: 17. Jes. XXV: 6. Hag. I: 2. & alibi. *Via* vero *bona* est pulchra, amoena, commoda & salutaris: quod satis constat. Admonuerat nunc sæpe Deus per prophetas & Reges pios populum, ut 1. *consisteret juxta vias*. h. e. non temere rueret in quascunque vias, quæcunque vitæ & religionis instituta, sed ante consideraret, deliberaret, & examinaret. 2. *videret & rogaret* de via regia & bona, in eam omni modo inquirendo, & per adtentam considerationem, quod *videre* est, & per informationem ab aliis acquirendam, quod est *rogare*. 3. denique ut viam illam stratam, antiquam & bonam, *iniret*; quod facillimum est. 4. addito promisso omnis felicitatis, *invenite requiem*. h. e. invenietis: imperat. enim hoc in casu sæpe habet vim futuri *a*. Sed res est nota & testata satis. Vox Heb. מרגע involvit *abundantiam, circumtrementem* proprie & coruscam, vel sedem deliciis circumtrementem *b*. 5. Subjungitur frustraneus effectus, & *dixerunt*, *non ibimus*, h. e. frustra admonemur, ut *consistamus*, *videamus*, & *rogemus*; non enim *ibimus*: dicere tantum introducuntur, *non ibimus*; quia reliqua per se comprehensa sunt. Utitur propheta persona tertia, quia justificatio instituitur coram Gentibus, ad quas itaque eleganter vertitur oratio; qua, quid Judæi dixerant, exponitur ipsis, ut de viis Dei judicium ferant justum. *Dixerunt* autem illud partim *verbis*, quibus Prophetas Dei rejecerunt, partim *factis*, quæ intimos mentis sensus declarare solent.

§. CXL. *Alterum* medium est *speculatorum* constitutio, cum monito, ut *tuba* eorum sonum adtenderent; sed & illud frustra, vers. 17. *& constitui vobis speculatores*, dixique (hoc

a Schultens ad Prov. III. 4. *b* Id. Orig. l. 1. c. 11.

(hoc enim supplendum est, ut recte observavit Schmidius, & facile cernitur,) *adtendite sonum tubæ: sed dixerunt, non adtendemus.* Nihil hic notandum habeo, præter illud unum, prophetas, qui antea *Doctorum* sub persona fuerant memorati, hic conspectum *Speculatorum* gerere, quatenus non tam *minati* fuerint mala, quod Schmidio unice placet, quam illa imminentia prædixerint, ab hostibus inprimis infligenda. Quo nos clare ducit *speculatorum* epitheton, & *soni tubæ* mentio. Conf. Jes. XXI: 6. Hab. II. & alibi. Verbum צפה proprietatem habet in *superficie adparente*, & nitore suo oculos advertente; adeoque proprie est, *splendere*, αὐγάζειν; unde inter alia ad *speculatorem* transfertur, qui e specula captat, & ex alto alicui imminet: quod prophetarum erat munus, populum de imminente calamitate admonentium *a*.

§. CXLI. *β*. Justificatio sententiæ decretoriæ coram gentibus, vers. 18, 19, complectitur *a*. provocationem ad Gentes, ut, statu populi Judæi probe examinato & cognito, audiant sententiam Dei, eamque dijudicent, vers. 18. *Propterea audite gentes, & cognosce coetus quod in ipsis est; audi terra*, h. e. Talis cum sit populi conditio, qualem descripsi, sententiam coram gentibus, coetu condicto, & causæ cognitione ab ipsis facta, pronunciabo, ut de justitia ejus judicium ferant. Citat Deus ad audientiam & *Gentes*, & *terram*; sive Cananæa, sive orbis in genere, per prosopopœiam intelligatur: sed *Gentes*, vult Deus, ut coetu condicto de causa prius cognoscant, ut eo rectius de justitia sententiæ Dei, coram ipsis pronunciandæ, judicent. Quo mihi tendere omnino videntur verba, *cognosce coetus quod in ipsis est*, h. e. vos gentes in coetum judicialem coactæ cognoscite id, quod in Judæis est; statum scilicet eorum, & id omne, quod in eorum gratiam feci, & vitam moresque eorum. Vox עדה significat coetum populi condictum, ubi statuta fiunt, & decreta formantur, ac sententiæ pronunciantur, a rad. יעד, quæ, collatis vicinis עוד & עד, proprie dicit intensius ali-

a Id. ad Prov. V: 3. XXVI: 23.

aliquod *conſtitutum* & *confirmatum*, iterum iterumque dicendo & conteſtando. Senſus vero eſt, ut gentes, tali coetu condicto, audiant ſententiam Dei; ad quem *coetum* oratio vertitur, *cognoſce coetus*, ſcilicet ex gentibus condicte; *cognoſce* id, *quod in ipſis* eſt, nempe Judæis; eorum ſtatum, privilegia, & inſtitutum vivendi, quid ego fecerim iis, quidque illi egerint, & qua ratione meis beneficiis, meis monitis & denunciationibus, reſponderint? voces enim, *quod in ipſis* eſt, manifeſte cohærent cum verbo *cognoſcere*, & ejus objectum conſtituunt. LXX hic valde ſingulares ſunt, qui reddiderunt, *audiverunt gentes*, **καὶ οἱ ποιμαίνοντες τὰ ποίμνια αὐτῶν**; adeoque legerunt רעי עדר, & non, ut Capp., quem ſequitur Clericus, רעי רעה, uti facile adparet, nec fugit Ghislerium. *b.* Citatione gentium facta, Deus pronunciat ſententiam, verſ. 19. *En ego ſupervenire facio malum huic populo, fructum cogitationum eorum; quia verbis meis aures non præbuerunt purgatas, & legem meam deteſtati ſunt.* Dicit Deus, ſe id facturum, ne gentes putarent, Deum Israelis non potuiſſe malum illud avertere, & idola ſeu numina hoſtium eſſe fortiora; ſed addit, ad juſtificationem ſententiæ, *rationem*, quum adpellat malum illud *fructum cogitationum* Judæorum. h. e. mercedem & naturale conſequens *machinationum* & *conſiliorum* ipſorum: id enim phraſis indicat, ut nonnulli recte obſervarunt; addit, quia ad verba *mea*, ſcilicet, per ſpeculatores meos prolata, non adtenderunt, & *legem meam* & *ſpreverunt eam*, h. e., uſitato loquendi genere, ad *legem meam* quod adtinet; eam *ſpreverunt*, nimirum animo exulcerato, & vehementer ab ea abhorrente, adeoque incorrigibiliter. Verbum enim מאס primario dicit, *exulcerari*, unde ad animum exulceratum, & rem deteſtantem, transfertur.

§. CXLII. ב. Sequitur juſtificationis vindicatio ab objectione, quam Judæi facere ſolebant, quia magno ſtudio & ſumtu Deum per ſacrificia colebant, *thure* & *calamo* ex Arabia Felice magno ſumtu & opere adportato, quæ cum indigna-

tio-

tione non tantum rejicitur, sed &, eam ipsam ob causam eos quoque a Deo puniendos esse, declaratur, quod totus hic cultus fuerit pura hypocrisis, cum legis Dei violatione quippe conjunctus, quin legem moralem spernendi occasionem præbens, vers. 20, 21. *Quorsum mihi hoc? thus e Scheba venire solitum, & calamus odorifer e terra longinqua. Holocausta vestra non sunt accepta, nec sacrificia vestra suavia mihi. Propterea sic dixit Jehova; ecce me! tendo ad populum huncce offendicula, quibus adpacti hærebunt, patres & filii pariter, vicinus & amicus ejus peribunt.* Hic enim versuum illorum conspectus & scopus est; uti facile adparet: nec aliquid hic occurrit, ad quod quis obhæreſcat, quod ab Interpretibus quoque non sit expeditum. Adde quæ habet Bochartus *a*, & Ez. Spanhemius *b*. Not. tantum 1. usus vocis טוב pro *bona fragrantia* odore, de quo vid. Schultens *c* & Pocockius *d*. 2. *thuris* & *calami* odoriferi ex Scheba & terra *longinqua*, quæ est Arabia felix, hanc enim & non aliam terram, ut Indiam, designat, de quo vid. Bochartus *e*, specialis fit mentio, quia ad sumtuosum & laboriosum cultum præcipue provocabant Judæi, ad studium suum religionis demonstrandum. *Calami*, seu cannæ odoriferæ, usum quoque fuisse in *suffitu*, ex Jes. XLIII: 24. patet: ubi vid. Cl. Vitringa. 3. *Offendicula*, ad quæ quis adpactus adhæreſcit, & in perniciem ruit, quam vim habet vox מכשול, ut supra notavi, hic sunt *media* ruinæ populi, seu hostium invasiones *f*.

§. CXLIII. *Duodecimus* articulus totus in descriptione hostilis invasionis Chaldæorum, & simul consternationis Judæorum, inde oriturae, versatur, ansa ex præcedente denunciatione, vers. 19 & 21., sumta. Quæ pericopa, vers. 22--26. comprehensa, *a.* depingit Chaldæorum terribiles qualitates, & fortitudinis & crudelitatis respectu, qui Tsionitas invade-

a Hierof. p. II. p. 686. *b* Num. diss. VI. p. 361. *c* ad Har. cons. II. p. 103. *d* ad Tograi p. 92. *e* l. c. *f* Vid. comm. noster ad Dan. XI.

derent, verf. 22, 23. *Sic dixit Jehova: ecce populus venit e terra septentrionis, & gens fortis excitabitur e lateribus terræ, (Arcum & lanceam firmiter tenebunt, sævus effractor ipse, nec miserentur, vox eorum, instar maris, æstuabunde fremit, & equis vehuntur, instructus instar viri ad bellum) contra te, filia Tsion!* ubi omnia plana sunt. De voce כידון non *clypeo*, quod post Hieronymum contendit Clericus *a*, sed *lancea* vertenda, egerunt Bochartus *b* & Wichmanshaus *c*, alii: & de אכזרי, proprie *violento effractore*, alibi *d* dixi, & exposuit Schultens *e*. Tantum vereor, ut vim phraseos, *instructus instar viri ad bellum*, verf. 23. fin., recte perceperint Interpretes. Sensus vero est, populum hostilem, qui contra Tsionem veniret, totum esse expertissimum & exercitatissimum in bello & pugna, ex viris militaribus constare totum. *Vir belli* est bellicosus admodum, & exercitatus, fortisque heros; ut de Goliatho adhibetur, 1 Sam. XVII: 33. & aliis similibus, ut 1 Chron. XII: 38. *β*. Consternationem universalem, inde orituram in populo Judæo, repræsentat, ipso populo introducto eam exprimente, verf. 24, 25. tantum abest, ut populus hostes contemneret, sefeque iis opponeret; uti nunc videbantur animati. *Audivimus auditionem ejus, flaccidæ sunt manus nostræ, angustia stringens prehendit nos, versans tortura instar parturientis. Ne exeas in agrum, ne per viam incedas, quia gladius inimici, pavor undiquaque.* Nihil & hic notandum supereft, nisi elegantia & emphasis ultimi membri, minus percepta, *quia*, ita sonat, *gladius inimici pavor undiquaque*, h. e. de gladio inimici dictum illud, tritum in generali consternatione, adhibebitur, & in omnium ore erit; *pavor undiquaque.* Proverbiale dictum est, *pavor undiquaque*, sæpe apud Jer. & alios occurrens pro summa & inextricabili angustia. Verbo addatur, phrasin, *audire auditionem*, non simpliciter dicere audi-

a ad Jof. VIII: 18. *b* H. p. I. l. II. c. 10. *c* Diss de armatura Goliati. *d* ad Deut. XXXII. *e* ad Prov. XI: 17.

dire, sed distincte percipere, ita ut terror incutiatur *a*, γ. Denique summum luctum ex totali excidio imminente oriturum, tanquam populo tunc unice convenientem, & solum relictum, exhibet, per modum excitationis ad eum induendum, cum nihil aliud superesset solatii, vers. 26. *Filia populi mei adcinge saccum, & volve te in cinere, luctum unigeniti fac tibi, planctum acerbitatum gravissimarum, quia subito superveniet vastator nobis.* Verba sunt *prophetæ*, & non, quod alii volunt, *Dei*, quia in fini dicitur, *vastator subito veniet super nos*; nisi quis illa verba velit haberi pro verbis plangentium, per ellipsin verbi *dicere*. Emphatica phrasis est, *planctus* מרורים *acerbitatum gravissimarum*; sive pro planctu *amarulentissimo*, quæ vis vocis est, sive pro planctu summorum *infortuniorum*; quem usum & alibi habet *b*.

§. CXLIV. *Ultimus* articulus, per modum conclusionis totius hujus concionis, declarat, populum a propheta exploratum, ut solet aurum vel argentum in exploratorio, fuisse deprehensum totum corruptum & incorrigibilem, adeoque dignum, qui instar plumbi liquescat in conflatorio intensissime ardente, & instar argenti falsi repudietur. Qui conspectus & sensus esse videtur pericopæ, vers. 27--30. difficilioris intellectus; cui aliquid lucis conabor infundere. Duæ sunt ejus partes; quarum *prior* statum populi corruptum, post explorationem institutam, deprehensum exhibet, vers. 27, 28. his verbis, *exploratorium constitui Te populo mihi arcis; ut cognosceres: & probasti vias eorum, omnes illi recedentes refractariorum, detrectatores, æs & ferrum, omnes illi perditissimi illi.* Verba sunt Dei ad prophetam, quibus officio, ab eo bene expleto, adtestatur; & declarat, manifestum nunc factum, totum populum esse perditissime & insanabiliter depravatum; ita ut nihil sani supersit. Relegamus nunc verba, & illustremus. *Constitui* Te, dicit Deus ad prophetam, *populo mihi arcis exploratorium, ut cognosceres,* sci-

a Vid. Jer. XLIX: 14, 23. Jes. XXXVII: 7. Ps. XVIII.
b Schultens ad Job. III: 5.

ſcilicet eo ſcopo, ut explorando, & experimento capto, cognoſcas ſtatum populi Judæi. Quæ verſio & interpretatio ut illuſtretur, 1. vocem בחון, notandum eſt, non *turrim* exploratoriam ſignificare, ſed *lapidem* exploratorium, lapidem Lydium dici ſolitum, cujus adtritu *auri* ac *argenti* bonitas exploratur; uti Jeſ. XXVIII: 16. cui recte reſpondet vocis poteſtas, in *terendo* & *levigando* ſita, uti docuit Schultens *a*. *Turri* enim exploratoriæ hic locus non eſt; cum de auri & metallorum probatione manifeſte agatur in hac pericopa. Dici autem æque poteſt בחן ac בחון; בחון ſimul probatum exploratorium lapidem denotat. 2. Vox מבצר cum עמי conſtrui debet, ut ſenſus ſit, dedi te *lapidem exploratorium in populo meo in munimento præſecto*, ſcilicet, degente, ſeu Tſionæo. Quod additur, ut Hieroſolymitani deſignarentur, ſimul fiducia ipſorum in arce munita illa, civitate Davidis, & metropoli regni ac religionis, poſita proſtitueretur. Vox מבצר vi proprietatis dicit arcem, vel urbem, *præſectam*, *præruptam*, arduam ad ſcandendum & ſuperandum; habet enim radix בצר in origine *præcidendi* poteſtatem. Aptius vero flueret oratio, ſi י in עמי habeatur paragogicum; ut ſit: *in populo mihi arcis præciſæ*.

§. CXLV. Pergit Deus exponere, quomodo Propheta huic muneri reſponderit, quum dicit: *& explorasti vias eorum*; ſic enim verti debent verba, & non, *ut explores*; quod verbo ותדע *ut cognoſcas* jam indicatum erat; & בחנת occurrit in præt., cum ותדע in fut. ſit: ſignificatur itaque, prophetam inſtar lapidis lydii exploraſſe bonitatem vitæ & morum populi munitionis, Tſionitarum & Judæorum, ad hanc metropolin pertinentium. Addit etiam mox, quales deprehenſi ſint, verſ. 28. *omnes illi recedentes refractariorum* &c: verba ſunt non prophetæ, uti vult Schmidius, ſed Dei; uti ex fine orationis facile patet. Deſcribuntur autem Judæi hic tanquam peſſimi, refractarii; detrectatores, & calumniatores, in-

a ad Har. conſ. II. p. 95. & clav. p. 194.

flexiles & intractabiles, instar ferri & æris duri & obstinati, verbo, *corruptissimi* toti. Nihil hic difficile. Tantum notetur emphasis in primo epitheto, סרי סוררים, quo indicatur, eos non tantum a lege & recta via recessisse, & ad devia deflexisse, quod est סור, sed & in ea defectione esse obstinatos ac refractarios. Involvit enim radix סר contumaciam *vehementem*, instar jumenti, quod se duci non patitur, sed cum strepitu resistit, & manum ducentis *lacerat*. Pertinere ad hanc perversitatis picturam etiam videntur verba seq. vers. 29. primi membri, ita reddenda; *ronchizat flatus eorum ab exustione eorum*, vel *igneus*, aut *ignem* in *rectum*. voces Hebr. sunt, נחר מפח מאשתם, difficiles intellectu, & varie exponi solitæ, nec tamen expeditæ hactenus. Meam addam interpretationem, & reliquas suo loco relinquam. Depingunt, ex mea opinione, corruptissimam populi indolem, ab omni non tantum emendatione alienam, sed & magno cum fastu ac insolentia minisque sese contra eos exserentem, qui corrigere instituant. Verbum נחר non est Niph., radicis חרר, ut passim sumitur, sed præt. in Kal, rad. נחר, quæ proprie dicit *ronchissare*, ῥογχίζειν, ῥογχάζειν, in *ronchos* verti, ronchos ducere: uti Cant. 1. 6. נחרו בי *ronchos edunt contra me*. h. e. superbos & contemtores gerunt spiritus a. Adjungitur recte מפח *inflatio*, & *proflatio*, ut verti debet, sicut & מפח aliis punctis eo sensu occurrit. Continet vero radix *flatum tumidiorem*, per soni fictionem expressum; qui cum verbo נחר recte conjungitur, cum per nares ronchissantium erumpat, in primis ferarum iratarum & superbientium. Additur מאש sive *igneus* vertatur; uti potest, sive *ignem*, & priore sensu construatur cum *flatu*, ut sit *flatus igneus*; & posteriore cum נחר, ut sit *ronchissat flatus eorum ignem*; quod utrumque recte sese habet; & perinde est, quid eligatur: sed not. est, ם in מפח excidisse ex seq. מאש, vel & male cum אש connexum fuisse, & præcedenti voci adnectendum esse; ut sit מפחם. Denique תם, male cum אש connexum, ut nota marginalis recte habet, denotat *inte-*

 grum,

a Schultens clav. p. 229. & ad florileg. sentent. p. 178.

grum, & objectum *ronchissationis* eorum continet; ut sensus sit, flatum eorum ronchissare *contra rectum*, & נחרו pro נחרם, sicut Cant. 1. נחרו כי. Ellipsi vero præpositionis nihil est frequentius. Punctatio מִן vel est prava pro מִן, vel indicat plur. מני; quod per omissionem ם terminationis plur. aliquando occurrit, quia litteram illam solebant in scribendo signare per lineolam voci obversam, *a* sic fuit, מני; sed, voce cum preced. juncta, excidit lineola cum ipsa littera י, & mansit מן. Sed, si una vox sit, verti debet, *ab exustione eorum*, ab אשה ex אש: quod jam vidit Cl. Simon *b*.

§. CXLVI. *Posterior* pars exhibet rejectionem populi, tanquam plumbi, vel reprobi argenti, cui frustra impenditur conflatoris opera, vers. 29, 30. *Plumbum frustra conflat conflando, cum mali non avellantur; argentum reprobum eos vocabunt, quia reprobavit eos Jehova.* h. e. Sicut plumbum irrito successu conflatur, ad scorias inde separandum, & argentum purgandum, cum nihil argenti habeat, sed totum sit pravum; ita mali per meas admonitiones, correctiones, & castigationes, non sunt a populo Judæo separati, quia nihil boni habet, quod sejungi possit, sed totus sit corruptus: adeoque nihil superest, quam ut omnibus populis innotescat tanquam falsum argentum, quod reprobum est declaratum; sicut fiet, quia Jehova *reprobavit* eos, scilicet judicio suo declarando eos esse reprobos. Occurrit vers. 29. *protasis* & *apodosis*, seu simile, & ejus adplicatio: simile his verbis, *plumbum frustra conflat conflando*, uti verti debet, scilicet conflator; qui subintelligitur: vox itaque עפרת *plumbum* cum seq. cohæret, inde per *accentuationem* male separata. Adplicatio fit his verbis: *&*, sive *ita, mali non sunt avulsi*, nempe a populo Judæo; quia totus est malus, instar *plumbi* seu ficti *argenti*, uti mox declaratur. Subjungitur judicium Dei, quo populus publice prostitueretur tanquam *reprobum argentum*, sensus est: *sunt tale*, sed declarabit etiam eos tale Jehova, quod est reprobare Dei; adeoque vocabuntur

ta-

a Vid. Vitringa obs. S. l. 1. c. 2. p. 187. *b* in Lex.

tale; & omnibus innotescent. Sensus non est, eos fore reprobos, quia Deus eos reprobavit, uti facile cernitur, sed eos tanquam tales notos futuros, & reprobum argentum ab omnibus adpellandos esse, quia Deus, tanquam explorator & judex eorum, eos tale esse declaravit, & tractavit, eos repudiando.

TERTIA CONCIO.

CAP. VII.

1. *Verbum, quod factum est ad Jeremiam a Jehova, dicendo.*
2. *Consiste in porta domus Jehovæ, & pronuncia ibi hoc verbum; dicasque. Audite verbum Jehovæ omnes Judæi, per has portas intrantes ad incurvandum coram Jehova.*
3. *Sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis; bonas facite vias vestras, & facinora vestra, & quiescere vos in hoc loco faciam.*
4. *Ne confidite vobis super verbis mendacibus, dicendo, Templum Jehovæ, templum Jehovæ, templum Jehovæ ipsi,* vel *illa.*
5. *Quia profecto si bonas probe feceritis vias vestras, & facinora vestra, si judicium studiose feceritis inter virum & proximum ejus,*
6. *peregrinum, pupillum, & viduam non oppresseritis, nec sanguinem innocuum effuderitis in hocce loco, nec post Deos alienos ambulaveritis in malum vobis,*

7. *etiam tunc quiescere vos faciam in hoc loco, in ter-*
ra, quam dedi patribus vestris, a seculo ad secu-
lum.

8. *Ecce vos confidentes vobis super verbis mendacibus*
ad non proficere, vel *proficiendum.*

9. *Furari, occidere, adulterare, falso jurare, suffire*
Baali, & sequi Deos alienos, quos non novistis,

10. *& venitis & statis coram me in hac domo, quæ*
de meo vocatur nomine, & dicitis, extracti su-
mus. Propter facere omnia hæc abominabilia,

11. *Spelunca effractorum profecto facta est hæc do-*
mus, quæ de meo nominatur nomine, in oculis
vestris: etiam ego, ecce! vidi; inspiratum Jeho-
væ.

12. *Quia ite quæso ad locum meum, qui est in Silo,*
ubi in principio nomen meum collocavi, & videte,
quid ei fecerim propter nequitiam populi mei Israe-
lis.

13. *Et nunc, propterea quod commiseritis omnia hæc*
facinora, inspiratum Jehovæ, &, vel *insuper, al-*
loqui vos consuevi, mane surgens & differens,
nec audivistis, clamare solitus fui vos, nec respon-
distis;

14. *etiam faciam domui huic, quæ de nomine meo*
adpellatur, cui vos confiditis, & loco huic, quem
dedi vobis & patribus vestris, sicut feci Siluunti.

15. *Et abjiciam vos a facie mea, sicut abjeci omnes*
fratres vestros, totum semen Ephraimi.

16. *Et tu ne ores pro hoc populo, nec proferas propter*
eos tinnulam vocem & precationem, & ne occurras
mihi: neque enim te audiam.

17. *Non-*

17. *Nonne vides quid isti faciunt in urbibus Judæ, & in vicis Hierosolymæ?*

18. *Filii colligunt ligna, & patres accendunt ignem, mulieres subigunt panem fermentatum, ut Reginæ coelorum placentas faciant, & libamina fundunt Diis alienis, ut me tristitia & indignatione adficiant.*

19. *An me irritant isti, inspiratum Jehovæ? nonne se ipsos propter pudorem vultus ipsorum?*

20. *Propterea sic dixit Jehova: ecce! ira mea & excandescentia mea effunditur in locum hunc, super homines & pecudes, & arbores agri & fructum terræ, & deflagrabit, nec exstinguetur.*

21. *Sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis: holocausta vestra addite sacrificiis vestris, & comedite carnem.*

22. *Quia non adlocutus sum progenitores vestros, nec præcepi ipsis, quo tempore eduxi ipsos e terra Aegypti, super rebus holocausti & sacrificii.*

23. *Sed hoc verbum injunxi ipsis, dicendo: auscultate voci meæ, & ero vobis Deus, & vos mihi populus eritis, & incedite omni via, quam præcipiam vobis, ut vobis bene sit.*

24. *Sed non audiverunt, nec inclinarunt aurem suam; verum abierunt in consiliis in umbilicatione,* vel *acri impetu, cordis sui mali, fueruntque retrorsum, & non antrorsum.*

25. *A quo tempore egressi sunt patres vestri ex Aegypto ad hunc diem usque, & mittere solitus fui omnes servos meos* Prophetas, *quotidie mane surgens & mittens.*

26. *Et non audiverunt me, nec inclinarunt aurem*

strum, &, seu *quin, obdurarunt cervicem suam; male fecerunt plus quam patres eorum.*

27. *Et dixisti* (cum dixeris) *ipsis hæc omnia verba, & non audient te, & clamasti* (cum clamaveris) *eos, & non respondebunt tibi.*

28. *Itaque dices ipsis; hæc ista gens*, estis vos illi, *qui non audiverunt vocem Jehovæ Dei sui, nec disciplinam vincientem admiserunt, periit veritas & excisa est ex ore ipsorum.*

29. *Demete comam tuam & projice, & profer super locis editis lessum, quia aversatur Jehova & abjecit generationem excandescentiæ suæ.*

30. *Quia summum malum in oculis meis perfecerunt filii Judæ, inspiratum Jehovæ, posuerunt abominationes suas in domo hac, quæ de meo appellatur nomine, ad eam contaminandam.*

31. *Et exstruxerunt excelsa Tophet in valle filii Hinnom ad filios suos, & filias suas, comburendum igne, quod non præcepi, ne quidem subiit cor meum.*

32. *Propterea, ecce! dies instant, inspiratum Jehovæ, quum non dicetur amplius Tophet & vallis filii Hinnom, sed vallis occidionis, & sepelient in Tophet, usque ne sit locus.*

33. *Et erunt cadavera populi hujus escae volucribus coeli & bestiis terrae, absque ut quisquam eas abigat.*

34. *Et ex urbibus Judae ac plateis Hierosolymae cessare faciam feroculi gaudii vocem, & vocem laetitiae, vocem sponsi & vocem sponsae, quia terra haec vastationi erit.*

§. CXLVII.

§. CXLVII.

Tertia hæc in ordine libri concio, quæ sese ad cap. XI. usque, capite X. ad eam quoque pertinente, uti postea videbimus, porrigit, cujus indicium est in formula, novam concionem auspicari solita, c. VII: 1. & XI: 1. *verbum, quod factum est ad Jeremiam a Jehova*; hæc, inquam, concio *tertia* quidem occurrit in ordine libri, & superiori immediate subnectitur: sed, num Tempore *Josiæ* fuerit habita, quod volunt Interpretes, excepto Altingio, vehementer dubitaverim; & in Altingii hypothesin, principio regni Jehojakimi eam esse adligandam ex cap. XXVI:, maximopere inclino. Rationes sunt sequentes. 1. Quia casus Jeremiæ, quo in discrimen vitæ venit, c. XXVI. narratus, in principio regni Jojakimi, diserte a concione repetitur, in atrio Templi habita, qua, Templum esse desolandum, & urbem destruendam, instar *Siluntis*, declaraverat nomine Dei. Quod nusquam tam expresse factum legimus, quam in hac concione, cap. VII. Accedit, c. XXVI. non recitari concionem, sed digitum tantum ad eam intendi, & historice narrari, quid ea occasione evenerit Jeremiæ. Concio itaque, cujus summa tantum c. XXVI. traditur, ut ratio & occasio fati Jeremiæ cognosceretur, alibi quærenda est. 2. Quia nonnulla in hac concione sese offerunt, quæ in tempus Josiæ minus quadrant. Cum enim post reformationem jam peractam statui debeat habita, quod Interpretes quoque admittunt, cum quod sacra in Templo hic occurrant rite exerceri, tum quod *liber legis* jam præsupponatur inventus, & in manus populi traditus, uti ex c. VIII: 8. colligitur, ubi Judæi dicunt, *lex Jehovæ nobiscum*, nonnulla ab eo tempore aliena in hac concione reperiuntur. *a*. Quod Jeremias tunc nondum fuerit Hierosolymis, ut ex historia Josiæ patet, & in prolegomenis observavi; hoc autem tempore, quo concionem habuit, sedes ibi jam habuerit fixas. Quod non inde colligo, quod in atrio Templi eam pronunciaverit, sed quod simpli-

ci-

citer jubeatur *consistere* in *atrio*, & non *adire* Hierosolymam & *consistere*: argumento, eum jam tunc fuisse Hierosolymæ, quod idem habetur c. XXVI: 1. Sed c. II. 1. jubetur *ire* & *pronunciare* coram *Hierosolymitanis*, quia tunc nondum ibi versabatur. *b*. Quod *idololatria* hoc tempore publice exerceretur in *urbibus Juda* non tantum, sed & in *vicis Hierosolymæ*. c. VII: 17. imo in Templo vers. 30., quod post reformationem Josiæ locum non tenuit. *c*. Quod in *excelsis Tophethi* in *valle filiorum Hinnom* nefanda liberorum crematio adhuc locum habuerit c. VII: 31. excelsis denuo ædificatis, quæ Josias destruxerat, valle in locum sepulchrorum versa; uti ex historia constat. *d*. Quod Judæi diserte dicantur Jeremiæ concionem repulsuri, c. VII: 27., quod etiam a Josiæ illo tempore abhorret; quo verba legis recitata fuerunt, utique ad speciem, admissa, & *fœdus* solenniter inter Deum & populum renovatum. 3. Denique criterium aliquod temporis Jojakimi mihi in eo deprehendisse videor, quod excidium Judæorum & populorum *vicinorum* per Chaldæos connectatur, c. IX: 24, 25. quod Jeremias demum tempore Jojakimi facere coepit, ut ex c. XXIV. & aliunde constat. Quid vero concionis loco movendæ occasionem dederit? fueritne illud studio, an casu & erroneè factum? non liquet, nec conjecturis indulgere velim.

§. CXLVIII. Habita est concio in ipso Templi atrio, tempore aliquo solenniore, quo Judæi undiquaque solebant confluere Hierosolymam ad sacra in Templo facienda, adeoque opportuno tempore, quo ad omnium aures pervenire posset; & eo inprimis tendit, ut vana populi fiducia in Templo, & promissis falsorum prophetarum, refutaretur, horrenda hypocrisis & corruptio ejus perstringeretur, denique excidium totale per Chaldæos, jam instans, suis coloribus depingeretur, & certo eventurum esse denunciaretur. Videntur Judæi, non obstante morte Josiæ, in novas spes felicium temporum venisse per Jojakimum stabilitum regem, & foedus amicitiæ cum Aegyptiorum rege, tunc potentissimo, initum

tum, seseque veteri idololatriæ & corruptioni, cui mederi conatus fuerat Josias, secure rursus tradidisse. Qua occasione Jeremias hanc acerrimam & convictoriam jussus est pronunciare concionem; quæ per varios articulos, eo, quo dixi, tendentes omnes, decurrit.

§. CXLIX. *Primus* articulus continet generalem concionis propositionem, ex *instructione* adhortatoria, *convictione*, & *interminatione* totalis excidii prophetica constantem, vers. 3--15. Cujus *tres* itaque partes sunt, א. instructio adhortatoria ad statum firmandum unice apta, vers. 3--7. ב. *convictio* hypocrisios & corruptionis, vers. 8--12. ג. interminatio excidii, certo implenda, vers. 13--15. א. Instructio adhortatoria α. proponitur vers. 3, 4. β. deducitur & urgetur, vers. 5. α. Propositio continet & veram & vanam statum firmandi rationem cum adhortatione ad illam & dehortatione ab hac. *Prior* his verbis, vers. 3. *Sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis: bonas & rectas facite vias vestras & facinora vestra, & quiescere vos faciam in loco hoc*, h. e. Instituta vitæ & opera vestra ad rectam legis normam componite, tunc quiete & prospere vos in hoc loco & terra degere faciam; quæ sola via est & non alia. Parum habeo, quod hic observem: *vias* & *opera* distingui, ut habitus & actus, recte jam monuit Schmidius. Tantum notetur 1. usus particulæ ו *&* in ultimo membro pro *tunc*, hac sub conditione *quiescere* faciam vos. 2. emphasis verbi שכן, quo non *habitatio* simpliciter, sed tranquilla, prospera, ac continua exprimitur. Verbi enim propria potestas est in *sedatione quieta*; unde pro nocturna quiete in somno etiam sumitur, ut apud Arab., & Nah. III: 18. a, *Posterior* vero instructio & dehortatio, vers. 4. his verbis effertur: *ne confidite vobis super verbis mendacibus; dicendo, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ ipsi*, vel *illa*. h. e. Instructionem meam adhortatoriam ne eludite per vanam fiduciam,

a Ubi vid. Schultens, nec non Kuypers ad Ali p. 118, & Abresch ad Obadj. p. 29.

ciam, in verbis mendacibus positam, quæ, vel a vobis vel aliis excogitata, habent, hæc ædificia, in quibus versamini, esse *Templum Jehovæ*, & hos homines, vos & sacerdotes, esse Ecclesiam Jehovæ; adeoque & hæc & hos firmiter & idem semper mansuros. Taxatur, ut facile adparet, vana Judæorum fiducia in Templo, & Ecclesia Jehovæ, loco non movendis, qualitercunque etiam vivant Judæi. Quæ crassa erat superstitio. Interpretes in verbis exponendis varie instituunt, nonnulli aliena quoque sectantur: quibus non licet immorari. Ad sensum, modo datum, rectius intelligendum, notetur. 1. *Verba mendacia*, & *dicendo*, sibi respondere, ut, quæ sequuntur, pro illis habenda sint, sive ex se illa proferant, sive a Pseudo-prophetis & sacerdotibus suppeditata sint: quod perinde est. Addit propheta לאמר *dicendo*, ut quænam sint verba mendacii, quibus fidebant, indicaret, simul ea populo semper in ore esse, quibus Prophetarum interminationes retundat. 2. *Terna* Templi repetitio, licet Judæorum, hæc verba proferentium, adfectum & impetum exprimat, & ad majorem pertineat adseverationem, simul continuum eorum clamorem sæpe repetitum indicet; forte tamen respicit cum ad Templi partes, tum ad Templum proprie & improprie dictum, sive ipsam ædem, & ministros ejus, ac ipsum populum, ibi sacra facientes, *Templi* & *Ecclesiæ* Dei nomine insignitos; tum denique ad temporis durationem. 3. Sed quid sibi vult pronomen plur. המה, quod additur? Templum Dei &c. non *illi* vel *illa*; quod utrumque admittit pronomen, ut recte Dieu. Sensus mihi esse videtur, *a. illa* & *illos*, digito monstratos, tanquam præsentes, & ædificia illa, & ministros ac cives, esse *Templum* & *Ecclesiam Dei*; adeoque sub Dei cura & tutela per se securos, quorum destructionem Deus permittere nequeat. *b.* Templum Jehovæ esse *illa*, quibus fidebant; ut sit. *Templum Jehovæ* &c: illa sunt, quibus innixi credimus, nos perpetuo quieturos esse in hoc loco & terra, opposite ad Prophetæ verba, quibus eam inhabitationem a rectitudine viæ derivaverat, nec non

ad dehortationem a fiducia super verbis mendacibus: *Dicendo*, itaque idem est, ac, ne dicite, *Templum Jehovæ* &c: *illa* sunt, quibus fidimus, & quæ loco rectæ vitæ nobis sunt, & sufficiunt. c. Addo, pronomen הוא nonnunquam *firmam* & *durabilem* rei conditionem exprimere; uti Ps. CII: 28. *Tu idem*, & *anni tui non pereunt*: ita & non hoc loco esse posset, ut sensus sit: Templum, Templum, Templum Jehovæ *illa* sunt, & manebunt *eadem*, non mutanda aut destruenda. Cui opponitur in seq. prophetia de Templi desolatione, ad exemplum *Siluntis*.

§. CL. B. Propositionis deductio viam supra propositam fusius repetit, & bonum inde secuturum, opposite ad malum ex neglecto officio certo oriturum, vers. 5--7. *Quia profecto si bonas probe feceritis vias vestras, & facinora vestra, si judicium studiose feceritis inter virum & proximum ejus; peregrinum, pupillum & viduam non oppresseritis? nec sanguinem innocuum effuderitis, in hoc de loco; nec post Deos alienos ambulaveritis, in malum vobis; etiam tunc quiescere vos faciam in hoc loco, in terra, quam dedi Patribus vestris a seculo ad seculum.* Connectitur cum superioribus per כי *quia*, & *profecto*; quam utramque vim hic commode exserit; habet enim hæc pericopa conspectum *causæ* redditionis, qua superior adhortatio ac dehortatio demonstratur, simul majoris adseverationis. Nihil hic occurrit observandum, nisi 1. in phrasi *effusionis sanguinis innocui* digitum quoque intendi ad infanticidium idololatricum, vers. 31. expresse memoratum, cum quod cum idololatria connectatur, tum quod *loco huic*, h. e. Templo, distinguitur enim a *terra*, adligetur. 2. Voces ultimas, vers. 6. לרע לכם *in malum vobis*, pertinere ad superiora omnia, si præstentur, & addi, ut, malum & excidium esse inevitabile, neglectis iis officiis, intelligerent, secus ac sibi, Templo fidentibus, imaginabantur. *Ad malum vobis* itaque est idem, ac male vobis cedet, & cum pernicie vestra conjunctum est, quod vitandum vobis injunxi. 3. Postremæ voces, vers. 7. *a seculo*

ad seculum, construi possunt cum proxime præced., *dedi Patribus vestris*, nec non cum initio versus, *quiescere vos faciam* &c: *Priore* sensu dicit, Deum dedisse terram in hæreditariam possessionem Patribus ab antiquo, & in perpetuum, quo promisso fruerentur, si officio recte fungerentur. *Posteriore* ratione denotabit phrasis, eos in posterum per secula continuata habitaturos esse, *ab uno seculo* semper ad *aliud*; seu a nunc in perpetuum usque ad finem oeconomiæ V. ulterius enim se non extendit vox עלם; uti alibi observavi.

§. CLI. ב. Adhortationi subjungit *convictionem* fiduciæ eorum, & temerariæ, & vanæ, quam aptissime, ut, quam opportuna sit adhortatio & dehortatio ac necessaria, animis eorum infigeretur. Quæ sicut facilis est cohærentia, ita clavis ad verum conspectum pericopæ, vers. 8--11. pandendum: quod Interpretes non recte perceperunt. Prophetam hic convincere velle Judæos hypocrisios & vanæ fiduciæ, a qua eos dehortatus erat, structura orationis, qua de re præsente loquitur, & affirmative, satis evincit; præterea vocula הנה *ecce*, quæ incipit pericopam, confirmat. Convincit autem eos *a*. hypocrisios & fiduciæ falsæ in Templo & sacrificiis, vers. 8--10. *β*. gravitatis criminis, & certitudinis reatus in eo siti, vers. 11. *a*. In *priore* parte *a*. fiduciam hanc ipsis imputat, vers. 8. *b*. speciminibus prolatis demonstrat, vers. 9, 10. *a*. Imputat his verbis, vers. 8. *Ecce vos confidentes super verbis mendacibus, ad non proficere*, vel *proficiendum*. h. e. Dehortatus sum vos a vana hac fiducia, non sine ratione, sed aptissime; lactatis enim vos vere ejusmodi fiducia, quæ vobis nihil commodi, multum mali, adferre debebit. *Verba mendacia* non tantum memorat, quibus fidebant, sed majoris confirmationis ac illustrationis ergo addit, *in eo nihil fore utilitatis* ipsis, sed multum damni: imo imputat ipsis insaniam, acsi confiderent eo scopo, *ne proficiant*, ac velint felicitatem suam, sed ruere vellent in perniciem. Id enim phrasis proprie dicit, לבלתי הועיל *ad non proficiendum*: proprie, ut supra c. 11: 11. vidimus, *culmen fa-*

cei

esse scandere, seu asylum, locum tutum & commodum, præbere. Emphasi quoque non caret vocula הנה *ecce*; ducit enim in rem præsentem, & fortius adfirmat.

§. CLII. *b*. Confirmat mox hanc imputationem vanæ fiduciæ, producto specimine, quod mediis in sceleribus sese securos esse putent per exercitium religionis in Templo, sesseque propterea impune indulgere posse ejusmodi pravis institutis, vers. 9, 10: *furari*, *occidere*, *adulterare*, *falso jurare*, *suffire Baali*, *& sequi Deos alienos*, *quos non novistis*; *& venitis & statis coram me in hac domo*, *quæ de meo vocatur nomine*, *& dicitis*, *extracti sumus*. h. e. quam verum sit, quod vobis imputavi, vos in Templo fiduciam collocare, neglecta legum mearum observatione; ex eo clare satis elucescit, quod, dum quævis crimina committitis, hanc domum religiose frequentetis, & vobiscum dicatis, contra omne malum habemus asylum, & nihil metuendum. Interpretes passim interrogative capiunt, & vertunt, *an furando furabimini* &c. sed rectius adfirmative cum emphasi accipitur, adeo ut infinit. sit pro indicativo, & ἐπιτατικὸν καὶ αὐξητικὸν *intendendi* ac *augendi* vim habeat, uti recte Dieu *a*; quod structuræ orationis est convenientius. *Furamini* &c: quam certissime, & ita *venitis in domum hanc*, vobisque promittitis meam tutelam, dicendo, *extracti sumus*. Duo tantum hic notanda habeo, 1. Judæos dici *Deos peregrinos*, quos colebant, *non novisse*, quatenus partim peregrini erant, non proprii eorum Dii, quos ergo non noverant ut *suos*, *partim* nulla ratione, nullo experimento, cognoscebant veros Deos, & liberatores. 2. Ultimum membrum, *& dicitis*, *extracti sumus*, fiduciam in Templo, vanam illam, complecti, qua secum dicebant, non obstantibus sceleribus, quia in Templo Jehovam colimus, immunes & tuti sumus; habemus vindicem potentem in Jehova, cujus hæc domus est, qui nos, reos licet & oppressos, *vindicabit*. Verbum נצל proprietatem habet in *extrahendo*,

a Vid. Dieu ad h. l.

& in specie usurpatur de reis & oppressis eripiendis & vindicandis *a*. Quod huc unice quadrat. Videtur verbum e sono fictum, ut צלל, & *tinnitum* proprie dicit, quem res fortius concussæ, & excussæ, edunt, uti infra c. XIX: 3. & 2 Reg. XXI: 11: In Hiph. *fecit tinnire* valet *excussit* aliquid, ita ut cum sono tinniente exsiliat: unde ad violentam extractionem refertur, qua potens vindex oppressum, vel vinculis constrictum, eripit. Quod Deus Judæis sæpe fecerat, & nunc quoque facturus credebatur, non obstantibus sceleribus eorum.

§. CLIII. *β*. Sequitur eorum convictio in gravitate criminis, & certitudine reatus, vers. 10 fin. & 11. *Propter facere omnia hæc abominabilia spelunca effractorum profecto facta est domus hæc, quæ de nomine meo vocatur, in oculis vestris; etiam ego, ecce vidi, dictum Jehovæ.* h. e. Hæc detestanda quia patratis, & ita in domo mea quæritis asylum; aliter esse non poterit, quin existimetis, *domum meam esse speluncam latronum*, non mihi sancto Numini sacratam: utique ego ipse, ecce! ita rem eam considero, & acri oculo intueor. Interpretes solent verba, *propter facere hæc abominabilia*, conjungere cum præced., *extracti sumus*: acsi dicere voluerint, se esse per domum illam vindicatos, ut talia patrent: sed cum illud impeditius sit, nec facilem admittat sensum, rectius cum seq., versuum distinctione migrata, construitur, eo, quo dixi, sensu. Solent quoque ה in המערת pro interrogandi nota habere: sed rectius *adseverationis* usus ei tribuitur: uti modo habuimus. Sensus ergo est, Judæos, talia patrantes, & per domum illam se tutos existimantes, aliter non posse judicare de domo, nisi tanquam *speluncam latronum*, qualem utique faciebant eam. Eleganter cum tali *spelunca* comparatur, quia refugium est tutissimum latronum, qui eo se recipiunt, & inde ad latrocinandum prosiliunt; uti instituebant Judæi. Ceterum epitheton פריצים *latronum*, ut verti solet, proprie *effractorum*, de quo alibi *b* exposui, iis aptatur, non tantum

a Schultens ad Job. V: 5. *b* ad Dan. XI: 14.

tum quod omnia jura divina & humana violenter perrumpant, crimina, verſ. 9. memorata, perpetrantes, ſed & a Deo, legitimo ſuo *domino*, ſeſe avellant, & jugum ejus excutiant: quo ſenſu vox & alibi, ut l. c. docui, venit. Quod huic loco aptius eſt, quia in Jehova, ejusque domo, quærebant patrocinium, non obſtante aperta eorum apoſtaſia ab eo ad idola. Ultima verba, *etiam ego ecce vidi*, *duo* inprimis hic denotant, 1. Deum æque ac ipſos Templum intueri, tanquam ſpeluncam latronum, ſed longe alio oculo, illos cum delectatione & acquieſcentia, Deum cum ſumma indignatione. Reſpicit enim illud *etiam ego* ad id, quod de Judæis modo dictum erat, *domum eam eſſe in oculis ipſorum ſpeluncam latronum*; ita etiam, dicit Deus, in *oculis meis*; *etiam ego ecce video*, ſcilicet, domum meam talem eſſe. Quod jam obſervavit *Schmid.* 2. Deum ſententiam decretoriam, in hanc domum, jam pronunciaſſe, & mox executioni daturum. *Videre* enim Deus dicitur, cum res ad ſummum venit, & Deus *viſitat* ſcelera. De quo plura dixi ad Pſ. XIV: 2. Senſus hac ratione erit, *vos* domum hanc tanquam ſpeluncam latronum contemplamini, *etiam ego ecce vidi*, adſum ad viſitandum, & *exſcindendum*. Quod mox clarius exponitur.

§. CLIV. 1. Sequitur enim mox prophetica interminatio, vel denunciatio, judicii extremi in hanc domum & populum, verſ. 12-15. Ubi *a*. præmittitur exemplum vaſtationis loci Tabernaculi in Silunte, olim factæ, ut de vanitate fiduciæ in Templo convincerentur, ſimul eo exemplo admonerentur de judicio Dei in Hieroſol. & Templum inſtante; verſ. 12. *Quia ite quaſo ad locum meum, qui eſt in Silunte; ubi initio nomen meum collocavi, & videte, quid ei fecerim propter malitiam populi mei Iſraelis.* Nihil hic difficilis, niſi in nexu monſtrando, & uſu particulæ כי tradendo. De quo Interpretes varie ſtatuunt. Mihi vix dubium eſt, quin cohæreat cum verſ. 8., & ratio hic detur, qua *vanitas* fiduciæ ipſorum in Templo demonſtretur. Intermedia enim

ſpe-

ſpecimen tantum continent fiduciæ ipſorum in Templo, ex quo ea eluceſcebat quam clariſſime; eſſe autem eam vanam, Deus hic demonſtrat exemplo Siluntis, quod ad animum vult ut referant, ut ſic de vanitate ipſi convincantur; connectitur eo aptius cum eo verſu, quod *vanitas* illa in fine verſ. præcedentis, *etiam ipſe ecce vidi*, quoque inceperat oſtendi. Cohæret itaque oratio hoc modo. *Ecce vos fiditis verbis mendacibus, ut ne proficiatis*; imo vos vere iis fidere, ex eo manifeſtum eſt, quod in mediis ſceleribus domum meam frequentantes vos in tuto exiſtimatis eſſe aſylo; vanam vero eſſe eam fiduciam, & *me* quoque, tanquam *judicem*, videre ſcelera veſtra, ex Silunte poteſtis intelligere; ex vero itaque dixi, vos fidere verbis *mendacibus*; quia, Siluntem adeuntes, de eo perſuaderi poteritis, quam inaniter fiducia ponatur in domo mea, ſi leges meas ſusque deque habeatis. Demonſtrat ergo Deus inanitatem fiduciæ, & veritatem viſitationis Dei judicis, cujus ſupra meminerat; & propterea recte connectit ſermonem per *quia*, particulam demonſtrativam. Ceterum *locus Dei in Silo* non eſt, qui fuerat ibi, ſed adhuc erat, ceteroquin enim videri non poſſet, quod hic jubet propheta, uti recte Schmidius. Sed *locus* ſignificatur, ubi ante fuerat Tabernaculum; uti mox additur; qui nunc illa ſede erat orbus, & deſolatus. *Locus Dei* adpellatur, quod ibi olim fuerat domus Dei, quod hic dicitur *collocatum ibi fuiſſe nomen Dei*, quia ibi Deus glorioſam ſuam Majeſtatem, *nomine* Dei inſigniri ſolitam, ſymbolice ſuper *arca*, præſentem ſiſtebat; eaque ratione *nomen ſuum* ibi ponebat, uti dicitur Deut. XII: 5. & inprimis reſpectu arcæ 2 Sam. VI: 2. præterea locus iſte de *nomine Dei* adpellabatur, denique ibi Deus colebatur, quod eſt *Deum nominari*. Plura neceſſe non eſt addam. De re ipſa nemini non ex libris Sam. & Reg. conſtat. Sed, ut provocatio ad judicium Dei in Siluntem tempore Eli Pontificis exercitum, quo hic in ſpecie reſpicitur, ut ex Pſ. LXXVIII. 60. &c: eluceſcit, in clariore luce collocetur, notari velim, illud ipſum judicium

Dei

Dei fuisse consideratum tanquam signum repudiati Ephraimi, respectu principatus & sedis religionis: illudque ipsum fuisse instar *portenti* Israelis suo tempore a Deo exterminandi; uti per Assyrios & dein Romanos factum est. Quem conspectum poeta Ps. LXXVIII. in primis in oculis habuit & illustravit. Quae clavis est istius Ps., & eo quoque Jeremias hic collineasse videtur: ut ex vers. 15to elucescit.

§. CLV. *B.* Ipsum judicium Hierosolymae & Judaeis infligendum, haud absimile antiquo in Siluntem, denunciatur, vers. 13--15. *Et nunc propterea quod commiseritis omnia haec facinora, inspiratum Jehovae, &*, vel insuper, *alloqui consuevi vos, mane surgens & differens, nec audivistis, clamare solitus fui vos, nec respondistis; etiam faciam domui huic, quae de nomine meo adpellatur, cui vos confiditis, & loco huic, quem dedi vobis & patribus vestris, sicut feci Silunti. Et abjiciam vos a facie mea, sicut abjeci omnes fratres vestros, totum semen Ephraimi.* Ubi nihil obscuri; tantum observetur, 1. malitiam populi adgravari ex eo, quod monita Dei per Prophetas, continuo missos, pertinaciter spreverint; adeoque se obduratos demonstraverint. Quod additur, ut justitia judicii Dei, & ejus necessitas, clarius elucesceret. Temp. fut. verba, & *loquar* & *clamabo* consuetudinem adferre, notum est. Sed in posterum idem futurum esse simul innuitur; 2. Praeter *domum Dei* memoratur *locus*, populo & Patribus datus, ut de Hierosolymae & terrae vastatione aeque ac Templi cogitaremus; sicut modo *locus* erat memoratus & *Silo*. 3. Destructioni Hierosolymae & Templi additur populi rejectio a facie Dei, uti Ephraimitis, & reliquis tribubus Israelis, contigerat, olim quidem, quando locus Tabernaculi in Silunte est desolatus, respectu principatus & praerogativae inhabitationis Dei, ut modo observavi, & ex Ps. LXXVIII, illustravi; sed nunc paulo ante magis, quemadmodum res nunc erant, ut eandem sortem sibi manere perspicerent Judaei. Sicut enim Ephraimitae, in quorum medio Tabernaculum olim fuerat in Silunte, a Deo deinceps penitus sunt abjecti, ita

etiam Judæis contingeret. Ceterum emphasis voculæ מעל in phrasi, *abjiciam vos* מעל פנ' *a facie mea*, non erat negligenda, denotat enim omnis conjunctionis & familiaris commercii abscissionem. Particula quippe מ infert sæpe proximam conjunctionem, uti alibi * observavi, locis, inde illustrandis, adductis, quibus alia nunc addo: uti c. XXXVII: 21. Ez. XI: 15. XIV: 5, 6. XXII: 3. XXIII: 5. &c. XXXVIII: 19. Qua ratione manu quasi ducimur ad *repudium* populi, tanquam uxoris a marito; quo verbum שלח *mittere* etiam respicit, Conf. Jes. L: 1. & alibi. 4. Denique, *fratrum* Judæorum facta mentione, additur *semen Ephraim*, vers. 15., non quod omnes decem tribus eo nomine comprehendantur, quod commode fieri non potest, ut recte Schmidius, sed quod Ephraim fuerit præcipua pars Israelitarum illorum, & in medio ipsorum fuerit sedes Dei, ac regnum, denique ultimo fuerint abjecti, post alias tribus jam deportatas.

§. CLVII. *Secundus* articulus continet superioris denunciationis extremi judicii irrevocabilem certitudinem, & justificationem ulteriorem; *illam* in principio & fine pericopæ, *hanc* in medio, vers. 16-20. adeo ut *tres* ejus partes sint, sed *prima* & *ultima* ejusdem scopi, & *prima* ac *secunda* per modum alloquii ad Prophetam. 1. *Prima* pars negat effectum intercessionis prophetæ pro hoc populo ad avertendum aut differendum judicium Dei, modo pronunciatum; quo nihil aliud indicatur, uti facile apparet, & nemini non observatum est, ac irrevocabile, nec ampliandum esse excidium. Ad *prophetam* vertitur oratio, ut nullius, quam sancti etiam & illustris, intercessionem quid amplius valere, indicaretur, præterea bonus prophetæ in populum adfectus demonstraretur, secus ac Judæi præsumebant de Jeremia. Verba sunt vers. 16. *Et tu ne ores pro hoc populo, nec proferas propter eos tinnulam vocem & precationem, & ne occurras mihi: neque enim te audiam.* Adcumulantur variæ voces, ad preces & intercessiones Prophetæ exprimendas, insigni [illegible] cum

* ad Mal. I. 5. §. 17.

cum gradatione; plus enim est proferre *stridulum* & *preces*, quam *precari*, & majus adhuc quid dicit *accursare Deo*. Verbum הִתְפַּלֵּל cum ejusmodi preces denotet, vi sua insita, quibus Deum tanquam judicem, ut jus faciat, invocamus: sensus erit, prophetam ad Deum qua talem non debere provocare. Proferre *stridulum* & *preces* vero est, gratiam judicis implorare, idque ex tenerrimo adfectu, una cum ploratione & fletu. Radix enim רָנַן, ut sæpe alias observavi, est e sono formata, dicitque proprie *tremulum* & *tinnulum*, unde & ad *lætitiam* transfertur, & ad voces plorabundas, ut Ps. XVII: 1. CXLII: 7., & alibi; *tinnulatio* vero & *precatio* est oratio stridula, & plorabunda. Additur, *ne occurses mihi*, scilicet, instanter & pertinaciter, quasi mihi vim faciendo. Id enim פגע involvit, proprie *illidi*, *impingi*; unde duplex usus originem trahit *impetum faciendi* in aliquem, & obviam alicui *occurrendi*, aut preces coram faciendi, magno cum ardore & efficacia.

§. CLVII. 2. Interferitur justificatio judicii irrevocabilis ex universali & inemendabili spiritu idololatrico, per omnis ordinis & ætatis homines dominante, cum obstinata impudentia conjuncto, vers. 17--19. *Nonne vides, quid isti faciant in urbibus Judæ, & in vicis Hierosolymæ? Filii colligunt ligna, & patres accendunt ignem, mulieres subigunt panem fermentatum, ut Reginæ coelorum placentas faciant, & libamina fundunt Diis alienis, ut me tristitia & indignatione adficiant. An me irritant isti, inspiratum Jehovæ? nonne se ipsos propter pudorem vultus ipsorum?* Oratio elegantiæ causa ita instituitur, qua filiis, parentibus, & mulieribus, distinctæ partes in cultu idololatrico dantur, non acsi ad litteram ita fuerit factum, sed ut, omnes eodem esse animo, & ejusdem instituti, indicaretur, adeoque universalem & obstinatam esse hac parte corruptionem. Paucis defungar observatis. 1. Quum Deus ad Prophetam dicit, vers. 17. *nonne vides, quid isti faciant* &c: indicatur, idololatriam esse publicam, & ubique locorum diffusam, ita ut in omnium ocu-

los incurrat, *per urbes Judæ & in vicis* Hierosolymæ, metropolios licet regni, & sedis religionis Jehovæ. 2. Verba, vers. 28. *facere placentas reginæ coelorum, & libamina fundere Diis peregrinis*, elegantiæ causa divisa sunt, & ita concinnanda, ut *placentæ* & *libamina* ad reginam coeli ac Deos peregrinos referantur. 3. *Reginam coeli* esse *Lunam*, etiam dictam מלכת השמים βασίλειαν βῆλτιν, & οὐρανίαν *uraniam*, aliisque titulis insignem, & ubique fere in oriente cultam *a*, uti Sol *baal-semen rex coeli* adpellatur, a Doctis *b* jam est observatum, satisque notum. 4. Sed quid sint כונים *placentæ*, ut verti solet, obscurius est. *Placentas* significari, figuris, forte ipsius *reginæ* coelorum, signatas, quales solebant Diis offerri, probabile est. De quo vid. inter alios Braunius *c*. Videtur autem vox esse a rad. כוה *ussit, adussit*, adeo ut sint placentæ igne coctæ: quod huc recte quadrat. Quod de *effigie* dixi, aliquid forte roboris acquirit ex c. XLIV: 19. ubi *placentas* dicuntur facere להעצבה *ad effigiandam eam*; si ita verti queat: de quo postea suo loco. Græcis σελῆναι & πέλανοι *d* adpellantur. 5. Cum additur, Judæos idololatriam exercuisse ad Deum *tristitia* & *indignatione* adficiendum, id enim verbum הכעיס involvit, a primaria *corrugandi* potestate, *eventus* non tantum, sed & *intentio* eorum indicatur, hoc sensu, ut, 1. licet tale quid mihi inde eventurum esse existimaverint, ab idololatria non abstinuerint, me potius irritari & tristari sinentes, quam ut idololatriæ nuncium mitterent. 2. elata manu eos legem Dei violasse, indicaretur, contra omnia monita & minas Dei, acsi voluissent Deum exacerbare. 6. Reliqua vers. 19. verba declarant, quantopere in eo decipiendi sint Judæi, cum Deum tristitia & indignatione nequeant afficere, sed potius se ipsos adfecturi sint, *propter pudorem vultus ipsorum*, quo nimirum adficiendi sunt, cum sese spe sua excidisse, & in exitium esse delapsos, experientur:

a Vid noster comm. ad Dan. XI: 37. *b* Vid. A. Calovius diss. ad h. l. in Thes. Philol. Th. *c* Sel. S. l. IV. c. 9. *d* Vid. Calovius l. c.

tur: unde non poterunt non & *tristari* & *indignari* super insania sua, qua, Deo relicto, idolis adhæserunt. Ex quo liquet, recte in phrasi, *annon se ipsos*, repeti ex superior. אֹתִי; secus ac Clerico visum fuit.

§. CLVIII. 2. Irrevocabilitas & certitudo excidii repetitur, & superiori corruptioni ac perversitati recte subjungitur, vers. 20. *Propterea, sic dicit Jehova, ecce ira mea & excandescentia mea effunditur in locum hunc, super homines, & pecudes, & arbores agri & fructum terræ, & deflagrabit nec exstinguetur*, scilicet, instar ignis ex naso exæstuante orti. Nihil habeo not., nisi voces אף & חמה ita secum construendas esse, ut *nasi exæstuatio fervens* indicetur; tanquam signum *iræ* & *excandescentiæ*. Vocem enim אף proprie *nasum* indicare, tralatitium est. Ceterum notari meretur, phrasi, *& non exstinguetur*, perpetuam, & nunquam instaurandam, destructionem non significari, sed *tam* periodum destructionis sine interruptione ab hoc tempore cursuram, tum ad ultimum excidium usque duraturam, tum denique a nemine posse averti, & impediri. Præterea, cum verba *effusum esse* & *ardere* in præsent. occurrant, periodum illam jam nunc fluxuram mox esse, significatur. Quo etiam confirmatur hypothesis de concione sub Jojakimo habita.

§. CLIX. *Tertius* articulus ulteriorem continet justificationis & certitudinis excidii deductionem, & confirmationem ex inveterata & perpetua populi inobedientia, ab antiquissimis temporibus hucusque durante, & inemendabili, non obstante specie falsa observantiæ Dei in sacrificiis, quibus æque ac Templo fidebat: vers. 21-28. In qua pericopa, a. vana illa species obedientiæ Dei tangitur & refutatur, vers. 21-23. α. Proponitur & cum indignatione rejicitur, vers. 21. *Sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis, holocausta vestra addite sacrificiis vestris, & comedite carnem.* h. e. holocausta & sacrificia multiplicate, quantum velitis, non ego, sed vos consumite, & non mihi, sed vobis in usum cedant, alium inde fructum non habebitis, quam ut *carnem*

comedatis ipsi; mihi propterea vos non commendabitis. Deus dicere vult, se non indigere sacrificiis, non comedere carnem; adeoque iis qua talibus non delectari; hoc esse ipsorum, non Dei, comedere carnem: ut est Ps. L. vid. quoque Zach. VIII: 5, 6. de *jejuniis*. Mente itaque intelligatur ante *comedite carnem*, *non ego*, sed vos comedite, non mihi, sed vobis, convenit illud. Innuitur, Judæos *sacrificia* spectasse tanquam quibus Deus quasi recrearetur, & delectaretur; quemadmodum homo, qui *carne* vescitur; quod cum indignatione repellitur. Sed præterea indicatur, alium ex sacrificiis ad ipsos non redundaturum fructum, quam ut ipsi *carne* fruantur, sive perinde esse, sive sacrificia offerant, sive *carne* ipsi vescantur. Not. verba, *holocausta addite sacrificiis*, elegantiæ causa esse divisa, & secum jungenda, acsi haberetur: *holocausta* & *sacrificia addite holocaustis & sacrificiis*; quemadmodum Jes. XXIX: 1. *addite anno annum*.

§. CLX. β. Refutatur hæc species obedientiæ, tanquam vana, a Deo quippe non præcepta, vers. 22, 23. *Quia non adlocutus sum progenitores vestros, nec præcepi ipsis, quo tempore eduxi ipsos e terra Aegypti, super rebus holocausti & sacrificii. Sed hoc verbum injunxi ipsis, dicendo: auscultate voci meæ, & ero vobis Deus, & vos mihi populus eritis, & incedite omni via, quam præcipiam vobis, ut vobis bene sit.* Quibus Deus declarat, se cum Israele, tempore liberationis ejus ex Aegypto, non fuisse locutum, nec præcepta dedisse, de holocausto & sacrificio, sed stipulatum esse obedientiam, & observantiam viarum Dei, eaque conditione foedus cum eo pepigisse, quo *Deus* ejus foret, & ipse *populus* suus. Quæ verba difficultatem pepererunt, cum, sacrificia utique a Deo etiam tunc fuisse præcepta, constet. Instituunt Interpretes varie; sed mihi hic aqua non hæret. Non enim hic de sacrificiorum institutione in genere agitur, sed de fundamentali ac præcipua conditione foederis cum populo initi; quam Deus negat esse sacrificium, sed obedientiam Deo in omnibus præstandam adfirmat, cujus adserti hæc datur ratio, quod 1. mox post

exi-

exitum, & transitum per mare rubrum, seu liberationem ex Aegypto perfectam, Deus expresse declaraverit, quo fundamento cum populo arctam voluerit inire societatem, quando nullam fecit *sacrificiorum* mentionem, sed *obedientiam* tantum generalem exegit, Exod. xv: 26. 2. deinceps ad montem Sinai, cum foedus solenniter pangeretur, illud idem repetierit, ne verbo & tunc de sacrificiis facto Exod. xix: 5. 3. Denique in promulgatione legum foederis, super quibus saepius declaravit Deus *foedus* fuisse pactum, tanquam *decem* verbis; sacrificiorum quoque non meminerit. Ex quibus omnibus facile elucescit, Deum pro fundamento foederis posuisse *obedientiam* in genere & in omnibus praestandam; & non in specie & praecipue *sacrificia*, multo minus qua talia, & materialiter considerata. Quod vero ad *sacrificia* adtinet, non negat Deus, ea a se esse instituta, sed *a*. tanquam praecipuam & essentialem foederis conditionem, *b*. ab obedientia sejuncta, & per se ac sola considerata, verum signa obedientiae, adeoque ex eo animo & eo scopo facta, & cum omnium praeceptorum Dei observantia conjuncta. Loquitur itaque Propheta. *a*. de fundamentali & essentiali conditione foederis pacti, *b*. relative ad Judaeorum praejudicia, quibus sacrificia putabant & praecipua esse, & per se sola Deo placere, reliquarum legum parva aut nulla habita ratione. *a*. Prius illud ex ipsis verbis manifestum est; agitur enim hic de eo, quod primum post liberationem ex Aegypto a Deo fuit dictum, quodque Deus expresse stipulatus est in foedere pangendo; quid dixerit, & praeceperit, Deus, quando cum *Patribus* eorum *locutus est*, scilicet de amicitia & societate arcta ineunda: quam potestatem phrasis illa & hic & alibi saepe habet; uti saepe observavi. *b*. Posterius ex vers. 21. ubi Deus sacrificia eorum rejicit, sponte sua se offert. Illud enim ad ipsorum pravas opiniones & instituta respicere, facile patet, & supra notavi. Ex quo simul concludendum est, Deum in seq. eodem spectasse, & inter alia illud velle, se de *sacrificio* nihil locutum fuis-

fuisse, tanquam per se grato & accepto officio, qualitercunque peracto, acsi Deus *carnem comederet*, sed tantum *obedientiam* exegisse, & sacrificia tanquam ejus signa instituisse, ac fieri voluisse. Vid. etiam Jes. I. 12. Hos. VI: 6. Quæ si recte percipiantur, nihil hic superesse difficultatis adparebit.

§. CLXI. 2. Hac vana obedientiæ specie remota, Deus Judæos de vera inobedientia, quæ per omnia tempora, quibus nomen populi Dei gesserunt, duravit, & nunc plane inveterata erat ac obstinata, convincit, vers. 24-28. Cujus pericopæ *tres* partes sunt. α. Prima ad eos pertinet, qui ab Aegyptiaca servitute liberati sunt, & eorum in specie *inobedientiam* repræsentat, vers. 24. *Sed non audiverunt, nec inclinarunt aurem suam, verum abierunt in consiliis, in umbilicatione*, vel *acri impetu, cordis sui mali, fueruntque retrorsum & non antrorsum*. Ubi nihil difficilis. Phrasis *ambulare in consiliis, in umbilicatione, aut impetu, cordis mali*, dicit, vitam moresque instituere secundum consilia, quæ corruptum cor, per alte infixam concupiscentiam, suggerit. De phrasi שרירות, supra c. III: 17. dixi. In ultimo membro, &c. *fuerunt retrorsum & non antrorsum*, mente intelligi, vel addi, debet לי *mihi*, ut sensus sit, mihi docenti, præcipienti, & ducenti, *terga* obverterunt, non *faciem*, in signum contemtus, & defectionis a me. Quem sensum recte vidit Calvinus. Conf. c. II: 27. XXXII: 33. β. *Secunda* pars agit de posterorum simili inobedientia ad præsens tempus usque, magis adhuc damnanda, quod, non obstante continua Prophetarum ad eos missione, perseverarint in eo statu, quin in deterius per detestandam idololatriam Baaliticam prolapsi, vers. 25, 26. *A quo tempore egressi sunt patres vestri ex Aegypto ad hunc diem usque, & mittere solitus fui omnes servos meos Prophetas, quotidie mane surgens & mittens. Et non audiverunt me, nec inclinarunt aurem suam, &*, seu *quin, obdurarunt cervicem suam, male fecerunt plus quam patres eorum*. Ubi notetur, 1. versus hosce per duplex ו in ויום

& misi vers. 25 in medio, & in ולא *& non* vers. 26. cohærere, & hanc fundere sententiam, a tempore eductionis ex Aegypto ad hoc usque, *& misi prophetas, & non audiverunt*. h. e. licet miserim, tamen non audiverunt; ne sic quidem. Quem usum duplicis ו concurrentis jam observavit *Schmidius*, qui tamen male primum membrum vers. 25. construendum voluit cum præcedente. 2. Vocem יום significare *quotidie*, sive sit pro כל יום, sive pro יום יום, ut Clericus statuit ex Gen. XXXIX: 10., præterea construendam esse cum præcedente æque ac sequente, ut facile cernitur. 3. Elegantiæ & emphasios causa sermonem nunc verti ad Judæos, nunc de ipsis fieri; cum & hujus & præcedentis temporis Judæi intelligantur, & mox oratio flectatur ad Prophetam. γ. *Tertia* pars statum populi desperatum, & propterea digni, qui rejiciatur, & pro quo non amplius intercedatur, repræsentat; eo quoque scopo, ut propheta intelligeret, omnem pro hoc populo intercessionem jure merito a Deo repelli; uti vers. 16. dictum erat. Prædicit itaque Deus, populum nihil esse per concionem Prophetæ movendum, vers. 27. & injungit ipsi, ut tandem declararet, palam actum esse cum hoc populo; vers. 27, 28. *Et dixisti* (cum dixeris) *ipsis hac omnia verba, & non audient te, & clamasti* (cum clamaveris) *eos, & non respondebunt tibi. Itaque dices ipsis; hac ista gens* estis vos illi, *qui non audiverunt vocem Jehova Dei sui, nec disciplinam vincientem admiserunt, periit veritas & excisa est ex ore ipsorum.* Ad quæ notetur, 1. Præt., *dixisti, clamasti*, cum fut., *non audient, non respondebunt*, constructum, stylo satis usitato, idem esse ac *cum dixeris, clamaveris.* Quod sæpe alias observavi. 2. Cum vers. 28. sermo prophetæ ad Judæos dirigatur, nam *ad eos* loqueretur, mox tertia persona utitur propheta, pro more scriptoribus solenni; quo stylus subito a secunda ad tertiam transit. De quo alibi ● quædam monui. Supplenda itaque est oratio, ut feci, *hac gens vos illi, qui* &c. 3. phrasin, *hac gens*, magna pollere em-

● ad Mal. III: 9.

phasi, qua dicit, populum Dei esse summo gradu gentem stultam, & perditam, non *populum*, sed *gentem*, reliquis gentibus non meliorem, quin pejorem, digito ab omnibus monstrandam, & prostituendam. 4. Ultimum membrum, *periit veritas*, & *excisa est ex ore ipsorum*, construendum esse cum *gente hac*, & desperatum populi statum complecti: intermediæ enim voces continent ejus status rationem; quia *vocem Jehovæ* &c: respuerunt. Sensus vero est, *veritatem* totaliter, ut dicitur, & finaliter in hoc populo esse perditam, ita ut nemo sit, qui *eam quærat*, vid. c. v: 1. imo adeo in hoc populo intercidisse, ut ne *nomen* ejus amplius in medio ejus audiatur, ne ore amplius eam proferant: quod est, *excisa est ex ore ipsorum*; non amplius nominatur. Non itaque hypocrisis, sed apostasia seu totalis defectio a lege & cultu Dei veri intelligitur, usque ad ipsam professionem. *Veritas* autem fidem, religionem & virtutem, in genere comprehendit, ut c. v: 1. & sensus est, nec in animo nec in ore amplius inveniri, sed penitus e medio populi evanuisse. Significatur desperata ejus corruptio ac manifesta defectio a Deo & lege, simul religionis & relationis ad Deum abolitio, proxime secutura, per Hierosol. destructionem, & populi exilium.

§. CLXII. *Quartus* articulus continet confirmationem totalis excidii, novo & horrendo crimine detestandæ idololatriæ, nunc renovatæ, expresse, tanquam causa, addito vers. 29--34. Cujus pericopæ tres partes sunt. α. *Prima* repudiationem populi a Deo, tanquam excidii causam, exhibet, &, oratione ad Tsionem versa, eam excitat ad gravissimum luctum, omni ornatu projecto, vers. 29. *Demete comam tuam & projice, & profer super locis editis lessum, quia aversatur Jehova, & abjecit, generationem excandescentiæ suæ.* Cum verba sint foemin. gen. in prima parte versus, recte subintelligitur, uti nonnulli bene observarunt, *Tsion*, sed, quod addo, sub matronæ regiæ persona proposita, ad quam sermo vertitur. Videtur autem pendere nexus orationis a vers. præcedente, ubi Propheta jussus erat *populum* ad-

lo-

loqui: qui sermo ad populum hic continuatur; sed ad Tsionem, tanquam reginam, vertitur: sine quo observato nimis abruptum foret adloquium ad Tsionem. Vocatur autem Tsion ad *squalorem* & *lamentationem*, in signum privationis omnis ornatus & prosperitatis. *Demete*, dicitur ipsi, *comam tuam*, h. e. omni te orbam esse ornatu, honore, dignitate & libertate, scias, adeoque comam, quæ te ornat, & instar coronæ est, detonde, & abjice. Respicitur non ad comam votivam Nazireatus, uti passim volunt, quod huc non quadrat, nec in foeminis adeo suetum erat, sed ad prolixam, & ornatam, foeminæ comam, nec qualiscunque, sed matronæ regiæ; uti vox נזר docet, quæ studio videtur a Propheta selecta, ut manu quasi duceremur ad sensum emblematicum *detonsa coma*, & de ornatu ac dignitate regia, simul *prole*, ablata cogitaremus. Vid. Mich. 1: 16. Vox נזר & capillum promissum, & *coronam*, denotat, a propria *torquendi*, quam radix habet, potestate. Solet quoque *coma* expingere dignitatem, & libertatem; maxime coma *foeminarum*, quarum decus est & ornamentum. Cum itaque jubetur *detondere comam*, significatur, eam omni gloria, dignitate & potestate, esse orbandam, adeoque in squalorem & luctum dejiciendam; cujus etiam signum solet in detonsis crinibus esse. De quo, præter alios, vid. Bochartus *a* & Schultens *b*. Sunt qui reddunt, *velle comam*, minus convenienter verbo גזז; a quo longius adhuc abit Schmidius, qui non de *coma*, sed *corona* avulsa, interpretatur. Ducit enim verbum nos manifeste & unice ad *comam*, nec *vellere*, sed *demetere* ac *tondere* denotat, uti Bochartus *c* jam demonstravit. Confirmat Arab. ling., in qua, præter generalem *desecandi* potestatem, habet *metendi* & *demetendi d*, uti apud Hebr. גז pro *gramine* desecto, & מגז pro *falce messoria*; sic & *crines demetere* dicunt Latini; quo sensu hic & Mich. 1: 16 sumitur. Reliquæ voces, *& tolle super editis locis lamen-*

Ee 2

a Hieroz. p. 1. l. II: c. 45. *b* ad Job. 1: 20. *c* l. c.
d Schultens l. c.

mentationem seu *lessum*, manifeste ad acerbissimum luctum cantusque lugubres pertinent, quem in finem *loca edita* adire solebant, & *montes*, unde in longinquum exaudiri possunt. Vid. cap. III: 21. & alibi. LXX, שפים & שפתים confundentes, verterunt ἐπὶ χειλέων *super labiis*: minus apte, uti a Buxtorfio contra Cappellum recte observatum est. *Ratio* squaloris & luctus induendi his verbis additur; *quia aversatus est Jehova, & abjecit generationem excandescentiæ suæ* h. e. animo exulcerato & plane aversante omni sua cura exsolutam tradidit lacerandam & exscindendam hanc generationem. Verba מאס & נטש ita conjunguntur, ut prius posterioris qualitatem exprimat, adeoque *exulceratus est & abjecit* sit pro *exulceratus abjecit*, h. e. animo plane ab hac generatione alienato: quam vim verbi מאס supra & alibi sæpe observavi. Pollet vero verbum נטש insigni quoque emphasi. Proprie dicit *solvere*, exsolvere nodis, quibus res constringitur; inde *negligere*, cura rem exsolvendo, & sibi permittere, denique promiscui juris facere ad cædem & lanienam: uti hic, & alibi.

§. CLXIII. ב Secunda pericopæ pars exhibet *causam* meritoriam repudiationis populi, in nefanda idololatria, nunc renovata, sitam, vers. 30, 31. *Quia summum malum in oculis meis perfecerunt filii Juda, inspiratum Jehovæ, posuerunt abominationes suas in domo hac, quæ de meo adpellatur nomine, ad eam contaminandum. Et exstruxerunt excelsa Tophet in valle filii Hinnom ad filios suos, & filias suas, comburendum igne, quod non præcepi, ne quidem subiit cor meum.* Duo exstantiora proferuntur specimina idololatriæ, *alterum* in ipso Templo vers. 30. *alterum* in valle filii Hinnon, qua liberi in honorem Molechi comburebantur, vers. 31. Ubi hæc duo tantum notanda habeo, 1. ipsam eam idololatriam, a Josia proxime destructam, 2 Reg. XXIII. hic indicari revocatam esse, adeoque concionem post mortem Josiæ fuisse habitam. Quod ipsum innuitur, quum *ædificasse* dicuntur *excelsa Tophet*. 2. *Alterum* est, vallem fuisse

filii *Hinnon* adpellatam, in sorte Benjaminis ad ortum, versus meridiem Hierosolymæ, prope muros ejus: de quo vid. Relandus *a*, & Vitringa *b*, locum vero hujus vallis, Molecho consecratum, nomen habuisse תפת, quod *prodigiosus* ibi exerceretur cultus Molechi, a quo ipsa natura abhorret, vereque detestandus: quod nomen non ab idololatris, sed ab aliis in loci detestationem accepit. Videtur esse a rad. יפת, unde & מופת *ostentum*, *prodigium*. Radix dicit, *vertit*, *invertit*, *permutavit* *c*, unde *prodigii* usus, quod leges naturæ invertat, vel quemlibet a se avertat, & averruncet, ut Lat. *prodigium* a *prodigere*, h. e. *procul agere*; unde *prodigus*, qui bona sua *prodigit*, procul agit. Adoptari quoque posset radix תפת, cui inest potestas *sputandi*, *despuendi*, ut sit *abominatio*, quæ sputatur, sive despuitur *d*. Sed posset etiam, & forte rectius, derivari a rad. יפה & אפה, Arab. ألفي & وفي proprie *complevit*, *consummavit*, idque cumulo super imposito, unde notio *pulchritudinis*, sicut Lat. *omnibus numeris absolutum* adpellant pulchrum, in יפה, nec non *coctionis* in אפה, q. d. coquendo perficere, & ad esum parare, unde etiam apud Arab. *moriendi* usus fluxit, quo quis consummatur. Locus itaque תפת *tophet* adpellatus est, partim quod consummatæ fuerit pulchritudinis, sicuti Hieronymus testatur *e*, partim quod infantes hic fuerint Molecho consecrati, seu consummati, per ignem vel lustrati vel consumti, & quasi *cocti* in ejus cibum. Prope convenit Cl. Hillerus *f*, qui *coquinam* vertit, & ab אפה derivat. Pertinebit itaque nomen ad classem nominum auctorum ab initio per ת; quorum ingens est seges. Commendat opinionem hanc epitheton *vallis occisionis*, superiori *Topheth*. *vallis filii Hinnom*, substituendum, tanquam oppositum & contume-

a Palæst. l. 1. c. 54. *b* ad Jes. XXX: 33. *c* Schultens clav. p. 243. *d* Id. ad Job. XVII 6. & Simon in Lex.
e Ad h. l & Matth. x. *f* Syntagm. hermeneut. de nomine Schilo. p. 240.

meliosius; quod itaque, superius fuisse honestius & ab ipsis idololatris profectum, arguere videtur.

§. CLXIV. 3 *Tertia* parte subjungitur judicium destructionis populi, partim in hac valle sepeliendi, partim insepulti in escam ferarum & volucrium rapacium projiciendi; tota terra simul vastata, vers. 32--34. *Propterea, ecce! dies instant, inspiratum Jehovæ, quum non dicetur amplius Tophet & vallis filii Hinnom, sed vallis occidionis, & sepelient in Tophet, usque ne sit locus. Et erunt cadavera populi hujus escae volucribus coeli & bestiis terræ, absque ut quisquam eas abigat. Et ex urbibus Judae ac plateis Hierosolymae cessare faciam feroculi gaudii vocem, & vocem laetitiae, vocem sponsi & vocem sponsae, quia terra haec vastationi erit.* In quibus etiam nihil nobis relictum est observandum, præter illud unum, respici ad loci istius profanationem per Josiam, 2 Reg. XXIII: 10. & prædici longe graviorem instare profanationem, cum eandem revocaverint idololatriam; non nunc locum sepulturæ fore ordinarium, sed extraordinarium, quo *occisi* sepelirentur, ita ut tanta sit eorum futura copia, ut locus eos capere nequeat, sed multi sint insepulti mansuri: quod indicatur phrasi, *ne sit locus*, vers. 32. minus recte intelligi solita: non enim denotat, alium non futurum sepulturæ locum, sed hunc ipsum locum vallis filiorum Hinnon non fore sufficientem capiendæ multitudini occisorum. Conferatur cap. XIX. Ceterum nomine & emblemate *Tophet* ipsam Hierosolymam simul comprehendi, ex eodem cap. XIX. colligitur. De quo postea.

CAP. VII.

1. *Tempore illo, inspiratum Jehovæ, etiam producent ossa regum Judæ, & ossa principum ejus, & ossa sa-*

sacerdotum & ossa prophetarum, & ossa incolarum Hierosolymæ e sepulchris suis.

2. *eaque expandent Soli & Lunæ, totique exercitui coeli, quos amarunt, & quibus servierunt, & post quos ambularunt, & quos consuluerunt, & quos adorarunt: non congregabuntur, nec sepelientur, sterquilinium super facie terræ erunt.*

3. *Et mors præ vita eligetur omni posteritati residuorum ex hac familia pessima in omnibus locis residuorum, ad quæ ipsos propulerim: inspiratum Jehovæ exercituum.*

4. *Et dices ipsis, sic dixit Jehova exercituum; an cadent & non resurgent? an discedet & non recedet?*

5. *Quare avertit sese hicce populus, Hierosolyma, discessione pura puta? firmiter tenent fraudem, recusant reverti.*

6. *Purgata aure auscultavi, si non rectum loquentur? non est vir, qui ingemiscat super malo suo, dicendo, quid feci? universum ejus exæstuat in cursu suo, ad instar equi inundantis in prælium.*

7. *Etiam ciconia in coelis novit stata sua tempora & loca, & turtur & grus & hirundo observant tempestatem adventus sui: sed populus meus non norunt jus Jehovæ.*

8. *Quomodo dicetis? sapientes nos* sumus, *& lex Jehovæ nobiscum* est. *Profecto ecce mendacio operatur stylus mendax scribarum.*

9. *Pudefacti sunt sapientes, consternati & deprehensi sunt. Ecce verbum Jehovæ spreverunt, & sapientia cujuscunque speciei ipsis foret?*

10. *Propterea tradam uxores eorum peregrinis & agros eo-*

torum hæredibus, quia a minimo ad maximum omnes sectantur lucrum avidissime, & a propheta usque ad sacerdotem universum ejus facit fucum.

11. *Et resarciunt fracturam populi mei super quam levissime, dicendo, pax, pax, & non* est, eritque.

12. *Perplexi sunt facti, quia fecerunt abominabile, nec pudore etiam adfecti sunt, nec ignominia notari sciverunt; propterea cadent inter cadentes, quo tempore visitaverim eos. adpacti hærebunt* & peribunt, *dixit Jehova.*

13. *Colligendo consumam eos, inspiratum Jehovæ, nihil uvarum in vite, nihil ficuum in ficu, & marcidus est ramus, & dabo ipsis, qui transibunt ipsos.*

14. *Ad quid nos desidemus? congregemur potius, & intremus urbes munitas, & ibi seram agamus poenitentiam, quia Jehova, Deus noster, adpegit nos, & potavit nos aquis capitis, quia peccavimus in Jehovam.*

15. *Exspectare pacem, & nihil boni, tempus resarciendi, & ecce præcipitem lapsum!*

16. *A Dane auditur ronchus equorum ejus, præ sonitu hinnituum caballorum ejus tremiscit tota terra, & venient & absument terram & plenitudinem ejus, urbem & incolas ejus.*

17. *Quia ecce inmitto in vos serpentes regulos, quibus nihil est incantatio, & vos mordebunt lethaliter. Inspiratum Jehovæ.*

18. *Quis serenator veniet mihi super moerore, super mihi corde eroso?*

19. *Ecce vocem queruli clamoris filiæ populi mei, e terra longe remotorum* veniet serenator. *An Jeho-*

hova non est in Tsione? an rex ejus non in ea? quare irritarunt me sculptilibus suis, vanitatibus peregrinis?

20. *Transiit messis, consumta est æstas, nec nos sumus servati.*

21. *Super fractura populi mei confractus sum, squalidus sum, sideratio adprehendit me.*

22. *Nullane est in Gileade resina? nullusne ibi medicus? nam quare non excrevit sanitas filiæ populi mei?*

23. *Quis dabit caput meum aquam? & oculos meos fontem lacrymarum? & deflerem noctu ac interdiu confossos filiæ populi mei.*

§. CLXV.

Quintus articulus, adpendicis instar, continet superioris miseriæ adgravationem, in eo sitam, quod nec mortuis parcendum sit, nec vivi superstites in exsilio vitam propter tædium & miseriam sint toleraturi: vers. 1--3. *Tempore illo, inspiratum Jehovæ, etiam producent ossa regum Judæ, & ossa principum ejus, & ossa sacerdotum & ossa prophetarum, & ossa incolarum Hierosolymæ, e sepulchris suis, eaque expandent Soli & Lunæ, totique exercitui coeli, quos amarunt, & quibus servierunt, & post quos ambularunt, & quos consuluerunt, & quos adorarunt: non congregabuntur, nec sepelientur, sterquilinium super facie terræ erunt. Et mors præ vita eligetur omni posteritati residuorum ex hac familia pessima in omnibus locis residuorum, ad quæ ipsos propulerim; inspiratum Jehovæ exercituum.* Quæ pericopa parum habet, quod nobis relictum est expediendum. Not. 1. in descriptione hostilitatis in mortuos, jam sepultos, digitum intendi ad id, quod Josias idololatricis sacerdotibus Betheliticis fecit 2 Reg. XXIII. & eo collineari, ut partim summus ho-

hostilitatis ac vastationis terræ gradus vividius depingeretur; cum ne mortuis quidem & sepultis quies sit concedenda, *partim* sors ipsorum, qua tanquam idololatræ digni erant, & quæ studio idololatrico eorum apta erat, in animos ad eorum prostitutionem defigeretur. Sepultura enim talibus non conveniebat, sed expositio coram corporibus coelestibus. De implemento licet ex historia, valde imperfecta, nihil constet, improbabile tamen non est, tale quid nonnullis contigisse, sive præ odio hostium, sive avaritia, thesauros in monumentis quærentium, quod a Chaldæorum more non fuisse alienum, ex Herodoto *a* colligi potest; nec a Judæorum abhorret, teste Josepho *b*, sive per terræ circa Hierosolymam effossiones, Tsione instar agri *arata*, uti a Micha est prædictum: sed Deo rem ita dirigente, ut impiis, cujuscunque ordinis & dignitatis, in poenam idololatriæ tale quid contigerit, utique aliquibus, forte ex regibus Manassi & Amoni, *in horto regia* sepultis, 2 Reg. XXI. quæ Ghislerii est opinio, non spernenda. Quod hic sufficit. Factum fuisse indicatur in libro Baruch. II: 25. 2 Emphasin habet ו *&* in ויציאו *& extrahent*, scilicet hostes, vers. 1. indicatur enim, hac littera præmissa, quid plus, quam supra erat memoratum. Dictum erat, *insepultos* mansuros esse Tsionitas, sed hic additur, ipsos sepultos insuper extrahendos. Vera itaque est lectio *textualis*, non *marginalis*. 3. Cum fin. vers. 2. dicitur, *non congregabuntur*, *nec sepelientur*, illud de sepultis extractis, eorumque ossibus intelligendum est; quorum recollectio & nova sepultura negatur futura. Quod jam occupatum est: אסף vero etiam est *componere* corpus ad *funus*, Gr. συστέλλεσθαι. 4. Non sine ratione & emphasi habetur, השארית הנשארים, nec superflue repetitur in seq. membro הנשארים, licet Interpretes rem non satis expediverint. Sensus enim est, *residuos* proximos non tantum, sed & *eorum posteritatem* eam sortem subire debere; idque in iis quoque

a l. I. c. 178. quem locum Clericus jam adduxit *b* Ant. VII: 15.

que locis, in quæ residui proximi fuerint translati. 5. Adcumulatio verborum, quibus idololatria eorum describitur, vers. 2. copiosam quidem orationem redolet, nec a concionis publicæ conspectu ad animos auditorum pungendos abhorret, sed nihil habet superflui. Primum enim verbum אהב intensum studium in idola, tanquam amasios, exprimit: *servire & ire post* summam devotionem & omnium institutorum ac morum accuratam observantiam instar servorum, Dominos ubique sequentium, denotat: דרש *quærere* hic est consulere, & ad *oracula* ac divinationes pertinet; convenienter & potestati & usui radicis, vid. Jes. VIII: 19. & alibi, ut vel ex Lexicis constat. Ultimum השתחוה ritus religiosos prosternendi & adorandi exhibet. 6. Denique non sine ratione residui *ex hac familia pessima* adpellantur; ut ad hanc generationem Hierosolymitanam, & non universos exules, denunciationem hanc pertinere indicaretur. Vid. c. XXIV: 8--10.

§. CLXVI. *Sextus* articulus summæ & incredibilis *stultitiæ* Judæorum convictionem & redargutionem continet, quod secus, ac homines non tantum vulgo solent, sed & bruta animantia, temporum opportunitates observantia, instituant, & in criminibus obstinate perseverent, seseque per fraudulentas artes falsorum prophetarum facile in impoenitentia confirmari sinant; adeo ut nil nisi ultimum excidium sit exspectandum. Cujus pericopæ, vers. 4--12., sequentes sunt partes. א. *Prima* stultitiam eorum redarguit communi hominum exemplo, qui cadunt, sed resurgunt, discedunt, sed redeunt, cum Judæi sint in aversione sua pertinaces, nec se reduci patiantur, vers. 4--6. א. Exemplum hominum proponitur, vers. 4. *an cadent, & non resurgent? an discedet & non accedet?* h. e. an ita instituere adsolent vulgo homines qualescunque, ut in terram cadentes ibi maneant jacentes, nec surgant? ut qui a suis discedit non redeat? nihil minus; solent enim cadentes resurgere, & discedentes redire ad sua, si modo possint: quod hic supponitur. Verba

continent generalem hominum morem & consuetudinem quæ forte in proverbium abierat; & in hominum indole ac ratione fundata est; qua cadens resurgere vult, & a domo ac suis discedens redire amat. Huc enim posterius membrum rectius refertur, ac ad *viam*, a qua quis aberrat, ut communiter solet, cum *aberrationis* hic nullum indicium sit, nec etiam viæ pravæ monstratio, sine qua nemo a via discedit. Verbum שוב frequentatur, apud Arab., in aquis æstuantibus, statis temporibus recurrentibus, adeoque crescentibus æque ac decrescentibus, & sic in recessu & accessu aquarum: quod sæpe alias observatum est; unde & *recedere* & *accedere* denotat, quæ utraque significatio hic eleganter conjungitur, uti & vers. 5. Hæc explicatio cum se sponte commendet, non opus est aliorum interpretationibus examinandis immoremur. Nonnulli, ut Ghislerius, sensum in genere quoque viderunt. Sed notari meretur, membra elegantiæ causa, alterum in plur., alterum in sing., efferri; ut utrumque membrum utroque numero sumeretur, & cum de pluribus tum de singulis cogitaremus: acsi esset, ita solent homines, ita unusquisque solet.

§. CLXVII. β. Adplicatur hic hominum mos, ab ipsa natura doctus, & in recta ratione fundatus, ad Israelem seu Judæos, eosque contrarium instituere traditur cum admiratione, & confirmatur, vers. 5, 6. *a*. Propositio ita habet, vers. 5. *Quare avertit se populus hicce, Hierosolyma, discessione pura puta? firmiter tenent fraudem, recusant reverti*: h. e. cum solenne sit hominibus discedentibus reverti; quid itaque movet hunc populum, Hierosolymam pro sede habentem, tam nobilem in origine & bene moratum, in sua aversione tam pertinaciter pergere? nihil profecto aliud, quam quod se decipi amat, & obstinata voluntate sit. Ad quæ rectius, quam solet, intelligenda, observetur, 1. Duo esse versus membra, *prius* interrogativum, *posterius* responsorium. Ad interrogationem enim, *quare avertit se* &c. respondetur, *tenent dolum* &c. ut ratio reddatur in posterio-

re

re membro, quare ita pertinaciter instituat populus: sicut ipsa verba quoque docent, uti mox adparebit. 2. Verbum שׁוֹבְבָה in priore membro non est *foemin.* ut putatur; quod cum העם *masc.* minus recte construitur, nec ab Interpretibus expediri potuit, sed masc. cum ה paragog. & emphatico; ut sit avertit se longissime. Qualia exempla & alibi prostant *a*. Est praeterea in Pih., ad significationem intendendam, dicitque cum vehementia & sponte sua discedere; quod idem est, ac *avertere se*. 3. Vox *Hierosolyma*, addita non debet cum *populo* construi, acsi esset populus *Hierosolymae*, quod structura orationis non admittit, ut recte Dieu; qui tamen nihil melius substituit, sed per se stat, & per adpositionem additur, requiritque repetitionem voculae *quare*, mente faciendam; ut sit: quare *avertit se populus hic*, quare *Hierosolyma?* additur expresse ad augendam admirationem; simul ut *Hierosolymitani* in specie designarentur. 4. Phrasis, *aversione* נצח sese avertere, exprimit aversionem perfectam & perpetuam, proprie *puram putam*, sine fuco & temperamento, meracissimam *b*. Proprietas enim radicis נצח est in *puro puto*, cui nihil heterogenei est admixtum: ut saepe alias est observatum. Hinc transfertur ad causam *victricem*, & triumphantem; adeoque *aversio pura puta*, est totalis, perfecta, nulla admixta repugnantia, & omnia superans media, remoram injicientia. 5. In *altero* membro ratio datur hujus aversionis duplex, *altera* in firma adprehensione fraudis, *altera* in obstinata voluntate, sita. *Prior* est, firmiter tenent *fraudem*, partim hypocrisin, qua, externo sacrificiorum cultu contenti, reliqua minus curant, partim *deceptionem* fraudulentam sacerdotum & pseudo-prophetarum, *pacem* promittentium: uti mox sequitur. *Posterior* est, *repudiant converti*, considerantes, scilicet, conversionem, tanquam gravem *sarcinam*, quam ferre recusant. De quo verbi מאן significatu dixi ad c. v: 3.

a Vid. ad Mal. II: 11. *b* Vid. Schultens ad Prov. XXI: 28.

§. CLXVIII. *b.* Propositionis confirmatio his verbis, ut verti debent, exhibetur, verſ. 6. *Purgata aure auſcultavi, ſi non rectum loquentur? non eſt vir, qui ingemiſcat ſuper malo ſuo, dicendo, quid feci? univerſum ejus exæſtuat in curſu ſuo, ad inſtar equi inundantis in prælium.* h. e. Quam verum ſit, quod dixi, experimento capto, & inquiſitione accurata inſtituta, deprehendi. Purgata aure, ſeu adtentiſſime, auſcultavi, inquirens, num non rectum & ſanum loquerentur? quod converſionis & ſalutis ſpem faciat. Sed neminem offendi ingemiſcentem ſuper pravis facinoribus, dicentemque, *quid feci?* omnes, contra, repetitis & continuo creſcentibus viribus in curſu ſuo perverſo continuant, haud ſecus ac equus præcipitans, & ruens in prælium. 1. Verba, *purgavi,* ſcilicet, aurem, quæ propria vis eſt verbi קשב, *& audivi,* denotant, *purgata aure audivi,* ut prius qualitatem poſterioris contineat; ſicut ſæpe alias. 2. ſequentia, לוא *ſi non rectum loquentur,* exponunt ſcopum auſcultationis adtentiſſimæ; ſecus ac Interpretibus viſum, qui vertunt, *non rectum loquuntur;* ut exponat quid Deus audiverit: ſed obſtat fut. temp., in verbo ידברו, cui rectius noſtra verſio convenit: præterea quid Deus perceperit, exponitur in ſeq. Vocula vero לוא hic vim eandem exprimit, ac alias לולא *ſi non;* & in verbo דבר obſervanda eſt ſignificatio, quam haud raro habet, *agendi de amicitia;* adeoque ſenſus eſt, Deum auſcultaſſe adtente, *num rectum,* id enim eſt כן, uti jam obſervatum eſt, *loquerentur,* ad amicitiam cum Deo renovandam. 3. Reliqua continent effectum auſcultationis, & eventum; *nemo ingemiſcit ſuper malo ſuo* (id enim proprie eſt נחם, unde in Niph. *poenitere,* proprie in *ſuſpirationem agi,* videtur eſſe ex ſono natum, ut Lat. *gemere,*) *dicendo, quid feci?* (quid mali feci, gemitu & poenitentia dignum? nihil plane) *univerſum ejus,* ſeu *omnes illi æſtuant in curſu ſuo,* inſtar aquarum æſtuantium, & continuo ſe impellentium, quam emphaſin verbi שוב ſupra obſervavi; additur, *inſtar equi effuſi in prælium,* proprie *inundantis,* & *ſulcantis* ſolum, in prælium;

id

id enim est שׁטף, proprie *inundavit*, *sulcos* post se *relinquens*, *aqua*. Conf. de verbis שׁוב & שׁטף quoque Rev. Kuypers *a*, qui hunc locum etiam illustrat. De comparatione impetus equorum cum torrente effuso vid. la Cerda *b*.

§. CLXIX. ב. *Secunda* pericopæ pars argumentum, quo Judæos insipientiæ arguat, repetit ab avibus coelorum, statuta sua tempora eundi & redeundi, ad propria sua commoda, observantibus, cum Judæi *juris* & statutorum Dei, ad felicitatem suam tendentium, nullam rationem habeant, vers. 7. *Etiam ciconia in coelis novit stata sua tempora & loca, & turtur & grus & hirundo observant tempestatem adventus sui; sed populus meus non norunt jus Jehovæ.* Quæ nihil habent obscuri: de *avibus* & vocum significatu abunde egit Bochartus *c*. Sensum & scopum satis illustrarunt Interpretes, nec est difficilis intellectu. Quare nobis hoc unum relictum est: *duo* priora membra, elegantiæ causa divisa, ita esse ordinanda: *etiam ciconia, turtur, grus & hirundo in coelis norunt & observant statuta sua, ac tempus veniendi.* Comparatio vero inter hæc volatilia & Judæos in eo ponenda est, quod *illa* statuta sua teneant constanter, *Judæi* ignorent, & negligant; *illa* tempus redeundi ad proprias suas sedes observent, *hi* plane susque deque habeant, de reditu ad Deum non solliciti; *illa* instinctum sequantur, *hi* omnem impulsum, seu internum seu externum, proterve opprimant: adeoque hi sint longe stultiores & non excusandi, cum *ratione* polleant, & jus statutum sciant.

§. CLXX. ג *Tertia* pericopæ parte ipsi sapientes inter Judæos, qui lege gloriabantur, convincuntur insipientiæ, exemplo scribarum, qui mendace stylo usi non nisi mendaciter scribunt, quibus non tantum in mendace scriptura similes sese præstant periti Judæorum, legem Dei spernentes, & mendacium facientes in proximo defraudando, sed longe pejores, quod mendaces deprehensi & prostituti erubescere ne-

a Disp. ad loca V. T. p. 76. *b* ad Virg. Georg. l. I. v. 512. *c* Hieroz. p. II. l. I. c 9. &c. & II. c. 29.

nesciant, digni itaque, qui mala morte pereant. Hic verus est conspectus & scopus verborum, vers. 8--12. In quibus minus recte rem acu tetigerunt Interpretes, inprimis quod exemplum scribarum mendacium, sed deprehensorum & confusorum, vers. 8. a *medio* & vers. 9. ad *medium*, proponi non observarint, sed de Judæis, eorumque sapientibus, directe agi censuerint; a quo illos abstrahere debuisset, *cum* quod generale dictum de scribis, mendace stylo utentibus, adplicetur demum vers. 9. a *medio*, vocula הנה *ecce* repetita, ut de protasi & apodosi cogitaremus, *tum* quod sapientes dicantur confusi & pudefacti in præter. vers. 9. judicium vero in Judæos mox in fut. exhibeatur, & eos pudore non fore adficiendos dicatur, *tum* denique quod, sicut scribæ mendaces, ita Judæi vers. 10. quoque dicantur *mendacio operam dare*. Propheta itaque *a*. vanam Judæorum jactantiam, qua se, opposite ad superiorem insipientiæ convictionem, *sapientes* esse dicebant, *quia legem Dei secum habebant*, proponit, vers. 8. *Quomodo dicetis*, ut facitis, *sapientes nos, & lex Jehovæ nobiscum?* h. e. quæ hæc vestra est impudentia, qua gloriamini *lege Dei*, & *sapientia vestra?* In quo nihil est obscuri. Meretur tamen adverti, respici ad *librum legis*, sub Josia repertum, & ab eo tempore teri solitum. *β*. Refutat, & perstringit ex simili scribarum mendacium, & prostitutorum. Quod simile *a*. proponit, vers. 8, 9. *b*. adplicat ad Judæos vers. 9. &c., *a*. Proponit his verbis, vers. 8, 9. *Profecto ecce mendacio operatur stylus mendax scribarum: pudefacti sunt sapientes, consternati & deprehensi sunt*, vel quum deprehensi fuerint. h. e. mendax & male formatus scribarum calamus non nisi falsum scribere & facere potest; qui, posteaquam ad normam rectam examinati & deprehensi sunt, quanti etiam sibi videantur sapientes, pudore suffunduntur, ac consternantur. Hic sensus est verborum, in quibus sese mire torserunt Interpretes, & varie instituerunt; nostra interpretatio vel ipsa facilitate sua se commendat. Duo hic de *scribis* dicit. 1. *Alterum* eorum qualitates ducit, tanquam

fal-

falsorum scribarum vitioso utentium calamo. *Ecce mendacium facit stylus mendax scribarum.* h. e. falsus & vitiosus scribarum calamus non nisi vitiosas litteras & lineas facit, a recta norma longe discedentes. Quo nihil est facilius, & structuræ verborum congruentius. *Stylus mendax scribarum est vitiosus*, perversus & male formatus, de quo traditur, eum *mendacium facere*, proprie *facere*, operari mendacio, seu ad illud, seu ei inservire, ductus perversos & contortos faciendo. Quo quid sibi velit Propheta, mox ex *apodosi* vel adplicatione adparebit. 2. Horum scribarum sortem declarat, vers. 9. his verbis: *pudefacti sunt sapientes, consternati & deprehendentur*, sive cum deprehensi fuerint, pudore & consternatione adficientur, quanti etiam videantur *sapientes* alias. Ultimum וילכדו in fut. occurrit, & ו *&* præfixum habet, quia causam pudoris & confusionis continet; ut sit, *cum*, vel *postquam*, *deprehensi sunt*, se mendacium scripsisse, & stylo falso usos esse experientia docuit; secus ac ipsi opinabantur, *decepti* itaque fuerunt, & *capti*. In verbis nihil superest obscuri, quod expediri meretur.

§. CLXXI. *b.* In *apodosi*, seu similis adplicatione ad Judæos, eorumque sapientes, *a.* propheta eos demonstrat *sapientia* præditos esse non posse; cum legem Dei, unicam vitæ & actionum normam, spreverint; adeoque non magis recte instituere possint, quam scriba, mendace stylo usus, ad normam rectam sese non componens, nec ei respondens: vers. 9. *ecce* (quæ vocula repetitur, quia sequitur apodosis, ut dixi) *verbum Jehovæ spreverunt, & quæ sapientia ipsis foret?* nulla. Vox חכמת cum in statu constructo occurrat, vocula מה, quæ sequitur, rectius pro nomine, uti proprie est, habetur, & quamcunque speciem denotat: quem usum quoque habet, cum absolute ponitur, & pro *quodcunque sumitur*, uti Job. III: 13. 2 Sam. XVIII. 23. & alibi *a*. *Sapientia* vero *quæcunque* est, cujuscunque rei, seu ad vitam dirigendam, seu ad favorem Dei impetrandum, seu ad

a Vid. ad Mal. I: 10.

ſtatum ſuum & reip. firmandum: quæ ipſis jure denegatur, quod *legem* Dei, unicam vitæ normam & viam ad felicitatem, ſpreverint. β. Quam longe a ſapientia ab ſint, & quantopere ſcribis mendacium facientibus ſimiles ſint, ſimul tales deprehendendi & proſtituendi, propheta in lucem profert, verſ. 10, 11. duplici producto ſpecimine, *altero* in proximo defraudando ad propriam perniciem, *altero* in pace & proſperitate falſo ſibi & aliis promittenda. *Prius* effertur, verſ. 10. his verbis: *propterea tradam uxores eorum peregrinis, & agros eorum hæredibus, quia a minimo ad maximum omnes ſectantur lucrum, & a propheta usque ad ſacerdotem univerſum ejus facit fucum.* Verba continent convictionem inſipientiæ, & convenientiæ cum ſcribis mendacibus, quod per fas & nefas bonis corradendis unice incumbant, & mendacio ſtudeant; mox omnibus ſuis poſſeſſionibus privandi. Nihil fere habeo, quod dictis ad c. VI. 12., ubi eadem occurrunt, addam; niſi illud unum, vel alterum. 1. יורשים ſunt hæredes *peregrini*, voce illa ex præced. repetita. 2. *facere mendacium*, hic etiam comprehendit *artes* & fraudes, ſive in judicio, ſive extra illud, ad bona aliorum rapienda; inſtar ſcribarum ſtylo mendace utentium, & *mendacio* litantium: uti Jeſ. X: 1. *væ decernentibus decreta iniqua, & ſcribis, qui moleſtiam ſcribunt, ut avertant a judicio tenues* &c. ubi vid. Cl. Commentator. *Poſterius* ſpecimen in pace falſo promittenda, verſ. 11. *& reſarciunt fracturam populi mei ſuper quam leviſſime, dicendo, pax, pax, & non eſt, eritque*, nos quoque non detinebit; cum jam illuſtraverimus ad c. VI: 14. γ. Subjungitur, eos pejores eſſe ſtultis ſapientibus, qui convicti & proſtituti erubeſcunt; cum illi non pudefierent, adeoque mala morte perirent, verſ. 12. *Perplexi ſunt facti, quia fecerunt abominabile, nec pudore etiam adfecti ſunt, nec ignominia notari ſciverunt; propterea cadent inter cadentes, quo tempore viſitaverim eos adpacti hærebunt & peribunt, dixit Jehova:* quæ verba quoque c. VI: 15. reperiuntur, & ibi explicita ſunt.

§. CLXXII.

§. CLXXII. *Septimus* articulus exhibet picturam malorum, quæ populo insipienti proxime evenirent, & ultimi ac totalis excidii prænuncia forent, vers. 13--17. Cujus pericopæ duæ partes generales sunt, *propositio*, & ejus *deductio*. α. Propositio vers. 13. his verbis fit: *colligendo consumam eos, inspiratum Jehovæ, nihil uvarum in vite, nihil ficuum in ficu, & marcidus est ramus, & dabo ipsis, qui transibunt ipsos.* h. e. ad summas populum angustias redigam per sterilitatem, quæ nihil fere fructuum relinquet, uti post plenissimam messem peractam, & per hostes, terram plane inundaturos & omnes absumturos; ita ut ad seram & desperabundam poenitentiam, volentes nolentes, sint redigendi; uti mox sequitur. Videtur respici ad messem autumnalem, qua omnes arborum fructus colliguntur, uti ex verbo אסף, de ea adhiberi solito, & speciali mentione *uvarum* & *ficuum* patere videtur. Sensus autem est, *a.* terram esse sterilem reddendam, & populum omni proventu privandum; ita ut nihil fructuum superfuturum sit, non magis ac post messem autumnalem. *b.* populum esse denudandum, omnibus bonis e medio sublatis: quæ emblematica est uvarum, ficuum & ramorum contemplatio. Conf. Mich. VII: 1. *c.* populum in manus hostium, per terram transeuntium & omnia deprædantium, esse tradendum. Quo ultimum membrum tendit, *& dabo ipsis, transibunt ipsos.* h. e. dabo ipsis transitores, qui aquarum instar eos inundabunt; per ellipsin enim intelligitur אשר ante יעברו; uti facile cernitur. Verbum vero עבר, *intumuit* proprie *fluvius altius se efferens*, transferri solet ad hostiles *invasiones*, instar aquarum inundantes, & cuncta auferentes: ut sæpe observatum est. Reliqua sunt facilia: tantum notetur, in primo membro duo verba vicina אסף & סוף conjungi, & denotari *collectione* facta eos esse *consumendos*.

§. CLXXIII. β. In propositionis deductione α. adfectio populi per agros dispersi tristis & desperabunda, eo tempore futura, repræsentatur, una cum confessione, sed nimis sera, ipsi

ipsi extorta, vindictæ Dei justæ, vers. 14, 15. *Ad quid nos desidemus? congregemur potius, & intremus urbes munitas, & ibi seram agamus poenitentiam, quia Jehova, Deus noster, adpegit nos, & potavit nos aquis capitis, quia peccavimus in Jehovam: exspectare pacem, & nihil boni, tempus resarciendi, & ecce præcipitem lapsum.* Populus, qui omnia bona sperabat, & prophetarum interminatorias conciones proterve spernebat, hic sistitur in profundam & desperabundam tristitiam, cum sera poenitentia conjunctam, delapsus, in signum calamitatis inevitabilis, & undiquaque ingruentis. Introducuntur vero Judæi per agros dispersi, qui, cum inopia frugum & fructuum terræ, tum metu hostium, terram transiturorum, excitati, se invicem hortantur, ut munitas urbes petant, & ibi, loco conviviorum, ut solebant, sese lacrymis pascerent, &, de republica actum esse, simul Deo sese gravissimo reatu obstrictos, confiterentur. Verba sunt selecta, maximam partem de ambiguo quid trahentia, a Cl. Schultens a recte illustrata: quæ relegemus, & secundum ejus ductum exponemus. *Ad quid desidemus?* (ad quid & quare moras nectimus, inani nos amplius spe lactemus, & genio indulgemus? quod utrumque involvit verbum ישב, & sedere commode, laute, ac ad compotandum, & moras facere:) *congregemur & intremus urbes munitas* (qui in unum coacti solebamus læte convivari, & secure degere; nunc, metu hostium adventantium & penuria omnium rerum pressi, fugientium instar ad urbes munitas nos recipiamus, non acsi ibi esse possimus tuti, & hilaritatem nostram persequamur; sed ut hilaria nostra convivia mutemus in tristissimas lamentationes, & lacrymarum simus compotores, quas sera poenitentia nobis expresserit. Quod est נדמה a rad. דמה apud Arab. superstite, quæ partim *poenitere*, partim *compotare* dicit, cum compotationem sequi soleat *sera* nimis *poenitentia*) *quia Jehova, Deus noster,* הדמנו *adpegit, adfixit nos* (ad silentium redegit, & *solo* adfixit; ita ut nullas ne

a de Ambiguis §. 36.

ne boræ spei voces proferre audeamus, sed nihil nisi perniciem exspectemus. Verbum דמם significat apud Arab. *adfigi*, & *compingi firmiter*, instar rei gypso vel calce illitæ; unde ad *silentium* oris, & *perditionem*, qua quis solo adfigitur, ac similia, transiit) & *potavit nos* מי ראש *aquis capitis* (tum lacrymarum imbre, tum potione venenata, quia *caput* serpentis pro *felle* ac *veneno* sumitur; opposite itaque ad pocula læta compotationis: in quorum locum successit potatio venenata; & propriarum lacrymarum; uti mox vers. 33.). Adjungunt confessionem peccatorum ad justitiæ Divinæ justificationem; quia *peccavimus* in *Jehovam*: quod facile est. Denique subjungunt, nihil spei superesse, & se misere esse deceptos; *exspectare pacem* & *nihil boni*: sic solebamus, sed inaniter, cum omnia contraria eveniant. Bonum opponitur *paci*, quia pax est qualiscunque prosperitas; uti notum. *Tempus resarciendi*, scilicet, exspectamus, verbo קוה repetito, *& ecce præceps lapsus*, & animi, & omnium rerum nostrarum. Radix בעת proprietatem habet in *pulsione citiore*, unde transfertur ad *repentinum* & *præcipitem* lapsum, quo quid superne opprimitur, & met. ad *subitaneum terrorem*, quo mens *quatitur*, & impellitur.

§. CLXXIV. β. *Secunda* pars deductionis hostes jam advenientes ob oculos sistit, tanto cum impetu & copia, ut sonus longe lateque sese dispergat, ac tota terra inde tremiscat; quod eo tendit, ut, hostilem invasionem ante fores esse, & terræ destructionem inevitabilem, declararetur. vers. 16. his verbis: *A Dane auditur ronchus equorum ejus, præ sonitu hinnituum caballorum ejus tremiscit tota terra, & venient & absument terram & plenitudinem ejus, urbem & incolas ejus*. *Dan* memoratur, quia hostes a Septentrione intrarent, uti notum est: describitur hostilis invasio sonora & terribilis, quæ terram & incolas vastaret, proxime futura; acsi sonus terribilis equorum & caballorum jam audiretur. Cuncta sunt plana. Tantum not., relativum, in *equorum* & *caballorum ejus*, respicere, ad vers. 13. ubi men-

tio erat facta eorum, *qui transirent populum:* uti recte advertit Schmidius. γ. *Tertia* pars deductionis confirmat certitudinem destructionis hostilis, nullis mediis avertendæ, vers. 17. *Quia ecce immitto in vos serpentes regulos, quibus nihil est incantatio, & mordebunt lethaliter. Inspiratum Jehovæ!* Sensus est, hostes subito venturos & judicium Dei executuros, quippe a Deo missos, eosque terribiles futuros, & irresistibiles, qui lethales ictus infigerent; similes itaque serpentibus regulis, contra quos nihil valet carmen aut incantatio. Nihil hic nobis, post Bocharti [a] eruditas curas, & Interpretes, relictum est, nisi illud unum, digitum forte intendi ad verba Jacobi Gen. XLIX: 17. de Dane, cum *Danis* modo facta fuerat mentio, & sensum esse, Judæos, qui antea sese hostibus in Simsone præstiterant *serpentes* mordentes, nunc hostes tales esse experturos, sed longe graviores; cum nulla incantatione, ut antea Simsoni contigerat, sint fascinandi, & retundendi. De quo ad eum locum jam monui [b].

§. CLXXV. *Octavus* articulus extremum excidium populi, nullis mediis avertendum, cum peregrina auxilia in vanum a populo exspectentur, & verus sospitator Jehova ab ipsis spernatur, repræsentat, nihilque superesse, quam lacrymis sese tradere, declarat. vers. 18-23. Cum hostes violentos, & nullis blanditiis sedandos, dixerat populum adflicturos esse, transit ad ultimam periodum hostilis invasionis, in Hierosolyma obsessa ponendam; eamque vivide depingit, tanquam in destructionem urbis & populi exituram, absque ut remedium sit, adeoque præter lamentationes nihil esse relictum. Partes pericopæ *duæ* sunt: quarum α. prior omnia media calamitatis præveniendæ removet, vers. 18--20. β. posterior ad vivum expressam continet luctus & lamentationum super excidio picturam, vers. 21--23. α. In priore parte Propheta, 1. de remedio interrogat, unde, & a quo, venturum sit? vers. 18. *Quis serenator veniet mihi super moerore,* *su-*

[a] Hieroz. p. II: l. III. c. 9. [b] comm. ad Gen. XLIX. §. 152.

ſuper mihi corde eroſo? h. e. quis & unde mihi veniet ſervator, qui triſtem meum animum levabit & ſerenabit? veniet profecto ſuo tempore, ſed quis nunc? Interpretes varie inſtituunt, ingenioſe admodum Cl. Schultens *a*, qui adeundi ſunt, ſi quis eorum cogitata noſcere velit, nobis enim non licet proferre & examinare, mentem explicuiſſe contentus eſſe debeo. Verbum מבליגיתי in duo eſſe dividendum autumem, & ſeparatim legendum, מבליג יתי, quod ad Gen. XLIX. jam obſervavi; adeo ut ſignificet, *ſerenator veniet mihi*; ſed inſuper excidit vocula מי, per ם in verbo מבליג abſorpta: ut ſæpe alias: de quo dixi ad Gen. XLIX: *b*, vel ſubintelligi debet, & interrogative capi, *ſerenator veniet mihi?* ſcilicet quis & unde? Verbum בלג proprie dicit, fulgere *inſtar orientis ſolis*, & inde tranſiit ad vultum hilarem, & *nitentem*, ut docuit Cl. Schultens *c*. Indicat Propheta, venturum eſſe ſerenatorem, ſed quærit, qui, & unde *nunc?* indicans, nullum adventurum: uti mox declarat. Reliqua moram non injiciunt: ultima verba reddidi, *ſuper mihi corde eroſo?* niſi pro עָלַי quis punctandum velit עָלָי uti in præcedente: ſed poteſt eſſe paragogicum, & cum emphaſi abundare, ut Lat. *mihi*. Vox דוי eſt a ſono ficta, & a *tinniendo*, quatenus vas cavum, quum percutitur, *tinnit*: proprie enim ſignat ſonum obſcurum e re cava, aut intus corrupta & exeſa; adeoque quid intus tabefactum & eroſum, ita ut cavitas exeſa, cum ſuperficie pulchra, exiſtat *d*.

§. CLXXVI. 2. Ad hanc interrogationem ita reſpondet Propheta. *a*. Vanas populi vociferationes, quibus auxiliatorem e terra longinqua inclamabat, repræſentat, verſ. 19. his verbis: *Ecce vocem queruli clamoris filiæ populi mei, e terra longe remotorum*, ſcilicet veniet ſerenator. Voces ex *terra longinquorum*, non ſunt cum præced. conſtruendæ, acſi inde vociferationes illæ veniſſent, uti capi ſolent; quod commodam non admittit explicationem, cum populus non-

a de ambiguis §. [illegible] *b* §. 261. *c* Orig. l. 1. c. 1. §. 18.
d Vid. ad Pſ. XLI: 4.

nondum in exsilio fuerit, aut repræsentetur, nec tunc addi possit, *an Jehova non est in Tsione?* Templo cum urbe jam tunc destructo; sed continent responsum ad superius interrogatum, & auxiliatorem e longinqua terra venturum esse declarant, quod querulis suis vociferationibus tanquam lugentes, & aliquatenus desperantes, indicabant. Judæi exspectabant auxilium ex Aegypto; sed propheta paulo generalius exprimit, ut indicaret, eos, uti solent in desperatis rebus, sese vana spe auxilii, unde, etiam ex remotissimis terris, oriundi, lactaturos, in specie ex Aegypto, & longius remota respectu vicinorum populorum, & ipsa etiam in *longum protensa*; qui character est Aegypti, quæ propterea *protracta* dicitur gens, a Septentrione ad austrum longe *protensa*, Jes. XVIII: 2. ubi vid. Cl. Vitringa. Vox vero Hebr. מרחקים eo sensu occurrit Jes. XXXIII: 17. ut Idem ibid. exposuit. *b.* Rationem reddit, quare Jehovam tanquam sospitatorem non exspectare possint, uti deberent, his verbis: *an Jehova non est in Tsione? an rex ejus non in ea? quare? irritarunt me sculptilibus suis, vanitatibus peregrinis:* quorum sensus est, Jehovam, qui verus est & unicus sospitator & rex Tsionis, & ibi sedem habet, quem ipse exspectaret, & populus deberet, non posse sperari in auxilium venturum, quod a populo sit repudiatus & exacerbatus. Structura orationis est elegans & emphatica, sed concisa & elliptica, hac ratione intelligenda. Cum populus, auxilium e terra longinqua, vel longe porrecta, adventurum esse, querulus & lamentabili voce dixisset, interrogat propheta: *an Jehova non est in Tsione, an rex ejus non in ea?* h. e. quid hoc rei est, quod aliunde, & e longinquo, exspectatis auxilia? nonne Jehovam habetis, *regem* vestrum, (is enim per *regem* ejus omnino intelligendus est) qui sedem suam habet in Tsione, quare eum non invocatis? vid. 2 Reg. 1: 3. uti deberetis, qui etiam solus vos liberare potest; sed Deus non ita est amplius in Tsione; nec regem vestrum se præstare vult: interrogatio enim simul comprehendit negationem: si vero

rationem vultis, quare Deus non sit in Tsione rex & sospitator: ecce eam nomine Dei prolatam: *quare? irritarunt me sculptilibus suis.* Sibi imputent hanc auxilii mei negationem; nam me irritarunt; justa hæc est ultio & vindicta mei abnegationis. Vocula מדוע *quare* non cum sequente cohæret, sed seorsim capienda, & interrogative, ad superius interrogatum negans referenda, ac *rationem* ejus quærens; ut sit; *quare* Jehova sese regem non demonstrat, auxilium non præstat? uti mox vers. 22. *c.* Opportunitatem & exspectationem liberationis evanuisse, adeoque rem desperatam esse, per ipsam experientiam jam vulgo constare, subjungit Propheta, vers. 20. *Transiit messis, consumta est æstas, nec nos sumus servati.* h. e. tempus opportunum, quo liberandi eramus, præteriit, & omnia media, a quibus liberationem exspectabamus, evanuerunt; absque ut ab hostibus nos obsidentibus vindicati simus. Respicitur ad auxilia Aegyptiorum, & expeditiones eorum æstate susceptas; quæ nullam salutem adtulerunt, tempore opportuno, quo exercitus sese movere solent, jam finito. Viderunt hunc sensum nonnulli Interpretes, sed, quare propheta hoc emblemate usus fuerit, non recte perceperunt. Mihi vix dubium est, quin digitum simul intendere voluerit ad terræ sterilitatem, indeque ortam famem, quam, messis & æstatis finito tempore, non fuisse sublevatam conqueruntur. *Messis* est *autumnalis*, & קיץ denotat fructus oleæ & vitis, quia annum rusticum, qui autumno incipit, finiunt, adeo ut *messis* & *æstas* sit messis finiens æstatem, & annum rusticum: uti Jes. XVI: 9. ubi vid. Cl. Vitringa. Digitum vero huc intendi, facile ex vers. 13. colligitur. Sensus ergo est, & famem esse desperatam, & de rep. actum, nullis mediis superstitibus, quibus hostes repelli possint.

§. CLXXVII. *β.* Posterior pars gravissimi luctus prophetæ imaginem continet super plenissimo excidio, ipsi tanquam præsente ob oculos versato, in signum tristissimi hujus eventus, certo & proxime futuri, vers. 21--23. *super fractura*

filiæ populi mei, (Tsionis & totius populi totali excidio, quod tanquam præsens intueor) *confractus sum* (animo & corpore totus deficio) *squalidus sum* (tristitia & horrore confusus) *sideratio adprehendit me*, (& summa animi obstupefactio, scilicet qui fieri potuerit, ut huic fracturæ non fuerit remedium in tempore adlatum,) *nullane est in Gileade resina? nullusne ibi medicus?* (nullumne fuit medium in Tsione hoc præveniendi excidium? utique. Proverbialis est locutio, a præstantissimo medicamento, in Gilead oriri solito, *resina*, petita, uti ex cap. XLVI: 11. LI: 8. constat. Voce autem צרי non *opobalsamum*, sed *resinam* exprimi, a Bocharto [a], in specie *resinam lentiscinam* seu *mastichen*, ab Olao Celsio [b], demonstratum jam est. Interrogatio hic non negat, sed adfirmat, uti ex seq. mox patebit:) *nam quare non excrevit sanitas filiæ populi mei?* (id est, quod me in stuporem dedit, quod, cum non defuerit remedium, nec medicus, qui adplicuerit, vulnus tamen non fuerit sanatum, sed in plenariam exierit destructionem. Vox ארוכה a *prolixitate* transiit ad *commoditatem* & sanitatem rei; opposite ad contractionem, & status naturalis privationem. Sic pro *sanitate* capitur, Jes. LVIII: 8. ubi sicut cum verbo צמח *efflorescere*, ita hic cum עלה proprie *excrescere*, *ebullire*, recte construitur. Vocula vero כי *quia* verum suum usum, quo *rationis* est redditio, retinet, & ad *obstupefactionem* modo memoratam respicit, ut sensus sit: maxime adstupesco, *nonne est resina?* &c: *quia quare non excrevit sanatio?* h. e. ideo stupore correptus sum, quod, cum non deficiat medicina, sanitas non fuerit exorta. Intelliguntur autem omnia media, a Deo adhibita ad populum sanandum, & excidium præveniendum: & schema orationis indicat, populum fuisse obstinatum, & omnia media respuisse), *quis dabit caput meum aquam? & oculos meos fontem lacrymarum? & deflerem noctu ac interdiu confossos filiæ populi mei.* (utinam caput meum nil nisi aquas contineret, *& oculi mei essent fons lacrymarum!* &c: h.

[a] Hieroz. p. I. l. II. c. 51. [b] Hiero bot. p. II. p. 1[?]c.

i. e. tanta est populi mei calamitas, ut lacrymarum copia deficiat, quanta requirebatur ad eam rite deflendam. In quo nihil est difficilis.

CAP. IX.

1. *Quis dabit mihi in deserto diversorium viatorum? & desererem populum meum, & ab iis discederem? Quia omnes illi adulteri, coetus stringens perfidorum.*
2. *& tendunt linguam suam arcum suum mendacio, & non veritati, insolenter se gerunt in terra: quia a malo ad malum emicant, & me non cognoscunt, inspiratum Jehovæ.*
3. *Quisque sibi a proximo suo caveat, nec ulli fratri fidatis: quia omnis frater supplantando supplantabit, & omnis proximus detractor grassabitur.*
4. *Quisque proximo suo ludificabitur, nec veritatem loquentur, erudiverunt linguam suam loqui falsum, intorquere delassati sunt.*
5. *Habitare tuum in medio fraudis, in fraude* (rectius, *exæstuat grassatio in grassationem, dolus in dolum*) *recusant cognoscere me: inspiratum Jehovæ.*
6. *Propterea sic dixit Jehova exercituum: ecce me conflantem eos, & probavi eos: quia quomodo faciam præ facie filiæ populi mei,* vel *malitiæ filiæ populi mei?*
7. *Sagitta penetrantissima lingua ipsorum, fraudem struit: ore suo quisque cum proximo suo pacata loquetur, & in corde suo ponet insidias suas.*

8. *An propter hæc non visitarem eos? inspiratum Jehovæ, an non vindictam sumeret anima mea de gente, sicut hac?*

9. *Propter montes proferam fletum & gemitum, & propter pascua deserti cantum lugubrem; quia*, vel profecto, *horrescunt carduis late comantibus, ita ut nemo illac transeat, nec audiant vocem pecoris, a volucribus coeli usque ad jumenta avolarunt, abierunt.*

10. *Et dedi Hierosolymam in acervos ruderum, habitaculum monstrorum, & urbes Judæ dabo in siderationem, incolis vacuam.*

11. *Quis vir sapiens ille, & intelligat hoc? & quis, ad quem os Jehovæ locutum est, & divulget illud? quare terra perit, carduis horrescit instar deserti, absque ut aliquis transeat?*

12. *Et dixit Jehova, propterea quod deseruerunt legem meam, quam iis coram dedi, nec audiverunt vocem meam, nec ambularunt in ea.*

13. *Et post umbilicationem*, seu *insitam perversitatem, cordis eorum iverunt, & post Baales, quos docuerunt eos patres eorum.*

14. *Propterea sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis: ecce me cibantem eos, populum hunc, absinthio, & potabo eos aquis capitis*, seu *felle.*

15. *Et dispergam eos inter gentes, quas non noverunt, nec ipsi, nec patres eorum, & post ipsos mittam gladium, donec eos absumsero.*

16. *Sic dixit Jehova exercituum, prudenter intelligite*, vel *lamentamini, & vocate lugubrium cantatrices, ut veniant, & ad sapientes mittite* foeminas, *ut veniant.*

17. &

17. *et festinent, tollantque super nobis lessum, ut descendant oculi nostri in lacrymas, & palpebræ nostræ aquis diffluant.*

18. *Quia vox lamentationis e Tsione audita est: quomodo vastati sumus, pudore confusi valde! quia deseruimus terram, quia projecerunt habitationes nostras.*

19. *Quia audite mulieres verbum Jehovæ, & admittat auris vestra sermonem oris ejus, & docete filias vestras lessum, & foemina sociam suam lamentationem.*

20. *Quia per fenestras nostras adscendit mors, intravit hostiliter palatia nostra, ut infantem e platea & juvenes e vicis exscindat.*

21. *Loquere, sic; inspiratum Jehovæ: & cecidit cadaver hominis instar stercoris super facie terræ, & sicut manipulus post messorem, absque ut sit qui recolligat.*

22. *Sic dixit Jehova: ne glorietur sapiens sapientia sua, neque glorietur fortis fortitudine sua, neque glorietur dives divitiis suis.*

23. *Sed hoc glorietur qui gloriatur, quod sapiat, & me cognoscat, me esse Jehovam, qui beneficentiam, jus & justitiam, in terra facio, quia in illis acquiesco, inspiratum Jehovæ.*

24. *Ecce dies veniunt, inspiratum Jehovæ, & visitabo omnem circumcisum in præputio.*

25. *Aegyptios, Judæos, Idumæos, & Ammonitas & Moabitas, omnesque amputatos extremitate, qui desertum inhabitant: quia omnes gentes illæ præputiatæ, & tota domus Israel præputiati corde sunt.*

§. CLXXVIII.

Nonus articulus continet descriptionem desperatæ corruptionis populi, tanquam *rationis*, quare media sanationis frustra ceciderint, & *causa* severissimi Dei judicii, necessario infligendi, vers. 1--8. Luctum suum super excidio populi modo testificatus erat propheta, & stuporem suum, quare sanatio per efficacissima media adhibita non fuisset secuta, declaraverat: nunc ergo apte de insanabili corruptione agit, quæ omnia media conversionis irrita reddebat, & judicium Dei justificabat. Duæ sunt pericopæ partes, א. *prior* de corruptione agit, vers. 1--5. ב. *posterior* de necessitate judicii, vers. 6--8. א. In *priore* descriptio corruptionis duabus *vicibus* perficitur; seu propositia mox repetitur, & confirmatur. *a*. propositio fit a Propheta, sed nomine Dei corroboratur, vers. 1, 2. Propheta, *a*. declarat votum suum de populo deserendo, vers. 1. *Quis dabit mihi in deserto diversorium viatorum? & desererem populum meum, & ab iis discederem?* h. e. utinam mihi concederetur, populo meo deserto, inhabitare locum plane semotum & solitarium, meque vili tentorio includere, uti solent viatores, in diversorio pernoctantes; cum cohabitatio mea cum populo meo sit infructuosa, & intolerabilis. Schema orationis est, quo non, quid propheta velit, declaratur, sed intolleranda & desperata populi corruptio vivide depingitur, & animis eorum infigitur, adeo ut nihil supersit, quam ut omne commercium prophetæ cum hoc populo abscindatur, & cum feris habitare, ac solitarie in longe remoto loco degere, longe satius foret. Illud unum addo Interpretum observatis; illud, *quis dabit mihi*, (sic enim voces reddendæ sunt, & non, uti Lat. *quis dabit me*, quod nullum sensum fundit, ut recte demonstravit Schmid.) repetendum esse in seq. membro, *& desererem populum meum*, & *discederem ab ipsis*, ut plene sit: *quis dabit mihi*, *ut deseram populum* &c. Sensus est, utinam mihi liceret, diversorium in deserto habere,

&

populum meum deserere! Interpretes solent vertere, *tunc deseram*, & sensum constituunt, prophetam voluisse populum deserere, modo habeat diversorium in deserto; quod minus liquidum est, cum populum deserere potuisset, si vel non haberet tale diversorium. Rectius itaque, uti feci, *utinam mihi esset diversorium, utinam desererem populum meum!* si vel in deserto mihi esset oberrandum, optarem potius hoc, quam hic manere. Præterea locus & hic dari potest peculiari usui verbi עזב *omittere*, quo in grege neglecto & sibi relicto a pastore, omni ejus cura deposita, teritur, de quo Cl. J. W. Schroeder [a], & Rev. Sypkens [b] consuli merentur; quadrat enim recte in prophetam, populo pascendo præfectum.

§. CLXXIX. *b*. Voti sui rationem dat, vers. 1, 2. his verbis, *quia omnes illi adulteri, coetus stringens perfidorum, & tendunt linguam suam, arcum suum, mendacio & non veritati; insolenter se gerunt in terra*. h. e. quam justa mihi sit ratio vovendi, ut mihi potestas daretur populum deserendi, & in desertum aufugiendi, facile constabit, si ad insanabilem populi corrupti statum adtendatur; sunt enim omnes *adulteri* &c. Spectant cuncta vitia & crimina ad proximum; adeoque *adulteria* proprie dicta hic intelligenda sunt, & eo pertinent, ut, inter tales homines munere cum aliquo fructu defungi, quin tuto habitare, se non posse, adpareat. Not. 1. עצרת hic esse coetum, coitionem præpotentem & validam, cui resisti nequeat. Verbum עצר proprie est *stringere tum pressione*, vel premere cum strictione, unde inter alia denotat, *exprimere, exserere, succus & vires*; & *stringere vires* de illis dicitur, qui pollent vigore & robore. Hinc עצרת est *coetus*, ut recte Bootius [c], proprie constrictus, & in unum coarctatus, præterea fortis & validus. 2. *Primum* membrum vers. 2. verti; *tendunt linguam suam, arcum suum, mendacio, & non veritati*, & sensum constituo, eos pro arcu suo

[a] ad Ps. x: 14. [b] Disp. ad V. T. loca c. 1. sub auspiciis Cl. Schroederi. [c] Animad. s. l. IV. c. 10.

ſuo habere linguam, eamque ſemper paratam in gratiam mendacii, ad tela mendacii jaculanda. Etſi in verbo דרך *gradiri*, *calcare*, jam lateat met. ab *arcu* petita, dicit enim *arcum tendere*, ſeu pede ſeu manu *plicando volvere*, convolvere, quæ propria eſt poteſtas, unde etiam *glomerandi* & *gradiendi* uſus fluxit, addidit tamen propheta vocem *arcus*, ut de lingua, tanquam *arcu* tenſo, cogitaremus. Ne autem de uſu & ſcopo dubitaretur, addidit, *mendacio* & non *veritati*, h. e. linguam arcum ſuum tendunt, ut tela mendacii, & in gratiam mendacii, jaculentur: שקר itaque eſt pro לשקר, uti ex ſeq. voce patet, ubi expreſſe additur. Emphaſios vero ergo additur, *& non veritati*; ut ſit, & nihil minus quam veritati, ſed purum putum ſit mendacium. Vid. verſ. 4. ubi clarius idem exprimitur. 3. Secundum membrum eſt, *ferociunt* in *terra*, ſeu inſolenter & ſuperbe agunt, ac dominantur tyrannice. Hanc enim emphaſin hic, & alibi, exſerit verbum גבר.

§. CLXXX. *c*. Confirmatur propoſitio dicto Jehovæ, quo cum inſanabilitas corruptionis, continuo creſcentis, tum origo ejus, in *ignorantia*, vel negligentia, Dei ſita, panditur, verſ. 2. his verbis: *quia a malo ad malum emicant, & me non cognoſcunt, dictum Jehovæ*. Verba ſunt Dei, ut facile adparet ex clauſula; verbis vero prophetæ ſuperioribus ſubjunguntur ob modo datam rationem. Vocula itaque כי *quia* non cum proxime præcedentibus cohæret, ſed ad ſuperius כי *quia* verſ. 1. pertinet; ejuſdemque rei utrobique rationem dat. Sic & alibi ejuſdem rei varias rationes adfert hæc vocula repetita: uti 1 Sam. XVII: 47. XX: 34. Hag. II: 4, 6. Pſ. LXXXIII: 3, 6. Nihil hic obſcuri: emphaſin habet verbum יצא, proprie *emicare*, dicitque eos progreſſum in nequitia publice prodere, & in lucem *ſpargere* publicam, adeo ut in omnium oculos incurrat. Poſtremum membrum, *nec me cognoſcunt*, agnoſcunt, reverentur &c: rationem corruptionis,

a Vid. Schultens ad Job. XXXVI: 9.

sis, simul gravitatem & inemendabilitatem exhibet: uti facile cernitur: vid. c. VIII: 7, 9.

§. CLXXXI. β. Propositionis deductio eodem modo fit, a. verbis prophetæ, vers. 3, 4. b. Dei, vers. 5. a. Verba prophetæ 1. dehortationem continent fiduciæ in quovis proximo ponendæ, in signum summæ confusionis & infidelitatis, vers. 3. *quisque sibi a proximo suo caveat, nec ulli fratrum fidatis.* h. e. quicunque decipi & falli non vult, ab unoquoque, quam arcte etiam sibi conjuncto, solicite caveat, nec ulli loquenti, aut promittenti, fidat. Admonitio est generalis, non ad pios, ut vult Schmidius, sed omnes in genere directa, uti ex ipsa orationis structura patet, & ita, ut dixi, intelligenda est, per ellipsin, seu hypothesios reticentiam, *quicunque, qui falli nolit, sibi caveat.* Eo autem admonitio simpliciter tendit, ut, nullam inter Judæos esse, aut quærendam esse, fidem, omnesque sibi jure diffidere debere, declaretur. Confer. Mich. VII: 5, 6. ubi de eadem re & eodem tempore agitur. Phrases nemini moram injiciunt. 2. *rationem* dehortationis repræsentant, his verbis; *quia omnis frater supplantando supplantabit, & omnis proximus detractor grassabitur.* (malam Jacobi progeniem sese sibi invicem præstare solent, nomen & omen, sed in malum, habentes; supplantando & detrectando invicem, summo studio, & continuo. Alluditur manifeste ad nomen Jacobi, sed in malum, Patrem male imitando; absque ut factum Jacobi propterea expresse culpetur: de quo vid. Schmidius. De phrasi, *grassari detractorem,* diximus ad c. VI: 28.) *quisque proximo suo ludificabitur & veritatem non loquentur,* (imponent sibi invicem, fraudesque serent. Verba fut. temp. consuetudinem & continuitatem denotant) *erudiverunt linguam suam loqui falsum* (adsuefecerunt non tantum, sed & artem fallendi docuerunt; ut bene rursus Schmidius: occurrit in præt., ut indicaretur, illos *falsa loqui,* ut modo dixerat, non ex præcipitatione aut occasionaliter; sed deliberato consilio, ante sumto, & ante edoctos artem mentiendi & fallendi) *intorque-*

re *delassati sunt* (proprie *intorti sunt*, & *impliciti*, *ac defatigati*; quod proprie signat verbum לאה; ad defatigationem & propriam intorsionem usque, summo studio & omnibus viribus in *pervertendo* laborant, adeo ut nihil amplius possint; ipsi etiam sæpe *implicati* teneantur, & se expedire nequeant.

§. CLXXXII. *b*. Verba Dei, quibus superiora confirmantur, & exaggerantur, uti vers. 2. & hic subjecta, ita habent in textu Masorethico, vers. 5. *Habitare tuum in medio fraudis, in fraude renuunt cognoscere me, dictum Jehovæ!* quæ verba multiplici laborant difficultate, quæ vix expediri possit. 1. Quid sibi vult abruptum *illud* adloquium? & ad quem censeri poterit versum? nec Jeremiam, nec populum Judæum, licet de alterutro cogitent Interpretes: sed neutrum est facile. 2. Quid sibi vult illud *sedere in medio doli?* & quorsum tendit? quare hic occurrit? Posset forte cum Gr. καθῆσθαι, vel καθέζεσθαι, ἐπὶ τινι *in re aliqua esse occupatum*, de quo vid. Cl. Valckenaer *a*, comparari; sed, a. proprium illud in iis est, qui sunt ἐπιδίφριοι τεχνῖται. b. verbi ישב *sedere* iste usus exemplo caret. c. de populo sumi deberet: vetante pers. sec. שבתך; cum de eo in tertia persona hic agatur. Quid emphasios hic habeat eo sensu, non adparet, cum nihil novi dicat. 3. Quid est, *in dolo me recusant cognoscere?* nec illud commodum admittit sensum. Vertamus itaque nos ad Gr. versionem, quæ hic singularis est; reddunt enim τόκος ἐπὶ τόκῳ καὶ δόλος ἐπὶ δόλῳ; unde manifestum est, Interpretes pro שבתך בתוך legisse, ut Cappellus jam observavit, שב תך בתך. Prava quidem versio est, sed sana lectio, quæ hanc dat versionem; *exæstuat grassatio in grassationem, dolus in dolum, recusant cognoscere me, dictum Jehovæ*: plane ut vers. 2. *a malo ad malum emicant, & me non cognoscunt*. Elegans vero & emphatica phrasis est, *exæstuat grassatio in grassationem, dolus in dolum*, scilicet, instar undarum se prementium & æstuantium, euntium ac redeuntium: cui ali-

qua-

a ad Herod. l. II. p. 142.

quatenus concinit Herodot. *a*; πῆμα ἐπὶ πήματι κείμενον, & Sophocl *b*, πήματα ἐπὶ πήμασι πίπτοντα, ne alia adferam *c*: sic & supra c. IV: 20. *confractio super confractionem proclamatur*, & Job. XVI: 14. *ruptura super rupturam*. Verbum שוב frequentari solet in *æstu maximo*, identidem & statis temporibus recurrente, habetque potestatem *exuberandi*, *intumescendi* & *effervescendi*, ut sæpe alias observatum est. Junguntur & alibi תוך & מרמה, nec sine insigni emphasi, ut Ps. X: 7. LV: 12. Radix vero תכך sedem habet in *secando*, unde, inter alia, transiit ad eum, qui *zonas secat*, & *crumenas*, & ita latius ad omnem impostorem ac techniarum structorem: altera vox מרמה est *jaculatio fraudis*; deceptio, & dolus, a jactu sagittæ, quo aliquis ex occulto læditur: proprietas enim verbi est in *jaculando*. De qua utraque voce alibi *d* monui.

§. CLXXXIII. ב. Altera pericopæ pars declarat, judicium Divinum in hunc populum, tam corruptum, esse plane necessarium, nec amplius differendum, cum omnia media emendationis frustra ceciderint, populo in eadem perversitate adhuc continuante, vers. 6-8. Occurrit. *α*. propositio, vers. 6. *β*. ejus deductio, vers. 7. 8. *a*. *Propositio*, vers. 6. *Ecce me conflantem eos, & probavi eos; quia quomodo faciam præ facie filiæ populi mei?* H. e. sicut judiciis meis eos, tanquam in fornace, conflavi, ad scorias auferendas, ita & nunc iterum faciam longe severius, & ultima vice; nihil enim aliud superest, res desperata est, propter corruptam & foedatam populi mei faciem. Verba hæc varie exponuntur; sed sensum fundunt, quem in paraphrasi expressi. Quod ut adpareat, 1. observandum est, prius membrum, *ecce me conflantem eos & probavi eos*, duplicem continere probationem per adflictiones, *alteram* præteritam, *alteram* instantem, *hanc* phrasi, *ecce* me *conflantem eos*, *illam*, & *probavi eos*. In-

 ter-

a lib. 1. p. ed. nov. 33. *b* Antig. v. 605. *c* Vid. Cl. Wesseling. ad Herod. l. c. *d* ad Ps. x: 7.

terpretes utrumque verbum vel de præterita, vel de futura conflatione sumunt; utrumque male: *prior* enim phrasis de instante re solet usurpari, & *posterius* verbum, præterquam quod foret alias frustraneum, in præt. occurrens, nos ad præteritam probationem ducit. Sensus ergo est, Deum uti antea, ita & nunc populum conflaturum esse, sed nunc severius & ultima vice, ad scorias & fæces plene delendas. Quo verba etiam ducunt; בחן enim est proprie *terere*, *levigare*, inde *explorare* terendo ad coticulam: resp. Gr. *βασανίζειν*; usu quoque teritur in *afflictionibus*, quibus quis tentatur, ut Job. VII: 18. Sed צרף est proprie *ultro citroque versavit*, *excussit*, ut aurifaber facit, sedens ad metalla conflanda. Vid. Jer. VI: 29. Ceterum ו in ובחנתים idem est ac *sicut*, quod est facillimum. 2. *Alterum* membrum declarat, necessarium esse hoc judicium, quia nihil superest ad populum corrigendum, nec justitia Dei amplius ferre possit, his verbis: *quia quomodo faciam præ facie filiæ populi mei?* h. e. necesse est, ut ad alteram & ultimam conflationem veniam, quia *quid faciam?* h. e. res desperata est, nihil restat, quod faciam. Formula est desperationis, ut alias מה תעשו Jes. x: 3. Prov. xxv: 8 & in prima persona מה אעשה. 1 Sam. x: 2. Sed quid sibi ultimæ voces volunt? מפני *præ facie filiæ populi mei*. Cum vix dubium sit, quin rationem contineant, quare opus sit ultima conflatione, & nihil aliud agendum supersit, alterutrum dicendum est, vel excidisse vocem רע, quæ in simili constructione adest, Deut. XXVIII: 20. & a Græco Interprete lecta fuisse videtur, vertit enim: *a facie πονηρίας malitiæ filiæ populi mei*, cui Chald. etiam consentit; vel vocem פני non *faciem* simpliciter, sed *qualitatem* ejus, & hic quidem *malam* ac *foedam* designare: sicut alibi pro vultu *contracto* & *moerore*, seu ira, sumitur. Posset etiam pro *impetu* & *impudentia* accipi; sicut aliquando fit, ut Hab. I: 9. notante Cl. Schultens *a*. Videtur itaque obstinata foeditas & malitia, cum superba insolentia conjunc-

a ad Iov. XIX: p. 202.

juncta, palam sese ostentans, intelligi, sicut & in simili loco Jes. XVII: 9. *Illo die erunt urbes munitionis*, seu asyla, *ejus, sicut derelictum sylva cadua* (hæc enim est significatio vocis חרש) *& rami, quod dereliquerunt, præ facie filiorum Israelis, fietque vastitas.* h. e. Hæc terræ desolatio, quæ nihil relinquit præter racemationis aliquod residuum, quod derelinqui solet, accepta ferenda est obstinatæ & impudenti *faciei* Israelis. Voces, מפני *præ facie filiorum Israelis*, non sunt cum verbo *dereliquerunt*, sed cum statu desolati terræ, qui residuum tantum reliquit, descriptione construendæ, & ejus causam continent.

§. CLXXXIV. β. In deductione propositionis α. repetitur & exponitur summa perversitas contra omnia media & judicia Dei obstinate perseverans, vers. 7. *sagitta penetrantissima lingua eorum fraudem struit; ore suo quisque cum proximo suo pacata loquetur, & in corde suo ponet insidias suas.* Nihil hic obscuri, nisi in verbo שחוט, quod varie exponitur, & legitur: videtur lectio textualis retineri posse, ut radix statuatur שחט apud Arab. superstes, quæ dicit, *intravit*, & *penetrante vulnere* confodit, & forma verbi sit *Schaphel* vel *Schophal* in pass.; uti docuit Cl. Schultens F. *a*. Præterea ante את רעהו *cum proximo suo* suppleri debet איש, *vir*, seu *quisque*, uti vers. 3. *b*. Necessitas judicii urgetur, vers. 8. *an propter hæc non visitarem eos? dictum Jehovæ! an non vindictam sumeret anima mea de gente sicut hac?* quæ supra c. v: 9, 29. jam habuimus, nec quid difficultatis habent.

§. CLXXXV. *Decimus* articulus repræsentat totalem totius terræ destructionem, & agrorum & urbium, una cum populi abductione in exilium, addita ratione, a corruptione populi petita: Quæ pericopa superioribus, quibus Deus necessitatem judicii demonstraverat, apte subjungitur: uti facile adparet. Partes ejus duæ sunt, א. propositio, vers. 9, 10. ב. ejus deductio & confirmatio, vers. 11--15. א. Proponit Propheta destructionem partim *suis*, partim *Dei* verbis. *Prius*

a. Diss. Academ. de utilitate dialect. &c. p. 60.

verſ. 9. *Propter montes proferam fletum & gemitum, & propter paſcua deſerti cantum lugubrem, quia*; vel *profecto, horreſcunt carduis late comantibus, ita ut nemo illac transeat, nec audiant vocem pecoris; a volucribus coeli usque ad jumenta avolarunt, abierunt.* Ad Schema orationis pertinet, prophetam ſe ipſum ſiſtere luctum & lamentationes prolaturum, ut adfectum ſuum erga populum teſtaretur, utque ſuo exemplo ob oculos poneret generalem luctum populi tunc futurum, ob totalem totius terræ deſtructionem. Occurrit vero hic *α*. luctus deſcriptio, *β*. ejus argumentum. *α*. Luctus, tanquam futurus, depingitur, quia paulo poſt locum haberet, quando deſtructio jam facta erat, quæ nunc tantum inſtabat: quare verbo fut. temp. utitur, dicens: *propter montes proferam fletum & gemitum, & propter paſcua deſerti cantum lugubrem.* Prophetam hic de ſe loqui, certum eſt: licet ſint, qui Deum hic introduci autumant, verſu ſeq. permoti, minus recte, ut mox patebit. Verba utique aptius longe in Prophetam, quam Deum, quadrant, uti recte obſervavit *Schmidius*, nec difficulter cernitur. Dicit vero, ſe *prolaturum*, ſeu publice & clara voce enunciaturum, quod eſt נשא *tollere* in *altum*, *fletum, gemitum* & *cantum lugubrem:* hic enim vocum Hebr. verus eſt ſignificatus: quod verbo notaſſe hic ſuffecerit. Complectuntur itaque omnia luctus ſigna, quæ ore proferri ſolent, adeoque in בכי ſuppleri debet קול *vox*, quæ nonnunquam additur. Sed cujus rei gratia id faceret Propheta? *propter montes, & paſcua deſerti:* vocula enim על hic non eſt *ſuper* ſeu *in montibus*, nec *contra*, ſed *propter*, uti ſequentia docent; ubi *materia* luctus &c, deſcribitur. *Montes & paſcua deſerti* hic recte conjunguntur, quum pecorum ſint domicilia; ut notum eſt: *deſertum* enim hic non eſt locus ſterilis, ſed planities paſcua, quæ non conſeritur, proprie deſertum patens & *paſtui aptum*, ubi *pecora poſſunt agi.* Radix proprie dicit, *ſtruere*, *longa ſerie deducere*, inde *ducere*,

&

& *pascere gregem*. Vid. de usu vocis מדבר Cl. Hasæus *a*. Aptè itaque *deserto* dantur נאות, proprie *hospitia commodissima*, inde *caula* pastorum, & *pascua*: vid. Bochartus *b*. *β*. Argumentum luctus sequentia exhibent: *quia horrescunt carduis, ut nemo transeat* &c. Vocula כי hic non est *rationis redditiva*, sed orationis inchoativa, cum emphasi, ut *profecto*; quem usum sæpe habet: non enim *ratio* hic redditur, quare luctum proferret propheta, tunc enim in fut. æque esse deberent verba, ac superius illud, *proferam luctum*. Cum vero in præt. occurrant verba, licet in fut. dixisset, se luctum esse enunciaturum; inde colligendum est, sequi argumentum luctus & cantus lugubris, quando oratio recte fluit: *proferam fletum & cantum lugubrem*; scilicet, postea, quum terra fuerit destructa; qualem vero cantum, & cujus argumenti? *profecto carduis horrescunt* &c. id enim est, quod deflebo, & lamentando dicam, & canam. Verba totalem agrorum destructionem continent, omnibus pecoribus & avibus sublatis, & pascuis in dumeta horrida mutatis. De qua verbi נצת potestate supra *c* dixi. Reliqua sunt facilia: ultimum membrum, *ab avibus coeli* &c., elegantiæ causa ita concinnatum, ad simplicem stilum redactum, ita haberet: *aves coeli avolarunt*, & *jumenta* abierunt, & perierunt: verbum enim נדד ad *aves*, & הלך ad *jumenta* pertinet.

§. CLXXXVI. Agrorum vastationi addit *urbium*, etiam *Hierosolymæ*, destructionem, verbis Dei propositam, vers. 10. & *dedi Hierosolymam* in *acervos* ruderum, *habitaculum monstrorum* seu draconum, *& urbes Juda dabo siderationem, incolis vacuam*. Utitur propheta forma fut., *dabo*, quia hic materiam cantici lugubris non persequitur, sed verbis Dei confirmat, & ulterius explicat, futuram destructionem terræ, relate quoque ad urbes & *Hierosolymam*. Unde facilis patet ratio verborum diversi temporis in hoc & præced. versu. Nec obstat verbum præt. temp. in principio vers. ונתתי *& dedi*:

a Bibl. Brem. cl. I. p. 120. *b* H. p. I. l. II. c. 44.
c C. IV: 7.

di: non enim est ו convers. præter. in fut., quia non præcessit fut., non obstat, inquam, quia *dare* ibi non actualem traditionem denotat, ut in ultimo membro, sed *judicialem*, a judice lata sententia factam, ita ut idem sit, ac *proferre*, emittere ore, pronunciare: uti alibi sumitur, 1 Reg. XIII: 3. Prov. II: 3. VIII: 1. Job. I: 12. Membra vero elegantiæ ergo divisa sunt, sic concinnanda, *dedi* & *dabo Hierosolymam* --- *& urbes Judæ*, plane quemadmodum in fin. c. XXVI: 6. ut ibi videbimus. 2. Verba vero Dei esse, dubitare fas non est; cum in eum unice quadrent. Solent autem prophetæ, verba quippe Dei eloquentes, Deum sæpe introducere loquentem, majoris emphasios ergo, licet non expresse addant, *Dei dictum*; cum illud facile subintelligatur, & suppleri possit. Cum vero *Hierosolymæ* vastatio esset quid paradoxi; videtur eam Dei verbis protulisse. Verba nihil habent difficilis, nostræ curæ relictum.

§. CLXXXVII. 2. In propositionis deductione *α*. ratio & causa destructionis exponitur, vers. 11--13. *β* ipsa vastatio confirmatur, & explicatius traditur, vers. 14, 15. *α*. In priore parte occurrit, *a*. excitatio sapientum & prophetarum, si qui sint, ad prudentem destructionis instantis considerationem, & publicationem causæ ejus, vers. 11. his verbis: *quis vir, sapiens ille, & intelligat hoc? & quis, ad quem os Jehova locutum est, & divulget illud? quare*, scilicet, *terra perit, carduis horrescit instar deserti, absque ut aliquis transeat?* h. e. totalem hanc destructionem, quam modo adfirmavi futuram esse, ad animum referat necesse est, ut causam ejus cognoscat, quisquis sapit, & in vulgus proferat, quisquis prophetam Dei agit; quam ob causam terra vastationi proxima sit. Verba conspectum habent præfatiotionis, causæ destructionis, mox sequenti, præmissæ, qua sapiens quisque & propheta excitatur ad causam illam investigandam & promulgandam; quo ipso indicatur, paucos vel nullos esse, qui id faciant debite, attamen necessarium illud & utilissimum esse, ut, si pote, ad meliorem frugem

ad,

adducatur ea ratione populus, & vastationis sententia jure la-
ta revocetur. Memorat Propheta, qui hic loquitur, sapien-
tem & prophetam qualemcunque, & ab *illo* exigit, ut *hoc*
intelligat, ab *hoc*, ut divulget. De *sapiente* dicit, *quis vir*
iste, *sapiens ipse*, *& intelligat hoc*, h. e. si quis ullus sit
vera sapientia præditus, ejus fuerit, hoc tantum malum,
quod populo imminet, ut modo dixi, secante mentis solertia
intelligere, & prudenter dijudicare, quoad *caussam* ejus in-
primis. *Hoc* itaque nos ducit ad *malum* illud ingens, modo
memoratum, quem sensum particula את frequenter habet,
uti sæpe notavi. Verbum vero בין *distinctam* rei, ejusque
caussæ, perceptionem denotat; adeoque vult propheta, ut
sapiens quisque prudenter illam calamitatem adtendat, &
caussam ejus perspiciat. De *propheta* dicit, ut illud ipsum
divulget; *& ad quem os Jehovæ locutum est*, *& promul-
get illud*, h. e. quicunque se prophetam Jehovæ venditat,
si vere sit talis, hoc ipsum oportet in publicum edat, quan-
tum scilicet malum reip. immineat, & ob quam caussam.
Indicat, multos esse, qui se Prophetas Jehovæ jactabant, sed
eorum characterem & officium, si vere tales sint, declarat
esse, hoc publice adnunciare, nec populum vana spe lactare,
ut faciebant. Phrasis Hebr. non est vertenda, ut multis
placet, *& quod dixit os Jehovæ ipsi*, *adnunciet illud*; ve-
rum, *& ad quem locutum est os Jehovæ*, *is divulget illud*;
cum quod stilus Hebr. id exigat, tum quod ceteroquin *per-
sonæ* mentio, cui Deus locutus fuit, neglecta fuisset. Repeti
itaque debet ex superiore membro, *quis vir iste*, *cui Jeho-
va locutus est*. Quo nihil est usitatius. Ducit autem phra-
sis manifeste ad *prophetam*, cui hoc proprium est, quod
os Jehovæ ad eum loquatur. Sed quid illud est, quod sapienti
vult esse notum, a propheta divulgatum? hoc nimirum,
quod mox subjungit, *quare perit terra*, *& carduis horrescit*,
ne sit transiens? Sic enim in præs., & non in præter. vertenda
sunt verba; cum ante peractam vastationem illud fieri velit,
& mox etiam verbis Dei futuram calamitatem depingat, vers.

14. Dictis autem non sine ratione & emphasi, *perit terra*, & non *peribit*, ut insinuaret, rem eam ante fores esse, & periodum calamitatis jam fluere, adeo ut dici possit, *terram* jam in eo esse, ut *pereat*. Reliqua sunt expedita. Interpretes in hoc versu exponendo varie instituunt, quos suo relinquere debeo loco.

3. §. CLXXXVIII. *b*, Hac excitatione præmissa, *rationem* & *causam* illam ipse Propheta verbis Dei subjungit, ne illam ignorarent, eo ipso indicans, eam minus fuisse notam, aut creditam, vers. 12. *Et dixit Jehova, propterea quod deseruerunt legem meam, quam iis coram dedi, nec audiverunt vocem meam, nec ambulaverunt in ea, & iverunt post umbilicationem*, seu insitam perversitatem, *cordis eorum, & post Baales, quos docuerunt eos Patres ipsorum.* Dubium esse nequit, quin verba respiciant ad id, quod modo sapientibus & prophetis injunxerat propheta, adeoque veram rationem excidii, quam cognitam & publicatam volebat, contineant. Ratio vero duplex datur; altera negativa, altera positiva; *illa* in obstinato neglectu legis Dei, & monitorum prophetarum sita, *hæc* in idololatria & depravatione vitæ ac morum. Nihil hic obscuri, aut nobis relictum est. *Vocem* Dei, a lege distinctam, ad *monita* prophetarum & doctorum pertinere, ambulare *in ea*, ad legem spectare, satis observatum est. Advertatur tantum usus verbi נתן *dare*, pro edere, emittere ex ore, proferre, in phrasi, *dedi legem coram ipsis*, de quo usu modo monui ad vers. 10. De voce [illegible] *umbilicatione* dixi in superioribus: tantum notetur emphasis in verbis: *quos docuerunt eos patres eorum*; continent enim oppositionem ad *legem Dei*, quam Deus dederat; cum idololatriam a Patribus acceperant; adeoque *traditiones* patrum prætulerant *legislationi Divinæ*.

§. CLXXXIX. *β*. *Altera* pars deductionis continet vastationis repetitam, & ulterius explicitam, descriptionem, a modo data causa repetendam, vers. 14, 15. *Propterea sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis, ecce me cibantem*

[illegible], populum hunc, absinthio, & potabo eos aquis capitis, fellis; & dispergam eos inter gentes, quas non noverunt, nec ipsi nec patres eorum, & post eos mittam gladium, donec eos absumsero. Omnia plana sunt. *Absinthium* & *aqua capitis*, seu fellis, quaevis dira, & execranda, dolorem, molestiam & perniciem, adferentia denotant; adeoque omnia mala, quae tempore destructionis reip. passi sunt, & deinceps. De voce לענה, *absinthio*, vel *abrotono* verti solita, vid. Olavus Celsius *a*, nec habeo, quod addam. Vocem ab Arab. ling. esse repetendam, & significare *maledictum*, *execrandum*, a nonnullis jam est observatum. LXX., ἀνάγκας vertentes, intellexisse videntur *tormina* vel *tormenta*, quo sensu haec vox Graecis *b* in usu est, sive ad rem ipsam, & effectum herbae maledictae, sive ad rad. ענה, *affligere* respexerint. Quod non erat alienum obiter notasse, ab ejusmodi observatis alias consulto abstineo. Additur *dispersio* inter gentes, etiam remotiores, antea vel plane ignotas, vel quibuscum nullum habuerant commercium; quod est *non noscere*: denique violentum excidium in ipso exilio; donec tota illa *generatio prava*, quod probe advertendum, interierit. Non enim de toto populo, sed hac generatione prava tantum agitur; quare etiam vers. 14. inseritur, explicationis & restrictionis ergo, *populum hunc*.

§. CXC. *Undecimus* articulus luculentam pingit imaginem populi partim occisi, partim deportati in exilium, & terrae penitus vastatae, desumtam a lamentantium turba, quae in funeribus solet lugubria canere carmina, ad luctum augendum, & lacrymas provocandas. Vocat itaque propheta, nomine Dei, populum ad communem & gravissimum luctum; vultque, ut omnia ad eum praeparent, praeficas undiquaque convocent, quibus summam carminis lugubris praescribit, praeterea ut ipsae matres id faciant, & filias doceant, & ipsis praescripta summa cantici: quando tandem subjungit con-

 fir-

a Hierobot. T. I. p. 480. *b* Vid. amicissimus Wesseling ad Diod. Sic l. III. §. 14. & Herod. l. I. p. 58.

firmationem excidii, eiusque luctus, nomine Dei. Haec summa est pericopae, vers. 16--21., quae praecedenti apte subjungitur: cum propheta ibi suum exemplum proposuisset in lamentando propter montes &c: quod itaque nunc ab omnibus vult imitandum; significans, in eum statum redigendos esse Judaeos, ut ejusmodi scenae lamentantium locus sit futurus. Schema esse orationis, quo, non quid ad litteram fieret, sed qualis foret populi conditio, indicatur, haud difficulter perspicitur, & ab Interpretibus non est neglectum. Sunt autem pericopae *tres* partes, quod minus est observatum, sed ad intellectum pericopae plane necessarium. *a Prima* pars continet adhortationem ad praeficas & lamentatrices foeminas, ut carmina lugubria canant, earumque congregationem subito faciendam, addito carminum eorum argumento, vers. 16--18. Ubi occurrit, *a.* adhortatio, nomine Dei facta, vers. 16. *Sic dicit Jehova exercituum, prudenter intelligite, & vocate lugubrium cantatrices, ut veniant, & ad sapientes mittite foeminas, ut veniant.* h. e. praeparate vos, & omnia, ad gravem & communem luctum, adeoque convocate lamentatrices, & in ea arte peritas, ut ad illud tempus paratae & praesto sint. Nihil hic nobis relictum est observandum, praeter illud unum, pro verbo התבוננו rectius forte legi התקוננו *lamentamini*, *cum* quod admonitio prudentiae intelligentiae huc minus quadrare videatur, *tum* quod mox sequatur, & vocate *lamentatrices*; cui rectius longe praemittitur, *lamentamini* ipsi, & *vocate lamentatrices*: mutatio litterarum ב & ק est facillima, uti adparet, sed nihil definio. Ceterum, cum *vocandas* jubet cantatrices, & ad *eas mittendum*, indicat eas *praeficas*, quas habebant, & quae in aliis terris erant, esse convocandas, adeoque undiquaque accersendas; quo gravitas luctus exaggeratur. Praeficae vero mulieres, earumque naeniae, seu carmina lugubria, in luctu, satis notae sunt.

§. CXCI. *b. Secundum primae* partis membrum comprehendit superioris admonitionis pleniorem deductionem & illustratio-

tionem, & festinationis, & scopi & finis convocationis præficarum, respectu, verbis prophetæ propositam: vers. 17. *Et festinent tollantque super nobis lessum, ut descendant oculi nostri in lacrymas, & palpebræ nostræ aquis diffluant.* Verba sunt prophetæ, se populo adjungentis, & non Dei, uti ex verbis facile intelligitur. Propheta, cum verbis Dei proposuisset adhortationem ad convocandas præficas, apte suis verbis illam adhortationem confirmat & explicat. In qua loquentium mutatione nihil est difficultatis, aut insoliti. Vid. vers. 9, 10. Addit autem propheta, *festinatione* opus esse, & *scopum* exponit. *Prius* eo tendit, ut, ante fores esse destructionem, luctus materiam & causam, significetur; *posterius* hæc verba exhibent: *tollant super nobis lessum, ut descendant oculi nostri in lacrymas* &c. Vocula enim ו in ותרדנה recte per *ut* vertitur, & consequens carminum lugubrium declarat, quippe quæ eo tendebant, ut majore copia lacrymæ excitarentur lugentium. Phrases vero sunt elegantes & emphaticæ: verbum enim ירד apud Arab. dicit, *aquatum descendit*, in profundo aquarum gurgites immergitur [a]: alterum verbum נזל proprietatem habet in *lubrico* lapsu, quo quid ultro deorsum pergit, & defluit, speciatim de aquis vehementius defluentibus. *Oculi* vero *aquatum* dicuntur *descendere in lacrymas*, & *palpebræ defluere aquis*, cum lacrymæ abundantissime & indesinenter funduntur.

§. CXCII. c. *Tertium* membrum summam cantici lugubris, a præficis canendi, repræsentat, vers. 18. *Quia vox lamentationis e Tsione audita est, quomodo vastati sumus, pudore confusi valde! quia deseruimus terram, quia projecerunt habitationes nostras.* Interpretes in nexu & conspectu verborum tradendo varie instituunt, nec expediverunt, quia non observarunt, summam carminis hic tradi, adeoque כי *quia* esse particulam orationis inchoativam: quem usum sæpe habet, uti Gr. ὅτι; quemadmodum supra. c. IV: 3. & mox vers. 20. ac alibi sæpe observavimus. Ex quo etiam ratio uni-

[a] Vid. Schultens Orig. L. I. p. 192. & ad Prov.

unice redditur, quare in hoc versu *ter* occurrat, quia *tres* partes carminis summatim traduntur. Sicut particula כי, bis vel ter in uno tenore orationis occurrens, diversas ejusdem rei rationes nonnunquam continet, uti 1 Sam. XVII: 47. XX: 34. Ps. LXXXIII: 3, 6. Hag. II: 4, 6, ita & hic ejusdem rei varias partes. Offerunt itaque sese *tres* carminum lugubrium partes, summatim propositæ, quarum *prima est: vox lamentationis e Tsione audita est*, quomodo sumus *vastati, confusi valde!* quæ *prima* est pars luctus, ad illud tempus pertinens, quo Tsionitæ arcte obsessi, & jam desperabundi cum pudore confessi sunt, secum actum esse: *secunda* pars ad exilium pertinet, *deseruimus terram*; *tertia* ad urbium & habitationum omnium destructionem; *projecerunt*, scilicet hostes, *habitacula nostra*. Hæc triplex foret materia canticorum lugubrium, tunc temporis canendorum, quum calamitas illa adesset: quam propheta eo scopo tanquam factam exhibet, ut, eam certo futuram esse & proxime, indicaret. Reliqua nihil moræ injiciunt.

§. CXCIII. *β*. *Secunda* pericopæ pars ad matres & mulieres in genere dirigitur, ut filias & socias doceant carmen lugubre & ipsæ, summa ejus etiam exhibita, vers. 19, 20. Ubi *a*. occurrit adhortatio nomine Dei, vers. 19. *Quia audite mulieres verbum Jehovæ, & admittat auris vestra sermonem oris ejus, & docete filias vestras lessum, & foemina sociam suam lamentationem.* Adjungit præficis, undiquaque convocandis, ipsas *matres*, & quascunque *foeminas* alias ex ipso populo, quibus nomine Dei injungitur, ut & ipsæ *filias* ac *socias* suas ejusmodi carmina lugubria doceant, adeoque ut omnes sese luctui dent, & posteritati tradant cantica lugubria canenda in posterum, ne tantæ calamitatis memoria excidat. Particula itaque כי *quia* hic inchoandi orationem potestatem iterum exserit: novam vero occurrere adhortationem, ex principio versus satis elucescit: nec tamen ab Interpretibus recte animadversum est. Mandatum vero divinum, ad matres & foeminas delatum a Propheta, habet,

ut

ut *filias* & *socias* doceant lugubres cantus edere. Quæ hac ratione facilia sunt: quare plura non addo. *b.* Sequitur, ut in præcedente parte, mox summa cantici, filiabus & sociabus in manus tradendi, verf. 20. *Quia adscendit mors per fenestras nostras, intravit hostiliter palatia nostra, ut infantem e platea, & juvenes e vicis, exscindat.* h. e. violenta mors subito & inopinato grassata est in medio nostri tam crudeliter, ut domos & palatia nostra non reliquerit intacta, sed infantes & juvenes, cujuscunque ætatis, qui in plateis & vicis solebant versari, exsciderit, adeoque fecerit, ut nihil amplius foris compareat. Videtur subitaneæ & inopinatæ invasionis hostium crudelissimorum esse descriptio, qua nihil relinquitur salvum, nec infantibus & pueris in domubus ac palatiis parcitur. Comparatur vero mors cum *fure* fenestras intrante, uti ex Joel. II: 4. observavit Sanctius. Sed phrasi, *intrare per fenestras* & in palatia, nec non usui vocis מות *mortis*, in primis apud Prophetam nostrum, rectius convenire videtur, ut de *fame*, quod Clericus jam vidit, & præcipue de *peste* inde orta, vel cum ea conjuncta, cogitemus. Haud infrequens est hæc vocis significatio apud Orientales, & in Script. S. uti infra c. XVIII: 21. XLIII: 16. & Ps. XXXIII: 19. Job. V: 20. XVII: 15 & alibi. Sic & Gr. θάνατος, qua voce LXX. passim reddiderunt Hebr. דבר *pestem*, & Græci quoque eo sensu sunt usi *a*. Particulam כי rursus esse inchoativam orationis, & summam cantici lugubris repræsentari, a nonnullis quoque jam est animadversum. Reliqua recte expedivit *Schmidius*: nec multum difficultatis habent.

§. CXCIV. γ. *Tertia* pars pericopæ comprehendit superioris calamitatis, cantu lugubri expressæ, confirmationem, & adgravationem, speciali jussu Dei a propheta proferendam, verf. 21. *Loquere, sic: dictum Jehovæ; & cecidit cadaver hominis, instar stercoris, super facie terræ; & sicut manipulus post messorem, absque ut sit, qui recolligat.* In quibus

a Vid. Grotius ad Matth. XXIV: 9.

bus verbis difficultatem parit *præfatio*, quæ vix poterit expediri, salva lectione Masorethica, nisi hac ratione, quam in versione insinuavi; ut *dictum Jehovæ* sit ad Prophetam directum, ut superius canticum corroboraret, & ulterius deduceret, aliquid ei addendo. *Dictum Jehovæ*, scilicet ad me, quale? loquere, *sic*, scilicet *erit*, uti modo in cantico lugubri expressum est. Vocula כה non cum seq. cohæret, ut capi solet, acsi esset *sic dixit Jehova*, cum quod stilus Script. non נאם, sed אמר vel דבר, ejusmodi in casu habeat, נאם enim est *nominis* instar, & *dictum* denotat, tum quod ו *&* in ונפלה & *cadet* emphasi plane careret: ergo rectius seorsim sumitur & elliptice; pro *sic* erit, uti modo *dictum* est; ita vere res sese habebit: respicit itaque ad proxime præcedentia, quæ hac ratione confirmantur. Quando rectius sequitur, *& cadet cadaver hominis* &c: pro *insuper*, *etiam*, cadet, ut aliquid adhuc addatur gravius superiori carmini; *loquere*, *sic erit*, *etiam cadet* &c. Hæc licet admitti possint; omnis tamen scrupulus non est exemtus: habet enim abrupta oratio, *dictum Jehovæ*, *loquere*, *sic*, aliquid impediti, & sequentia verba, *& cecidit*, videntur omnino ad superius carmen lugubre pertinere; quocum per *&* connectitur, & quo præt. forma quoque ducit. Ad quæ si quis obhærescat, mihi nihil aliud suppetit, quam ut vel pro verbo דבר legatur, punctis mutatis, vox דבר *pestis*, eaque cum superioribus construatur, ad vocem מות explicandam, uti LXX antiquitus & Theodotio instituerunt, teste Hieronymo, & *sic inspiratum Jehovæ* parenthetice statuatur insertum, ad majorem confirmationem, eo, quo dixi, sensu; *sic* erit, *inspiratum Jehovæ*. De qua parenthesi & alii monuerunt: vel pro דבר כה legatur דברנה *loquimini*, & ad mulieres lamentantes referatur, hoc sensu; *dicite*, vel *canite*, *inspiratum Jehovæ*, non hoc, quod vobis modo in ore dedi, tantum, sed & insuper, *& cecidit cadaver*. &c. Verbum ואמרת, per ellipsin ante vers. 20. intellectum, hic exprimitur, ut indicaretur, illud ante subintelligendum esse,

&

& carmini aliquid insuper addendum. Hac ratione cohærebit illud, *& cecidit* &c. cum verſ. 20., & carminis ulteriorem partem constituet, verbis, *canite, dictum Jehova*, abrupti. Quam facilis sit mutatio דברתה in דברתה, in oculos incurrit. Eligat quisque, quod rectius fuerit visum.

§. CXCV. *Duodecimus* articulus, variis Judæorum inprimis præjudiciis, quibus per sapientiam, fortitudinem ac opes, sese Deo acceptos esse, vel quævis mala avertere posse, confidebant, oppositus, vanitatem earum rerum, & veram viam favorem Dei consequendi, & malis occurrendi, in agnitione Dei, & virtutum ejus imitatione sitam, comprehendit, simul, veritatem dictorum proxime luculento specimine in judiciis Dei comprobandam esse, declarat, verſ. 22--25. Cujus pericopæ *duæ* partes sunt, *altera* falsam & veram viam sese Deo commendandi, & statum suum firmandi, continet, verſ. 22, 23. *altera* veritatem dictorum illustri specimine demonstrandam exhibet, verſ. 24, 25. *a*. *Prior* pars ita habet, verſ. 22, 23 *Sic dixit Jehova, ne glorietur sapiens sapientia sua, neque glorietur fortis fortitudine sua, neque glorietur dives divitiis suis; sed hoc glorietur, qui gloriatur, quod sapiat & me cognoscat, me esse Jehovam, qui beneficentiam, jus & justitiam in terra facio, quia in illis acquiesco, dictum Jehova*. Quorum sensus non est, *sapienti* &c: non esse gloriandum *sapientia*, tanquam re sua, quam a se habet; sic enim *cognitione Dei* quoque gloriandum non est; sed non tanquam medio sese Deo commendandi, & mala averruncandi, ac felicitatem consequendi; uti ex fine verſ. 23. patet, ubi Deus dicit, se *delectari illis*, qui ipsum agnoscunt; adeoque verba eo tendunt, ut Judæi & quivis populi alii, hominesque singuli, admoneantur de falsa & vera via felicitatem adipiscendi, & judicia Dei præveniendi, secus ac vulgo opinabantur, sapientiæ, viribus & opibus fidentes, & eo fundamento prophetarum monita & interminationes spernentes: quemadmodum de Judæis habuimus, c. VIII: 8. de Aegyptiis Jeſ. XIX: 11, 12. de Edomitis & aliis

vicinis populis sæpe etiam in verbo Prophetico traditur. Qui sensus & scopus clarius sese prodet, si genuina verbi הלל potestas, in *splendore ex alto radiante* sita, indeque ortus usus de *insigniter eminente felicitatis & potentiæ gradu*, adtendatur, de quo consulendus est Cl. Schroeder [a], adeoque vertatur, felicem & potentem sese *putet* & *jactet* in sua sapientia, viribus aut opibus. Quæ vis est formæ verbi התהלל, uti notum. Nihil præterea hic obscuri, quod nobis moram injicit. Illud unum observandum est, verba, *quia ego Jehova, faciens benignitatem jus & justitiam*, non complecti *rationem* præcedentium, verum argumentum & materiam cognitionis *Jehovæ*, in eo sitam, quod recte cognoscatur Deus *tanquam Jehova, qui fecit* &c.: adeo ut vera Jehovæ cognitio comprehendat & agnitionem & imitationem virtutum ejus, in operibus Jehovæ, seu remunerationibus & judiciis, conspicuarum: quæ *viæ* Dei adpellantur, Mosi in *posterioribus* Dei monstratæ, Exod. xxxiv. Hanc cognitionem ubi Deus deprehendit in populo, aut hominibus singulis, exercet *benignitatem*; ubi vero omnia contraria invenit, tunc *jus* & *judicium*, seu *judicium* secundum *justitiæ* normam. Hæ enim voces, per & connexæ, cohærent, & judicium æquum ac justum denotant.

§. CXCVI. *Altera* pars veritatem dictorum, illustri specimine demonstrandam, repræsentat, vers. 24, 25. *Ecce dies veniunt, inspiratum Jehova, & visitabo omnem circumcisum in præputio. Aegyptios, Judæos, Idumæos, & Ammonitas & Moabitas, omnesque amputatos extremitate, qui desertum inhabitant: quia omnes gentes illæ præputiatæ, & tota domus Israel præputiati corde sunt.* Verba eo, quo dixi, tendunt, ut, illustri specimine demonstrandum esse, significetur, nihil valere sapientiam, robur ac opes, deficiente cognitione & observantia Dei; præterea Deum facere, sicut gratiam, ita & *justitiam*, quod conspicuum proxime fiet, quum Deus sine personarum acceptione sit judicatu-

rus

[a] ad Ps. x: 2.

tus & puniturus æque fœderatos suos, ac a fœdere suo alienos, cum æque corrupti sint omnes, & Judæi gentibus haud meliores, licet *circumcisi*, & ita signum fœderis præferentes, cum *corde* sint æque præputiati, ac gentes, carne quoque præputiatæ. Respicitur ad judicium, per Nebucadnezarem executioni mandandum, cujus character est in eo, quod populos hosce omnes simul feriret, uti Jer. XXV. & alibi docetur. Judicium hoc in procinctu esse, forma orationis edocet, *ecce dies veniunt*, & *visito*, h. e. ecce adest tempus, quo mox visitabo. Nihil fere relictum nobis est observandum, præter phrasin singularem, *visito omnem circumcisum in præputio*. Difficultatem enim nullam amplius parit circumscriptio Arabum deserticolarum, qua *amputati extremitate* dicuntur: respicitur enim ad Arabes, quibus *caesaries* extrema est adtonsa: uti a Doctis jam est observatum *a*. Sed quid sibi vult omnis *circumcisus in præputio?* existimo de ambiguo quid trahere phrasin, & concisa oratione, cum Judæos circumcisos simul, simul præputiatos depingere, tum Judæos circumcisos & gentes præputiatas comprehendere; quod utrumque phrasis exhibet, quæ verti potest, & *circumcisum* in *medio præputio*, & *circumcisum sicut præputium*. *Prior* versio est magis propria, & primo ac directe intenditur, quæ hunc fundit sensum, Judæos, circumcisos licet, versari in *præputio*; nec esse gentibus præputiatis meliores: quo manifeste tenditur in fin. versus, *quia omnes gentes præputiatæ, & omnis domus Israel præputiati corde sunt*. Qui sensus redderetur facilior, si præfixum ב, in בערלה, per *cum* exponatur, ita ut iisdem & circumcisio & præputium tribuatur. Eo enim in casu, ubi res junctæ, quarum una alteri inest, vel *adest*, memorantur, ב pro *cum* sumi potest, uti Ex. VIII: 1. *intende manum* במטך *cum baculo tuo* & alibi: ut 1 Sam. XIV: 18. Sed *posterior* versio fundata est in usu particulæ ב, quo *comparationi* inservit, & idem dicit ac

a Vid. Clericus ad Lev. XIX: 27. Wesseling. diss. Herodot. c. IX. p. 180. in primis Spencerus de leg. Hebr. II: 13. 1.

כ: sed magis emphaticum; sic כים שברך *in mari confractio tua* est, lata valde tumultuosa *sicut* mare. Sic sumitur Job. xxxiv: 36. Num. xxiv: 7. Ps. lxxxix: 38. *Circumcisus* itaque *in praeputio* est praeputio & praeputiato similis, adeoque eadem etiam sorte dignus, & eodem modo tractandus: quo itaque simul indicatur, circumcisos Judaeos, & praeputiatas gentes, eodem judicio esse involvendos. Tandem comparationem verba ultima, *quia omnes gentes praeputiatae, & omnis domus Israel praeputiati corde sunt*, quoque comprehendunt; sensus enim est, *quia sicut omnes gentes, ita & domus Israel*. Omittitur saepe כ similitudinis, uti notum est, hic autem propter concurrentiam כי & כל longe facilius.

§. CXCVII. Ceterum cum *omnes gentes* adpellentur *praeputiatae*, utique modo memoratae, non aliae, quod Hieronymus & Ghislerius autumant, uti nexus docet, & ה in הגוים *gentes istae* requirit, *Aegyptii* tamen, teste Herodoto *a*, cui alii adstipulantur, ut Strabo *b* & Diod. Sic. *c*, admiserint *circumcisionem* jam ab antiquissimis temporibus, nec tamen excipi possint, cum *omnes* gentes istae memorentur, & soli Israelitae circumcisi dicantur; ne quis ad id obhaerescat, aut scriptores modo citatos falsi arguat, observari velim, 1. circumcisionem nec omnibus fuisse communem Aegyptiis, nec a lege injunctam, sed sacerdotibus, ac mysteriis sacris initiandis propriam, quod ipse Herodotus *d* haud obscure indicat, & ex aliis jam observavit Cl. Jablonsk. *e*, adeo ut gentis respectu in genere consideratae, inter *praeputiatas* recenseri potuerint; nec obstat Jos. v: 9. cum *opprobrium Aegypti* per circumcisionem ablatum alio spectet, non ad *praeputium* Aegyptiis odiosum, ut alibi *f* jam docui. 2. circumcisionem carnalem, etsi vel usitata fuisset inter gentes illas, non obstare, quominus *praeputiatae* hic dicantur; quia *circumcisio* hic consideranda est relate ad *foedus* Dei, tanquam ejus signum, uti vere

in

a lib. II c. 37. & 104. *b* l. XVI: p. 1122. XVII: p. 1180. *c* l. I. Bibl. c. 32. *d* l. II. *e* Proleg. Panth. Aeg. p. 14. *f* Diss. [illegible] c. 4. [illegible]

in Israele erat, & ea ratione ipsi propria, adeo ut eo respectu soli Israelitæ audire debeant *circumcisi*, reliqui populi omnes, si vel etiam *circumcidi* soliti, *praputiati*, quippe non magis foederati Dei, quam *praputiati* omnes. Quo etiam tendit, quod populi gentiles simpliciter *praputiati*, Israelitæ vero *praputiati corde*, dicantur, quia foederis Dei respectu soli illi, non Israelitæ, erant *praputiati*, qui *corde* tantum tales erant. Gentes vero *praputiatas* eodem sensu, quo Israelitæ, respectu *cordis* adpellari, quod Clericus vult, absonum est, cum Gentiles absolute, Judæi relate ad *cor*, hoc titulo insigniantur, sicut & Ez. XLIV: 7. *praeputiati carnis* & *cordis* distinguuntur. Gentiles vero populi hoc notantur epitheto, non tantum, quod foedere Dei exclusi, sed & improbi ac infames sint, quique, ut judicio Dei amputentur, & abjiciantur instar præputii vel sordium ac fæcium, digni sint. Quam emphasin habet hoc epitheton & alibi in Script. S. uti Jes. LII: 1. ubi per *impurum* exponitur, & Ez. XXXII: 19. &c. ubi *praeputiati* & *profanati gladio* conjunguntur, nec non ib. XXVIII: 10. in phrasi, *mortibus praeputiatorum occumbere*. h. e. infami morte, instar profanorum & sceleratorum. Nec alium usum præfert 1 Sam. XVII: 26. ubi David Goliathum adpellat per contemtum *praeputiatum illum*.

CAP. X.

1. *Audite verbum hoc, quod super vobis locutus est Jehova, domus Israel.*

2. *Sic dixit Jehova; ad viam gentium ne instimulemini, & propter signa coelorum ne consternemini, quia gentes propterea consternantur.*

3. *Quia statuta populorum ipsa vanitas sunt, quia lig-*

num de sylva excidit illud, vel *præcisum est*; *opus manuum fabri dolabra.*

4. *Argento & auro pulchrum illud reddet, clavis & malleis firmabunt eos*, vel *firmabit illud, ne titubet*, vel *ut nihil titubare faciat.*

5. *Sicut palma operis rasilis illi* sunt, *nec loquuntur, bajulando bajulantur, quia incedere nequeunt, ne eos timeatis, nam nocere nequeunt, nec eorum est benefacere.*

6. *Præ nihilo sicut tu*, (respectu tui) *Jehova, magnus tu, & nomen tuum in fortitudine victrice.*

7. *Quis non revereretur te, rex gentium, quia tibi est tremenda Majestas, quia inter omnes compactos* (potentes, sapientes) *gentium, & in omni regno eorum, præ nihilo sicut tu.*

8. *Et in uno obrutescent ac stultescent, disciplina vanitatum. Lignum ipsum,*

9. *argentum expansum, quod e Tharsis adportatur, & aurum ex Uphaz, opus fabri, & manuum conflatoris; hyacinthina & purpurea eorum indumenta, opus peritorum tota illa.*

10. *Et*, vel *sed, Jehova Deus in veritate, ipse Deus vivus, & rex mundi ac æternitatis, præ cujus ira contremisset terra, nec ferre poterunt gentes indignationem ejus.*

11. *Sic dicatis ipsis: Dii, qui coelum & terram non fecerunt, peribunt de terra, & de sub coelo ipsi illi.* vel, *Deus*

12. *faciens terram potentia sua, parans terram frugiferam sapientia sua, & intelligentia sua tetendit coelos.*

13. *Ad vocem dare ipsius multitudo strepera aquarum in*

in coelis, & exæstuare facit a terra extremitatibus elatos vapores, fulgura ad pluviam facit, atque ventum e thesauris suis producit.

14. *Obrutuit omnis homo ex scientia, obstupefactus est omnis conflator ex sculptili, quia mendacium est prætextum ejus,* idolum, *nihilque spiritus in iis.*

15. *Vanitas illi, opus insanientium, tempore visitationis eorum peribunt.*

16. *Non sicut illi sors Jacobi, quia formator omnium ipse, & Israel sceptrum hæreditatis ejus, cujus nomen est Jehova exercituum.*

17. *Collige te mihi e terra contractionis alarum tuarum, habitatrix mihi in arcto.*

18. *Quia sic dixit Jehova, ecce me, tanquam funda projicientem incolas terræ hac vice! & angustias iis creabo, ut inveniant.*

19. *Væ mihi super contritione mea! multa cum excoriatione mihi inflicta est plaga mea: & dixi ego, veruntamen hæc plaga mea, hanc feram.*

20. *Tentorium meum est vastatum, & omnes funes mei rupti sunt, filii mei egressi sunt mihi, nec sunt, nec est qui tendat tentorium meum amplius, & erigat aulæa mea.*

21. *Quia obrutuerunt pastores, nec Jehovam quæsiverunt, propterea nec prudenter nec prospere egerunt, & omnis pastio eorum* (omnes oves pascui ipsorum) *dispersa est.*

22. *Vox sonora ecce venit, & strepitus ingens e terra septentrionali, ad ponendum urbes Judæ siderationem, habitaculum monstrorum,* vel draconum.

23. *Novi, Jehova! hominis non esse viam ejus, nec viri ambulantis quoque parare gressum suum.*

24. Ca-

24. *Castiga me, Jehova, sed judicio aequo; ne in ira tua, ne forte me constituas derasum.*

25. *Effunde excandescentiam tuam in gentes, quae te non norunt, & in familias, quae de nomine tuo non sunt adpellatae, quia devorarunt Jacobum, & devorarunt eum & consummarunt,* (ad consummationem usque) *& habitaculum ejus commodum desolarunt.*

§. CXCVIII.

Decimus tertius articulus continet instructionem dehortatoriam & consolatoriam, ad Judæos, una cum Israelitis in exilio Babylonico jam degentes, qua *partim* admonentur, ne sese superstitione & idololatria Babyloniorum per orbem dominantium, in quorum medio degant, capi, & a veri Dei agnitione abstrahi, patiantur, ratione a vanitate cultus illius petita, *partim* instruuntur notitia characterum veri Dei, qui in solo Jehova deprehenduntur, & unde falsi Dii refutari possint, *partim* denique in spe liberationis, cum Babyloniorum destructione conjunctæ, confirmantur. Qui verus conspectus & scopus est pericopæ, vers. 1--16. quæ non novam constituit concionem, uti multis videtur, cum ejus nullum sit indicium: non enim dicit Propheta, *sibi verbum Jehovae esse factum*, uti mox c. VI. sed excitat populum ad *verbum Dei audiendum*, adeoque in eadem concione pergit, tantum præmittit solennem formulam excitatoriam ad audientiam, quia singulare quid proferret. Dirigitur vero hæc pars concionis ad Judæos exsules inter Babylonios, & pro hypothesi habet, eos in exsilium esse abducendos, sicut Israelitæ jam erant deportati: cujus indicium est non tantum in titulo, *domus Israelis*, quo expresse utitur propheta, ut Judæos & Israelitas, in eodem statu positos, comprehenderet, sed in primis in eo, quod Israelem in medio gentium

ver-

versantem hic repræsentet, quod *partim* ex eo elucescit, quod populum admoneat, ne gentium exemplo se abstrahi patiatur ad idololatriam a vero Deo, *partim* ex eo, quod, quid gentibus dicere debeat, cum ad idololatriam ab iis alliceretur, populo in ore det, vers. 11. verbis etiam Chaldaica lingua expressis, manifesto indicio, eum inter Chaldæos versaturum esse. Quod a Schmidio & nonnullis aliis recte est observatum. Subjungitur autem hæc pericopa apte superioribus, quibus judicium Dei a Chaldæis in Judæos & alios populos exsequendum erat repræsentatum, adeoque Judæos in exsilium abducendos esse insinuatum; quod ipsis verbis quoque c. IX: 15. dictum erat. Sed *dehortatio* simul eo tendit, ut ab omni idololatria, cui nunc addicti erant, & ad quam in principio exsilii multi inclinarent, abducerentur, & ad Jehovæ, veri Dei, cultum reducerentur. Quem scopum nonnullæ similes conciones Jesaiæ a cap. XL. habent, quibuscum hæc pericopa recte comparatur, in primis cap. XLVI.

§. CXCIX. Dividitur pericopa apte in genere in *propositionem*, & ejus *deductionem*, *illam* verbis Dei, *hanc* Prophetæ factam; *illam* vers. 1--5. *hanc* vers. 6--16. *Propositioni* præmittitur excitatio ad audientiam, vers. 1. *audite verbum hoc, quod locutus est Jehova super vobis, domus Israel*: quæ nihil habet difficilis. *Domus Israel* adpellatur populus, quia Judæorum & Israelitarum nullum tunc foret discrimen, sed *Juda* æque ac Israel in eodem statu exsilii versaretur, & Israelis, æque ac Judæ interesset hoc verbum ad animum probe revocare. Phrasis, *quod locutus est Jehova* עליכם, sive vertatur *ad vos*, sive *super & de vobis*, perinde est; potest utroque modo, & utrique hic recte locus datur. *Propositio* vero α. dehortationem continet, vers. 2. β. ejus rationem, vers. 3-5. α. *Dehortatio* ita sonat, vers. 2. *Sic dixit Jehova; ad viam gentium ne instimulemini, & propter signa coelorum ne consternemini, quia gentes propterea consternantur*: h. e. Gentium exempla ne imitemini, nec in cultu religioso, quem tenent, nec in portentorum coeli metu, quo adfici solent.

Duo putem specimina cavenda memorari, alterum generale, alterum speciale; *illud* in cultu imaginum situm, *hoc* in astrologia judiciaria superstitiosa. *Prius* his verbis: *ad viam gentium ne instimulemini*. h. e. ad consuetudinem colendi Numina, cui insistere solent gentes, nec abduci vos quovis stimulo patiamini, nec ipsi *adsuescatis* ei, vestro proprio stimulo lati. Vox דרך vitam & morem agendi denotat in genere, uti constat, hic in specie in re religionis, & speciatim cultum imaginum, & idolorum, uti ex seq. patet. Verbi למד proprietas est in *pungendo* & *stimulando*; in Kal itaque proprie est *instimulari*, quod partim sumitur pro *doceri*, veluti stimulo, partim pro *adsuescere*, seu suo ipsius stimulo ferri. Recte itaque cum אל *ad* construitur, ut sit *instimulari ad viam*, scilicet, ineundam, & ambulandam. Sensus ergo est, nec aut minis aut promissis, aliisve modis, vos instigari sinite, nec ipsi ad id cupiditate vestra feramini, aut adsuescite. *Posterius* his verbis: *propter signa coelorum ne consternemini*; *pavore nimirum* correpti, & attoniti; id enim est חתת, proprie *friare* & *friando* conterere, inde mentem consternare, & adterere, præ metu & pavore. Sed quid sunt *signa coelorum?* non astra, simpliciter, sed astrorum portenta; cum quod stellarum cultus hic non in genere intelligatur, sed astrorum *pavor*, qui animum dejicit & consternit, uti verbum denotat, *tum* quod astra nusquam in genere *signa coelorum* adpellentur, sed quatenus *mala* portendunt. Digitus itaque ad superstitiosam illam *astrologiam judiciariam* intenditur, Babyloniis inprimis adamatam. De quo inter alios vid. Cl. Vitringa *. Ceterum cum admoneantur, *ne ad viam gentium instimulentur*, Israelitas antea non fuisse hac parte imitatos Gentes, non indicatur, sed ne id amplius faciant, nec in terras gentium abducti, & novæ tentationi subjecti, eas imitentur; posteaquam idololatriæ suæ in terra Cananæa tam noxia effecta experti fuissent. Tacite innuitur, Judæos per mala sua edoctos ad meliorem men-

* ad Jes. XLVII: 13.

mentem in exsilio esse redituros, sed metum esse haud vanum, ne inter Gentes versati per eas rursus ad idololatriam incitarentur, novam addiscerent a Babyloniis superstitionem, ad quam indole nimium erant inclinati, quæque etiam in animos hominum facile penetrat, & per omnia tempora etiam inter Christianos viguit, in vicino regno aliquando plurium animos occupavit. De quo vid. Gatakerus a. Ultimum membrum, *quia gentes propterea consternantur*, non tam *rationem* continet, quare consternari non debeant Israelitæ, quippe quæ mox datur alia, quam gentium exemplum non imitandum; ut sit, ideo non consternemini, quod *Gentes* ita instituant: licet tacite quoque insinuari non abnuam, ideo potius non esse consternandos, quia *gentium*, a Dei veri cognitione alienarum, hoc est institutum.

§. CC. β. *Ratio* dehortationis α. in genere proponitur, vers. 3. in primo membro; *quia statuta populorum ipsa vanitas* sunt. Emphasin habet phrasis, הבל הוא *vanitas ipsa*, pura puta vanitas, nihil solidi aut veri habens: nec sine emphasi, minus observata, העמים dixit pro גוים, ut vel de sapientissimis ac nobilissimis gentibus id verum esse declararet. Sumitur enim aliquando pro ingenuis & liberaliter eruditis, ut *populus Romanus*. De quo dixi ad Gen. XLIX: 10. & alibi. Quales se jactabant, & habebantur, *Babylonii*. Vid. Jes. XLVII: 10. *Statuta* in genere ad *viam* gentium & signa *coelorum* quidem pertinent, sed in specie ad posterius; cum mox ad cultum religiosum speciatim transeat prostituendum. a Specialis ratio dehortationis spectat ad *cultum* idolorum, per *viam* gentium intellectum; in quo traducendo prolixior est propheta, quia in eo sita est præcipua religionis pars, & hominum animi ad eum maxime inclinati erant; ad captum vulgi quoque adcommodatior erat. Addi potest, quod Calvinus observavit, ut insipientia gentium, adeo astrologiæ deditarum, altius in animos Judæorum penetraret, ne opinione sapientiæ earum gentium ad damnandam astrologiam abriperentur, cum ex solo cultu

a ad h. l.

idolorum earum stultitia facile elucescit. Repetitur vocula כי, ut, novam rei diversæ rationem dari, significetur. Eo enim casu, ubi diversarum rerum rationes dantur, subinde repeti solet כי in eodem orationis tenore; uti habuimus c. 1vi 18. Verba ita habent, vers. 3--5. quæ proferam & mox exponam per partes: *quia lignum de sylva excidit illud, opus manuum fabri dolabra*; (lignum est, scilicet, idolum illud, quod colunt, in origine & materiæ respectu, purum putum *lignum est*, de *sylva excisum*, adeoque ejusdem naturæ, cujus reliquæ sunt sylvæ arbores; nec *forma* sua aliud est, ac opus laboratum fabri lignarii, *dolabra* in speciem imaginis fabricatum. Prius itaque membrum ad *materiam*, posterius ad *formam* idoli pertinet; neutrum aliquid impediti habet, nisi in verbo כרתו, proprie *excidit illud*; cum nulla mentio fiat *sectoris*, sed lignum memoretur de sylva excisum, ac *opus* dicatur *manuum fabri dolabra*. Varie hic instituunt Interpretes, nec sine ellipsi expediri potest; sed ne sic quidem oratio recte fluit. Quare vix dubitaverim, quin Gr. versio, quæ habet ἐκκεκομμένον *præcisum*, veram lectionem retinuerit, qua pro כרתו legatur, litteris ו & ת solummodo transpositis, כרות, quando oratio per omnia facilis & cohærens est) *argento & auro pulchrum id reddet*, (reddere solet, laminis scilicet, aureis vel argenteis, lignum illud in formam idoli redactum exornare solet; quis? *faber* lignarius, ex superiore membro: quo *opus manuum fabri* adpellatum erat hoc lignum: in quo nihil est, quod offendit), *clavis & malleis firmabunt eos, ne titubet*, (lignum formatum & ornatum in idolum clavis, malleo infixis, firmare solent idololatræ, in idolum illud erigentes, ne titubet & cadat, cum per se consistere nequeat: *clavi & mallei* conjunguntur, ut de *clavis*, per *malleos* adactis, cogitaremus; & ita hominum opera firmari idola, & non suo talo per se consistere posse, sciremus; quo tendit illud ultimum, *ne titubet*; notione ducta a *singultiendo*, cui haud absimilis est *complosio genuum*, de qua usurpatur Nah. II: 11. unde *vacillationis*

&

& *titubationis* usus fluxisse videtur. Sed quare in plur. *firmabunt*, pro firmare solent? cum modo in sing. dixerat, *ornabit illud*; quia, ni fallor, hic de pluribus agitur, idolum erecturis; & in sede sua collocaturis: cum antea de formatione idoli, quod est *fabri* opus, egerat. Difficilius explicitu est, quare adfixum plur. adhibeatur יחזקום *firmabunt illa*, vel *illos*, cum idoli facta fuerat, unius in sing., mentio. Dici posset de idolis omnibus, ejusdem quippe originis & naturæ, hic agi, uti mox vers. 5. sed quare tunc mox in sing. *& non titubet?* quæ numerorum confusio ut tollatur, *alterutrum* videtur statuendum, vel legendum esse יחזקוהו, uti Chald. accepisse videtur, littera ו per concurrentiam similis litteræ in voce seq. absorpta, ut sæpe alias, quando ם pro affixo sing. num. sumi debet, uti alias fit, & de idolo etiam Jes. XLIV: 15., vel ultimum membrum esse vertendum, & *nihil titubare faciat*, quod formæ Hiph. rectius convenit. Parc. vero לא sæpe pro *nihil*, & substantialiter capitur: uti constat).

§. CCI. Sequitur vers. 5. *Sicut palma operis rasilis illi, nec loquuntur, bajulando bajulantur, quia incedere nequeunt:* (muta sunt idola & omni motu carentia; nil nisi politum & rasile quid de palma erectæ & rigidæ statuæ. Nihil hic obscuri, nisi in epitheto מקשה. Esse enim תמר *palmam*, arborem firmam, erectam & solidam, unde idola passim fieri solebant, satis constat. Sed vox תמר forte rectius, & comparationis particulæ *sicut* convenientius, in genere hic *rigidum* quid, & in altum recta surgens, absque ut *palma*, unde idolum fuisset factum, ratio habeatur, denotare potest; sicut Joel. III: 3. in תימרות *rigidis* & *erectis* columnis *fumi*. Radix utique dicit *rigere*, sicut quod recta linea est protensum, & Arab. in usu est de *turri*, recta linea in altum surgente, sic & de *hasta* rigida longa, simul dura, adhibetur, & hinc etiam *ad palmam* rigentem & altam arborem transiisse videtur. Vox vero מקשה videtur esse pro מעשה מקשה, uti alias plene in libro Exod. plus semel occurrit, & significare

opus *rasile*, probe rasum & expolitum, & indomitum, a propria *radendi* potestate, quam radix נוף apud Arab. habet, unde quoque *duri* & *solidi* usus fluxit a. Prope accedit Olaus Celsius b, qui τορευτὸν *tornatum*, *dolatum*, *teretem* vertit. Tandem conclusionis modo subjungitur, *ne eos timeatis*, *nam nocere nequeunt*; *nec eorum est benefacere*; adeoque nulla ratio est, aut sibi ab iis metuendi, aut eos reverenter colendi: quod utrumque involvit verbum ירא, uti notum est. Notetur autem criterium veri Dei, & ratio movens *cultus*, in *bene* vel *male* facere sita &c.

§. CCII. Propositionis, a Deo factæ, deductio fit a Propheta, is enim omnino est, qui in seq. loquitur, ita ut populum suo exemplo instruat in recta de Deo fide, opposite ad idololatriam gentium, vers. 6--16. In qua pericopa a. fidem suam in Deum profitetur, sermone ad ipsum verso, vers. 6, 7. *Præ nihilo sicut tu, Jehova! magnus Tu, & nomen tuum in fortitudine victrice. Quis non revereretur Te, rex Gentium? quia Tibi est tremenda Majestas, quia inter omnes compactos gentium & in omni regno ipsorum præ nihilo sicut Tu.* Præclaram continent verba confessionem summæ, & multis speciminibus demonstratæ, potentiæ Jehovæ, omnia vincentis, adeo ut omni reverentia & timore omnium populorum dignus sit solus, quocum nemo in terra, vel sapientum, vel regum & potentium, comparari possit: imo plusquam nihili sint, cum Deo collati; solus itaque & supremus rex etiam Gentium, rector quippe potentissimus universi. Illustremus verba nonnullis observatis. 1. Singularis est phrasis, in principio & fine horum versuum, מאין pro אין *non est sicut tu*. Quæ si sana sit lectio, & מ non sit ex concurrentia similis literæ in voce præcedente vitio describentis orta, quod fieri potuit; nihil rectius suppetit, quam ut מ reddatur, *præ*, *plusquam*; uti Schmidius jam observavit, hoc sensu *præ nihil*, *plusquam nihil est*, qui Tecum comparari velit; adeo ut negatio intendatur, ut Lat.

a Vid. Schultens apud Schroeder ad Jes. III. p. 404.
b Hiero-bot. p. II. p. 515. &c.

Lat., *plane non est tibi similis*; nihil *minus*; plusquam nihilum hoc est. 2. Vox בגבורה *in fortitudine* connecti debet cum utroque epitheto præcedente, ut sit, *& tu magnus*, *& nomen tuum magnum in fortitudine*, h. e. sicut tu magnus es in fortitudine, ita Te talem multis speciminibus comprobasti. Id enim signat *nomen Dei*, expresse additum, proprie *signum* exstans & *elatum*; inde demonstrationem & celebritatem rei. Vox vero גבורה proprie denotat *vim* seu *virtutem prævalentem & victoriosam*; cui nihil resistere potest. 3. Jehova adpellatur *rex gentium*, ut tanquam supremus universi *rector* & dominus celebretur, & qua talis dicitur ab omnibus colendus, opposite ad homines qualescunque, sive sapientes sive potentes, & idola quæcunque; adeo ut ignorantiæ stupidissimæ & voluntariæ sit tribuendum, quod tanquam talis non colatur: quo tendit interrogatio, *quis non revereretur?* &c. quod facillimum est. 4. Additur, rationis ad modum, *quia tibi* יאתה *tremenda majestas*; ita enim recte vertitur, a rad. יאת, litteræ enim ת & א permutantur, quæ proprie dicit *tremere*, inde *religiosum tremorem*, unde & אי pro *numine tremendo*. Quod huc egregie quadrat; ut facile perspicitur. Chald. rem ipsam intendit, quum vertit, *tibi est regnum*. Posset quoque verti, *quia tibi est præcisio*, qua de omnibus *præcise* statuis, a rad. יאת *secare*, *præcidere* apud Arab., unde est, *stipulando addicere*, secando, & *præcise statuendo*. Vulgo vertitur per *decorem* vel *decentiam*; quod נאה vicina radix dicit: sed cum de *timore* Dei hic agatur, *tremenda* Majestas, vel *præcisio*, huc aptius convenit. 5. Denique non erat negligenda interior vis vocis חכם in arcta & *firma colligatione*, seu nervosa compactione, sita, unde & ad sapientiam nervosam, & ad firmitatem status, & ad vim frenandi, ac coercendi alios transiit, uti pluribus docuit Cl. Schultens a; & varia loca Jobi ac Prov. inde nova donavit luce. Quæ & huic loco est infundenda. Non enim *sapientes gentium* solum significantur, sed præcipue *firmi*, *fo-*

a Defect. §. 209. & ad Job. IV: 22.

potentes, frenatores quoque populorum, ac coërcitores, qualescunque, nihili faciendi, cum Deo supremo rege, eoque potentissimo, & tremenda Majestate prædito, comparati. Quod huc aptius quadrare, ex epithetis, quæ Deo hic dantur, in oculos facile incurrit.

§. CCIII. 2. Huic tam legitimæ, & facillimæ intellectu, venerationi Dei, quam gentes habere & præstare deberent, opponit Propheta stultissimam agendi rationem, in idolis colendis, quæ nihil nisi lignum & metallum sint, opus manuum hominum, adprobans sic simul & confirmans superiorem propositionem Dei. Qua in pericopa, vers. 8--10., propheta α. stultitiam idololatrarum acriter perstringit, vers. 8, 9. his verbis, quæ proferam & illustrabo, ubi opus fuerit: *at in uno obrutescent ac stultescent, disciplina vanitatum*, h. e. cum tu, o Jehova! sis solus tremenda Majestas, quam omnes revereri deberent; attamen in re tanti momenti & semel, seu desperate, omnem rationem abnegarunt, & brutis similes facti sunt ac stupidi, disciplinæ vanitatum & idolorum sese obstinate addicentes. Notetur ad intellectum horum verborum, 1. vocem באחת *in uno* hic duplicem exserere vim, *alteram*, qua dicit rem mirandam valde & inusitatam, sive in bonum, sive in malum; adeoque rem & præstantissimam ac salutarem, & summe malam ac calamitosam, *alteram*, qua *unam vicem* denotat, & rem dicit absolutam, quæ regressum non habet, ut Lat. *semel*: de qua utraque potestate vid. Cl. Schultens a. Sensus ergo est, gentes in una re gravissimi momenti, unde summum bonum vel malum dependet, *obrutuisse*; idque tam desperate, ut regressus non sit, sicut qui *una vice*, vel *semel*, dicitur percussus, aut *lapsus*, ut repetita vice opus non sit. 2. Voces מוסר הבלים *disciplinam vanitatum* exprimere id, in quo stultitia gentium se exseruerit; adeoque per ellipsin intelligi præpositionem ב *in*, modo in באחת expressum: sensus est, populos sese in re gravissimi momenti stultos præstare per *disciplinam vanitatum*

a ad Job. IX; 22. & Prov. XXVIII: 18.

tum, cui sese tenacissime adfixerunt. Indicatur vero *idololatria*, quæ *disciplina vanitatum* adpellatur, quatenus *disciplina* vinciens, seu religio, in *vanitatibus* collocatur, seu *idolis*, quæ hic per *vanitates* intelliguntur, quatenus & nihil veri, solidive, habent, & cultores reddunt vanos, & pereunt, uti c. II: 5. habuimus. Veniunt idola & alibi eo nomine, ut Deut. XXXII: 21. & alibi. Sic & תהו *vanitas* 1 Sam. XII: 21. Jes. XLI: 26.

§. CCIV. Subjungit propheta ulteriorem descriptionem idolorum, ut, quam vere titulum vanitatum mereantur, adpareat, *lignum ipsum*, *argentum expansum*, *quod ex Tharsis adportatur*, *& aurum ex Uphaz*, *opus fabri & manuum conflatoris*, *hyacinthina & purpurea eorum indumenta*, *opus peritorum tota illa*. h. e. vanitates illæ, seu *idola*, per eas intellecta, sunt tota illa nil nisi lignum, aurum, argentum, & splendide vestita, fabrorum, conflatorum, & artificum peritorum opus, simul sapientum seculi, & potentum rectorum ingeniosum inventum. Interpretes in constructione adornanda minus felices fuerunt. Subjectum orationis est הבלים, quæ vox modo erat memorata, & reliqua omnia sunt idolorum epitheta; quæ ratio est, quare in plur. occurrat conclusio, *opus sapientum tota illa*, scilicet idola. Sensus est, idola esse lignum ipsum, argentum ex Tharsis, aurum ex Uphaz, opus fabri & manuum conflatoris, habere pro indumentis *hyacinthum* & *purpuram*, adeoque tota esse opus peritorum hominum. Sic omnia recte cohærent, & bene fluunt. Not. præterea, 1. voces עץ הוא vertendas esse, *lignum ipsum*, & prædicatum esse idolorum, quo declarantur esse *purum putum* lignum; quam emphasin voculæ הוא ad vers. 3. jam observavimus. 2. Præterea, versuum distinctione missa, connectendas esse cum seq.; 3. Primum membrum, vers. 9. non esse vertendum, *argentum expansum e Tharsis adfertur*, *sed*, *argentum expansum*, *quod e Tharsis adferri solet*: per ellipsin intellecta vocula אשר; uti frequenter alias. Nulla enim ratio est, quare *argentum expan-*

 pan-

pansum diceretur e Tharsis adferri, sed idolum recte adpellatur *argentum expansum*, ope fabri argentarii, argentum in formam idoli aptantis, vel illud *laminis* argenteis obducentis. Vid. Jes. XLIV: 12. &c. Quod jam vidi a Schmidio occupatum. 4. De locis *Tharsis* & *Uphaz* alibi agitur; nec hic locus est. *Tarsis* esse Tartessum Hispaniæ, & *Uphaz* regionem Indiæ juxta Gangem, alias *Ophir* dictam, ex virorum Doctorum, in primis *Bocharti*, lucubrationibus notum satis est. Suffecerit notasse, פז proprie denotare aurum ἄπυρον, quod ultro exsilit & emicat e terra, & per se statim eliquatum, ac ad summam puritatem excoctum est, uti in Arabia Felice, & in *Ophir*; unde pro regione usurpatur, ubi illud aurum est, a rad. פזז, & א est servile; convenit radici פזז, cujus proprietas est in motu *salientis*, vel *ultro subsilientis*; estque verbum ὀνοματοποιόν. Grotius confert cum insula Φάζος in India, memorata Stephano ex Alexandro Polyhist. *quem locum Stephani se invenire non potuisse*, fatetur Clericus; sed ad vocem Τοπάζιος apud Steph. non advertit, ubi id, quod Grotius habet, reperitur. 5. Cum idola *sapientum opus* adpellantur, non tantum ad artifices eorum, sed & *autores*, qui idololatriam introduxerunt, respici videtur, ita ut *sapientes* eodem sensu capiantur, quo vers. 7. & idololatria prostituatur tanquam inventum politicum potentum & *coercitorum* gentium, ad populum in ordinem redigendum, inventum quoque *sapientum*, sed qui obrutuerunt, vers. 8.

§. CCV. β. Repetit propheta confessionem de Jehova, supra ad Deum ipsum directam, nunc de ipso prolatam coram Israelitis, opposite ad idola, vana illa Gentium numina, vers. 10. *Et*, vel *sed*, *Jehova Deus in veritate, ipse Deus vivus, rex mundi & æternitatis; præ cujus ira contremiscet terra, nec ferre poterunt gentes indignationem ejus*. Nihil hic difficilis: in *primo* membro *Jehova* est subjectum, quo Deus Israelis designatur, & *Deus in veritate* est prædicatum pro Deo *vero*, vel *vere* talis; subintellecta partic. ב in אמת: quod jam observatum est, alibi 2 Chron. XV: 3.

אלהי אמת *Deus veritatis*, pro vero Deo. Additur ad Deum verum ulterius describendum, *ipse Deus vivus*, vel *Dii vivi*, quia *triunus*, ut alibi demonstratur, & *rex* עולם æque *mundi*, ut ante *rex gentium*, ac *æternitatis*, uti Ps. x: 16. Denique *victricis ejus fortitudinis*, cujus supra meminerat, vers. 5. specimen subjungitur, præ *effervescentia ejus tremiscet terra* &c, cum ad tremendam ejus majestatem depingendam, tum ad judicium Dei in gentes hostiles, suo tempore exsecutioni mandandum, prædicendum, in consolationem exsulum, & fidei ac spei eorum confirmationem; quo etiam fut. temp. in verbis tendit. Respicitur ad terribilem tempestatem, quæ tonitrua & terræ motus producit, cujus quoque indicium est in originali vocis קצף potestate, in *frangendo*, & quidem *assulatim*, [illegible]; a unde frequentari amat in tempestate omnia scindente & confringente; & ad *iram* vehementissimam transfertur, instar procellæ desævientem.

§. CCVI. 2. Interrumpit Propheta vel quisquis alius vir divinus, qui hunc librum recensuit, in ipso jam versatus exsilio, sive textui inseruerit, sive ad marginem posuerit, cum linguæ Chaldææ usus jam invaluerat inter ipsos Judæos exsules, *A* confessionem hanc per formulam, qua se contra tentationes Chaldæorum, in quorum medio versarentur, ad idolorum cultum, munirent, ipsis in ore datam; qua falsorum numinum criterium exhibet, & sortem eorum depingit, lingua Chald. conceptam, quia ad Chaldæos retundendos

 ea

a Schultens ad Hos. x: 1.

A Cum nusquam Chaldæa lingua aliquid exprimat Jeremias, siquidem in epistola ad exules cap. xxix., series quoque sermonis manifeste per hæc verba intercipiatur, eaque parenthesios non tantum conspectum præferant, sed & instructionem ad præsentes, inter Chaldæos degentes, redoleant: non sine ratione, aut temere, statueretur, additamentum esse ab alia manu, tempore moræ in exilio, profectum; nec exemplo careret. Utique in libris Mosaicis & Historicis passim a Doctis illud admittitur, in Psalmis quoque a nonnullis; & postea c. xxv: 13. in hoc ipso libro sese tale quid offeret. Sed nihil definio.

ea uterentur, cum & ipsi eam linguam addidicissent, vers. 11. *Sic dicetis ipsis: Dii, qui coelum & terram non fecerunt, peribunt de terra, & de sub coelo, ipsi illi.* Declaraverat modo, iram Dei gentibus non fore ferendam; nunc apte infert, ne idolis ferendam esse; sed & falsos illos Deos esse destruendos. Quod hic non male observat *Schmidius*: Cum vero formulæ instar Israelitis hæc verba in ore det, non directe, sed indirecte idolorum interitum repræsentat. Concepit enim formulam generalem, qua uti possent in disputatione cum Chaldæis; absque ut eos offenderent, hac ratione: si vos ad numinum suorum cultum abstrahere velint, & sua numina esse veros Deos urgeant; vos regerite, veros esse, *qui coelum & terram fecerint*, reliquos falsos, qui pereant, & perituri sunt: hoc criterio veri Dei vos munite, & contra gentes utimini; & sic ipsis relinquite judicium de veritate suorum Deorum. Forte vero & indirecte significat, Deos Chaldæorum esse prostituendos, & e medio tollendos. Conf. Jes. XLVI. & alibi. Nihil hic difficile, nisi forte in ultima voce אלה, quam alii cum *coelis*, alii cum *Diis* conjungunt: quod posterius sine dubio rectius est, si punctatio litterarum sit servanda; sed potest, aliis punctis suppositis, legi אלה & pro *Deo* accipi, ac cum seq. connecti: quod sese eo commendat, quod ceteroquin *subjecti* mentio vers. 12. deficeret, & recepta vox vix locum aut sensum habeat commodum. Uteretur autem אלה in sing. ut opponeret אלהיא Diis modo memoratis.

§. CCVII. 1. Criterium falsorum Deorum, modo datum, uberius deducit, & ad verum Deum adplicat, docens, quis & qualis itaque sit verus Deus, opposite ad falsa illa numina, vers. 12, 13. *Faciens terram potentia sua, parans terram frugiferam sapientia sua, & intelligentia sua tetendit coelos: ad vocem dare ipsius multitudo strepera aquarum in coelis, & exæstuare facit ex terræ extremitatibus elatos vapores, fulgura ad pluviam facit, atque ventum e thesauris suis producit.* Creationem ac providentiam Dei hic de-

scri-

scribi, facile patet; nec multum in verbis & phrasibus occurrit difficile: desiderant tamen hic illic aliquid lucis, sed de nexu & scopo verborum laboratur, nec idem statuunt Interpretes. Mihi eo tendere videntur, ut *criterium* veri Dei in uberiore luce collocetur, opposite ad falsa numina, eo criterio carentia, uti modo dictum erat. Cum itaque falsos esse Deos, qui coelum & terram non fecerunt, modò dixerat, & eam formulam Israelitis contra Idololatras in ore dederat, apte pergit in hoc criterio urgendo, & ad verum Deum adplicando. Ne autem abrupta nimis sit oratio, vox *Dei* est vel mente intelligenda, vel potius ex proxime praecedente voce אלה eruenda, ut legatur אלה, sicut modo observavi, & cum his verbis connectatur, hoc modo, *Deus*, scilicet est, *qui factor est terrae* &c: quemadmodum LXX quoque instituerunt, qui κύριος praemiserunt. Videtur autem vers. 12. ad primam terrae formationem, ordine factam, pertinere, ut *facere terram* sit eam producere, *formare orbem* sit, & firmum ei dare locum, & terram frugiferam inde facere; *quod tertio* die factum est; verbum הכין proprie est, *sidere, desidere facere*, inde *stabilem* essentiam & existentiam, seu *formam*, quam nunc habet, dare; & תבל proprie denotat terram *frugiferam* & *frequentatam*, a rad. יבל, quae *impetum* agendi *vehementiorem*, simul *frequentiorem* continet. Denique *tendere coelos* pertinebit ad coelorum tensionem instar tentorii, super terram luminaribus instructi, quod *quarto* die factum est. Reliqua, vers. 13. comprehensa, referenda sunt ad Providentiam, ejusque specimina, in specie terribilia in tonitru, aquis coelestibus, inundationibus, fulgure & vento, ad explicationem *aestuationis Dei*, *qua terram tremiscere* facit, vers. 10. *Primum* membrum, quod varie vertitur & exponitur, *tonitrua* & densissimas *nubes*, ut in tempestatibus fieri adsolet, conjungit, sicut in *tertio* membro *fulgura* cum *pluvia* connectuntur: in quibus membris eadem est orationis forma, adeoque sicut *fulgura* dicitur facere למטר *pluviae*, vel ad pluviam ac cum ea, ita plane hic, *ad vocem da-*

re ejus, existere dicitur *multitudo strepera aquarum in coelis*, h. e. nubium densissimarum constipatio, quæ vehementem reddunt strepitum: vox enim המון adfert multitudinem streperam; proprietatem habet in *æstuatione*, unde ad multitudinem concursantem, & æstuantem veluti, transfertur. *Aquæ* in *coelis* sunt *nubes*; & nubium densissimarum, ac in se coactarum, tumultus significatur; qualis esse solet in tonitruante tempestate, quæ hic describitur. Primæ itaque voces ad *tonitru* pertinent, quod nomine קול venire solet; uti *tonitruare*, vel *tonitru ciere*, adpellatur נתן קול *dare vocem*, scilicet, sonoram & terribilem *a*. Phrasis vero, *ad vocem dare ejus* vertenda, idem dicit, ac *cum voce ab eo data multitudo aquarum*, scilicet est; uti mox *fulgura* למטר ad *pluviam*, vel cum *ea*. *Secundum* membrum, *exæstuare facit vapores elatos ab extremitate terræ*, non est cum Interpretibus exponendum de vaporum terræ elevatione ad nubes efficiendas, quod nec hic commodum habet locum, nec phrasibus convenit, vox enim נשאים significat ipsas nubes, seu vapores *elatos* conflatosque in nubes: uti notavit Cl. Schultens *b*, a rad. נשא *attollere*; mentio *extremitatum terræ* quid huc faciat, si de vaporum elevatione agatur, difficulter cernitur: sed ad *nubium exæstuationem* referendum est per *totam terram*, quæ inundatur; adeoque, sicut modo *nubium coacervatio* erat memorata, ita nunc apte earum effusio in terram, quam late patet, ut in *diluvio* accidit, subjungitur. Verbum עלה proprie est *exsuperavit*, *excrevit*, & de flumine supra ripas intumescente adhibetur, omniaque inundante, *ab extremitate terræ* vero dicit *totam terram* ab *extremitate* ad *extremitatem* ejus, uti alias plene Ex. XXVI: 28. Sic in phrasi *omnis populus ab extremo*, pro toto populo, ad unum omni *c*. Ita hic vapores elatos dicitur Deus exæstuare facere & inundare ab *extremitate terræ*, h. e. terram totam omnesque ejus partes, uti in

dic

a Vid. ad Ps. XXIX: *b* ad florileg. sentent. p. 162.
c Vid. Id. ad Gen. XIX. & Dieu ad Ex. XXXIII: 1.

diluvio: quod itaque tempestati tonitruanti, & nubium constipationi, recte subjungitur.

§. CCVIII. ת. Deductionem suam finit propheta, per modum conclusionis, comparatione inter idololatrarum & verorum Jehovæ cultorum longe diversissimam conditionem & sortem instituta, vers. 14--16. In qua pericopa α. idolorum & idololatrarum insipientiam, ac noxia & pudenda effecta proponit, vers. 14, 15. his verbis: *obrutuit omnis homo ex scientia, obstupefactus est omnis conflator ex sculptili, quia mendacium est prætextum ejus, nihilque spiritus in iis, vanitas illi, opus insanientium tempore visitationis eorum peribunt.* Verba, ut dixi, continent conclusionem superioris demonstrationis & convictionis, qua idolorum vanitas erat in lucem protracta; & eo tendunt, ut & idolorum, & idololatrarum, conditio & sors in animos altius defigeretur. Relegamus verba, & illustremus, ubi opus fuerit: *obrutuit omnis homo e scientia* (vel omni scientia orbatus, instar jumentorum brutorum, vel *per scientiam*, quæ homines reddidit insipientes, uti Rom. 1: 22. quod Dieu & Schmidius jam observarunt. Sed prius, quod Gatakero quoque placuit, etiam locum habere potest, cum מ ex מן nonnunquam *rem* superesse neget; ut *de timore*, h. e. ne amplius sit Job. XXI: 10., *de splendore*, ne vigeret amplius Ps. LXXXIX: 45., sic & Hab. II: 16. & alibi. Ceterum *omnis homo* est universitas gentilium, *opposite ad Israelem*, quem usum subinde habet אדם: uti alibi notavimus *), *pudefactus est omnis conflator ex sculptili* (idolo sculpto, seu dolando & sculpendo in eam formam idoli a conflatore redacto: *pudore confusus est*, si, scilicet, mentem advertat, vel & experientia edoctus) *quia mendacium est prætextum ejus* (idolum ab ipso pulchre comtum & perpolitum. Radix נסך proprie est *texuit*, unde *fundendi* usus fluxit, proprie fusione, qua quid libatur, & liquor, dextra huc illuc mota, effunditur motu reciproco, & res etiam vel *illinitur*, vel *nitidior* redditur; adeo ut נס lit-

*) ad Mal. III: 8.

sit, *pulchra circumlitione prætexuit*, h. e. artificiose vel inunxit, vel expolivit, ut de idolo perpolito & nitidissimo facto Jes. XL: 19. XLIV: 10, Ex. XXXII: 4. Unde liquet, male pro *fusili* sumi) *& nihil spiritus in iis*, (id enim לא *non* hic dicit; ut sæpe alias, vel *nihil minus quam spiritus*, uti etiam haud infrequenter; sive *spiritus* pro vi agendi insita sumatur, sive quoque pro *divinitate*, uti *spiritus* opposite ad *carnem*; Jes. XXXI: 3. Ceterum plur. *in iis* respicit, & ad *idolum* & ad *hominem*, idoli fabricatorem & cultorem; sicut mox vers. 15. etiam duo illa conjunguntur. Quando ratio plur. numeri in promtu est. Sensus ergo est, nec in idolo esse quid vitalis aut divini, uti idololatræ opinabantur, a *numine* obsideri idola, nec in *cultoribus* ejus quid, quod sapientiam & rationem redolet,) *vanitas illi*, (& idola & cultores eorum) *opus insipientium* (idolum ab insanis factum & cultum; utrique ergo *vani* sunt. Vox תעתעים est a rad. תעע, apud Arab. obvia, idemque dicit ac תעה proprie *agitari huc illuc*, quati, & hinc *errare*, qui uno in loco non potest stare, sed huc illuc agitatur. Denotat itaque vox *agitationes*, quibus idololatræ, insanorum & ebriorum instar, quatiuntur, nihil fixi habentes, sed nunc hanc nunc illam in formam se vertentes, sibi & aliis quoque illudentes. Peculiarem enim præfert significationem *cerebri* vino inundati, & ex eo *inebriati*, ac delirantis, Job. XII: 25. XV: 31. Jes. XXVIII: 7. & met. ad eum transfertur, qui dulci fortuna *ebrius* insanit, ac in Deum protervus est, Job. XV: 31. Jes. XXVIII: 7. XXXII: 6. Hos. IV: 12.) *tempore visitationis eorum peribunt* & idola, & idololatræ: Dii enim & eorum cultores rursus junguntur & hi illis similes sunt, ut est Ps. cxv: 8. Quod etiam Babylonii, de quibus in specie agitur, experti sunt. Vid. ad vers. 10, 11.

§. CCIX. *β*. Opponit gloriosam & beatam Israelis conditionem & sortem, ipso facto quoque demonstrandam, vers. 16. *Non sicut illi sors Jacobi, quia formator omnium ipse, & Israel sceptrum hæreditatis ejus, cujus nomen est Jehova*

exercituum, h. e. longe alia est & Jehovæ & Israelis conditio, cum ille sit formator omnium, & hic sit hæreditarius ac proprius ejus populus, cui nomen est *Jehova exercituum*, rex mundi potentissimus. *Duo* tantum notanda habeo: *alterum* est, voculam *similis illi* & *idola* & idololatras complecti, quibus opponitur & *Deus* verus, & *Israel* populus ejus; voces enim, *non sicut illi*, pertinent & ad Deum & ad *Israelem*; & hinc ratio num. pl. patet facillima. *Alterum* est, Jehovam dici *portionem Jacobi*, quia ipsi datus est *colendus* & *fruendus*, opposite ad *gentes*, quibus exercitus coelorum hac ratione est concessus: ut est Deut. IV. 19. quo hic respicitur; Israelem vero adpellari *sceptrum hæreditatis ejus*, quatenus populus ejus est *proprius*, in quo regnum habeat; sic *populus hæreditatis* Dei adpellatur, Deut. IV. 20. *Sceptrum* itaque memoratur, quia est insigne *regni*; quod Deus in Israele erexit, vel, quod satis vulgatum, respicitur in שבט ad *perticam*, qua veteres utebantur in *dividundo fundo*, unde pro ipso *fundo* hæreditario sumitur. Vid. Deut. XXXII. 9. & Ps. LXXIV. 2. Ceterum, cum idolorum & idololatrarum destructioni hæc descriptio conditionis Dei & Israelis opponatur, haud obscure indicatur, Israelem potente manu a Deo esse in libertatem vindicandum; quo ipso facto adpareret, Deum creatorem & regem universi esse portionem Jacobi, & Israelem *sceptrum hæreditatis ejus*. Huc enim collineat hæc descriptio.

§. CCX. *Decimo quarto* articulo propheta nomine Dei Tsionem in terra peregrina humiliatam, simul poenitentem, sesequeDeo submittentem, ad conversionem ad Deum, tanquam patronum, adhortatur, simul formulam humillimæ confessionis & precum pro instauratione sua, ac hostium destructorum punitione, exhibet; & ita apte concludit totam concionem, gravem & interminatoriam, tanquam in populi poenitentiam & instaurationem tandem exituram: uti passim solent prophetæ hac ratione terminare ejusmodi conciones. Hic verus est pericopæ conspectus, uti in genere recte

vidit Schmidius. Decurrit pericopa a vers. 17. usque ad fin. capitis, & sequentes habet partes. α. *Prima* continet Tsionis adhortationem a Deo factam ad conversionem fidelem ad Deum in statu humili, sed poenitente, positae in terra exilii, in quam expelleretur judicio Dei, & in varias incideret angustias, vers. 17. *collige te mihi e terra contractionis alarum tuarum, habitatrix mihi in arcto* h. e. o Tsion, quae nunc in arce es, in pressura gravi habitans, qualem Te adloquor, in exsilio degentem, noli amplius vagari, & desponderem, sed animum recollige, & ad me te recipe in statu misero ac submisso. Sermo dirigitur ad Tsionem, seu populum, sub schemate foeminae, ut ex verbo foem. gen. patet. Sunt, qui ad Babelem, aut, ut Clericus, ad Tyrum, orationem verti putant, sed sequentia, ad Tsionem pertinere, manifestum faciunt; uti passim recte est observatum. Tsion vero hic repraesentatur *sedans* במצור *in arcto*; sive *munimenta*, sive *pressura*. Trahit enim vox aliquid de ambiguo; cum & *arcem* munitam, & *arctationem*, comprehendere possit; quae ambiguitas studio fuit captata, uti saepe solet Jeremias, & mox in voce seq., ut de statu praesenti & futuro cogitaretur; &, quantam mutationem subiret Tsion, indicaretur: nunc inhabitabat *arcem* munitissimam, sed haud diu post in exsilio maximas subiret pressuras, & angustias; quo in angustiarum statu hic ob oculos sistitur, ut ex seq. patet. Sensus ergo est, tu, *quae nunc arcem inhabitas*, nihilque timendum tibi videris habere, mox *angustias* inhabitabis in exsilio, & in tali statu constitutam te adloquor. Non enim cum nonnullis de *obsidione* Hierosolymae hic cogitandum est, sed de *angustiis* in exsilio, ut seq. clare demonstrant. De lectionis textualis, & marginalis diversitate in voce ישבתי nihil dico, quum utraque lectio bona sit, nam in textuali י est paragogicum, cum emphasi abundans, ut Lat. *mihi*. Quid nunc Tsioni injungitur? *collige mihi de terra contractionis alarum tuarum*, h. e. *in terra* sedens, humiliata & poenitens, alis contractis demissa, collige animum, & ad me te converte. Verbum אסף apud Arab.

[illegible]mitur pro *contractis alis, digitisve*, debilitari, & de volucre usurpatur, cujus alæ contrahuntur, ut in terram cogatur decidere, itemque de homine, cujus digiti corrugati & contracti vim omnem agendi præcludunt; unde pro variis circumstantiis remissior vel intensior est significatio; *remissiore* denotat, *contractis quasi alis digitisve se alteri submittere*, ut 1 Reg. XXI: 29. 2 Chron. XXVI: 12. XXXIII: 23. Sed *intensiore* hominem pingit prostratum, debilitatum, & in humilem abjectumque statum redactum, contusis & infirmatis manibus; uti Deut. IX: 3. Jes. XXV: 5. Ps. LXXXI: 15. Utrumque sensum hic conjungimus, quippe statui Judæorum in exilio, & scopo prophetæ, congruum. Sistitur enim hic in *terra humiliationis* (hæ enim voces conjungendæ sunt, & verbum non seorsim capiendum, ut mox dicam), seu exilii, & depressus contusus, & poenitens lugens, ac submisse se gerens. Ex hoc in statu excitatur ad conversionem fidelem ad Deum verbo [illegible], quod reddidi, *collige mihi*, scilicet [illegible], h. e. vagas & desperabundas tuas cogitationes siste & recollige, & ad me patronum tuum, uti vers. superiore indicatum erat, te in fide *recipe*, ut sit pro לי אסף; quemadmodum eodem sensu Ps. L: 5. לי אספו *colligite mihi*, recipite vos ad me *pii mei*: uti ibi exposui. Ceterum verba sunt *Dei*, ut ex seq. versu patet, populum in exsilio humiliatum excitantis ad patientem submissionem, & fidelem conversionem ad Deum patronum.

§. CCXI. Status humiliationis in terra exilii, quam præsupponit adhortatio, his verbis subjungitur, vers. 18. *Quia, sic dicit Jehova, ecce me tanquam funda projicientem incolas terræ hac vice, & angustias iis creabo, ut inveniant*. [illegible] Quam recte [illegible] fionem adpellaverim *habitatricem arctis*, & in terra humiliationis, & ad recollectionem sui excitaverim, adparebit, quum nomine Dei dixerit, *incolas terræ* violenter & longe esse exterminandos, & ad summas redigendos angustias, ita ut mala [illegible] inveniant, ac sentiant. Nihil nobis hic relictum est ab interpretibus, nec multum

 est

est obscuri. Agi de Judæorum deportatione in exsilium, per *projectionem funda* emphatice expressa, facile adparet. Tantum not. 1. *angustias*, quarum sequitur mentio, non ad *obsidionem* cum Schmidio esse referendam, sed omnes pressuras, quas in exsilio subirent; uti ex ordine orationis elucescit. 2. Verbum *invenire* in malam sumi, pro *mala* quævis experiri; uti Ps. xxxix. 6. cxvi. 3. & alibi. Ceterum schema orationis, *ecce me projicientem* &c: judicium illud ante fores esse, & certo executioni mandandum, indicat: nec emphasi caret, quod additur, *hac vice*; significatur enim, Deum antea illud non fecisse, sed populum varie castigasse, nec in perpetuum id duraturum, sed pro hac tantum *vice*.

§. CCXII. 3. Huic adhortationi subjungit formulam cum humillimæ *pœnitentiæ*, quam edere in exsilio debeant, tum *precum* pro liberatione, quas funderent. *a. Prior* occurrit vers. 19-22. ubi *a.* eam repræsentat, vers. 19-21. *b.* ejus rationem tradit, vers. 22. *a.* Complectitur formula confessionis, 1. lamentabilem querelam de totali & desperata sua destructione, vers. 19. 20. 2. ejus rationes justas in populi corruptione sitas, vers. 21. 1. Querula vastationis descriptio, cum patientiæ professione conjuncta, ita habet, vers. 19, 20. *Væ mihi super contritione mea! multa cum excoriatione mihi inflicta est plaga mea; & dixi ego, veruntamen hæc plaga mea, hanc feram: tentorium meum est vastatum, & omnes funes mei rupti sunt; filii mei egressi sunt mihi, nec sunt, non est, qui tendat tentorium meum amplius, & erigat aulæa mea.* Verba sunt, non prophetæ, sed Tsionis, quam modo compellaverat, & ad conversionem fidelem excitaverat, nunc sistit, secundum formulam ipsi datam, querulas voces cientem, sed una culpam confitentem, ac sese manui Divinæ humillime & patienter submittentem. Adfectuosa & concisa oratio fecit, quod omissa fuerit solennis præfatio, *& dic*, vel simile quid, uti, *dices* suo tempore. Indicat enim propheta, quid dicere debeat Tsion; simul quid dictura sit, cum ad resipiscentiam in exsilio sit reversura, adeo ut prædictio *con-*

versionis hic simul, ut vers. 17., lateat involuta. Verba continent *propositionem*, & ejus *deductionem* ac exaggerationem. *Propositio* vers. 19. querelam continet, & culpæ ac submissionis confessionem: *querelam* his verbis, *væ mihi super contritione mea, plaga mihi est cum excoriatione inflicta*, adeoque me totam attrivit, laceravit, & quasi excoriavit, ut nihil integri sit relictum in me. Hanc enim emphasin habet verbum נחלה in Niph., cujus propria potestas est in *terendo*, *atterendo*, scuticis etiam & flagellis, *& ita excoriando*; uti docuit Cl. Schultens *a*. Culpæ vero confessionem & submissionem Deo hæc verba exhibent, *& ego dixi, attamen hæc excoriatio mea est, & feram eam.* h. e. mea est & a me orta, mihi imputanda, hæc excoriatio, & *feram* eam submisse, sine murmuratione, ac patienter: ut recte Schmidius. conf. Mich. VII: 9. & alibi. Emphasin habet, quod præmittatur, *& ego dixi, attamen*, quod *querelæ* recte subjungitur; acsi haberetur: *querulas* cieo voces, nec tamen Deum accuso, aut murmuro, sed profiteor, meam esse plagam, & me eam laturam esse submisse. Rectius flueret oratio, si voces transpositæ censeantur, & hac ratione ordinentur; *veruntamen*, dixi vel dico *ego*, *mea est hæc plaga.* Vocula אך loco mota est, & præmittenda, ut videtur. *Propositionis deductio* continet destructionis picturam, a tentorii *vastati*, nec instaurandi a quopiam, emblemate petitam, vers. 20. quæ nihil habet difficilis. Sensus est, remp. esse totam vastatam cum metropoli & ædificiis reliquis per *terram*, & *cives*, filios Tsionis dictos, alio transportatos, qui supererant, vel occisos. Verba enim, *exierunt mihi*, *& non sunt*, ita capi possunt, ut *partim* abductos esse, *partim* trucidatos statuatur. Phrasis enim, *non sunt*, de mortuis solet usurpari; ut c. XXXI: 15. & alibi sæpe: quod satis tritum est.

§. CCXIII. 2. Devastationis ratio & causa, in primorum corruptione sita, subnectitur, vers. 21. *Quia obrutuerint pastores, nec Jehovam quæsiverunt, propterea nec prudenter*

 nec

a Orig. L. I. c. 9.

nec prospere egerunt, & omnis pastio ipsorum (omnes oves pascui ipsorum) *dispersa est*. h. e. juste mihi evenerunt hæc mala, ut modo insinuavi, quia habui pastores, seu rectores politicos, plane infatuatos, & Dei sui oblitos, quare nihil quod prudens erat fecerunt, aut prospere egerunt, & *oves pascuæ*, seu cives dissipati sunt. In verbo השכילו adtendi potest duplex, quam habet, potestas, & *prudentiæ* & *prosperitatis*; in voce vero מרעיתם est ellipsis צאן *ovis*, ut plene sit, *omnes oves pascui ipsorum*, quemadmodum alias passim habetur, ut vel Lex. docent. Ceterum metaphoram status pastoritii, quam vers. præcedente inchoaverat propheta, hic continuari, facile adparet: nec aliquid habet obscuri.

§. CCXIV. *b*. Addit propheta *querelæ*, quam Tsionem proferentem modo introduxerat, justam rationem & causam ejus efficientem, verbis suis, vers. 22. *Vox famosa ecce venit, & strepitus ingens e terra septentrionali, ad ponendum urbes Judæ desolationem; habitaculum monstrorum*, vel *draconum*. Verba Prophetæ ipsius sunt, non populi, ut multis visum est, cum quod tertia persona de urbibus Judæ sermo fiat, cum quod instans, non præsens, destructio depingatur, secus ac Tsionem modo audivimus quiritantem. Verba vero eo tendunt, ut, ante fores esse destructionem, & certo futuram, de qua modo conquesta erat Tsion, jam in exsilio repræsentata, declaratur, & animis imprimeretur. Dicit autem propheta, exercitus hostiles Babylonios jam in motu esse, ut fama jam ad aures suas pervenerit, & ingenti strepitu accedere; eventum vero invasionis fore plane fatalem Judæis, cum tandem in totalem destructionem eorum sit exitura. Cum vero initium harum expeditionum inciderit in annum 3tium Jojakimi, ut alibi demonstratur, & hanc concio in initiis Jojakimi fuerit habita, ut supra observavimus quam apte & emphatice loquatur propheta, facile adparet. In verbis & phrasibus nihil est obscuri, habuimus etiam ex cap. ix: 10. Notetur phrasis קול שמועה *vox auditionis*, quæ *famosam* dicit vocem, & quaquaversum exaudibilem; ubique etiam per *famam* dispersam.

§. CCXV.

§. CCXV. β. Prædictione instantis destructionis inserta, resumit Propheta filum, modo abruptum, & *alteram* formulam Tsioni in exsilio in ore dat, qua preces pro liberatione sua fundat, & funderet. In scenam itaque rursus sistit Tsionem, pro moderata castigatione sua supplicantem, &, ut iram in hostes suos truculentos potius effundat, orantem; postea quam confessionem providentiæ Dei, omnia gubernantis, præmisisset. Qui conspectus est & scopus pericopæ, vers. 23-25. Tsionem enim, & non prophetam, hic introduci loquentem, uti antea, ex ipsis verbis facile patescit, cum illi rectius quam huic conveniat, quod vers. 24. habetur. Occurrit autem, 1. confessio providentiæ Dei, qua omnes hominum, cujuscunque conditionis, gressus dirigit: quæ ideo præmittitur a Tsione, ut, quicquid sibi accidat, & eventurum sit, non casu, aut hominum opera, sed a Deo proficisci, tanquam rectore Universi, inculcaret; adeoque, in malis coram Deo sese humiliare, & in prosperitatis exspectatione ad Deum sese quoque dirigere debere, testaretur; mala præterea sibi à Deo immissa esse ad emendationem confiteretur, secus ac improbi etiam in Israele antea jactaverant, acsi Jehova nec bonum nec malum faceret. Verba ita habent, vers. 23. *Novi, Jehova! hominis non esse viam ejus, nec viri ambulantis quoque, parare gressum suum*; scilicet, sed a Te dependere, & Tuæ subjectum esse directioni; quod mente intelligendum & addendum est. Sensus enim habet, nec hominem nec virum, aut incipere posse, aut perficere pro voto suo, actiones suas, sine Deo permittente, ac dirigente; neminem mortalium posse *viam* aliquam ingredi, aut ingressum & jam ambulantem ad finem perducere, nisi Deo volente & gubernante, adeoque quicquid alicui, inprimis populo Dei, accidit, a Deo censeri debere proficisci. Verba elegantiæ causa divisa sunt, & hac ratione concinnanda: *non est hominis nec viri, aut viam insistere* aut *insistentem progredi*, & ad finem optatum adducere. Duo itaque de *homine* & *viro* negantur, alterum est, *via*

ejus, alterum *ambulando firmare* & parare gressum. Voces enim אִישׁ הֹלֵךְ cohærent, & vertendæ sunt *viri ambulantis*, de quo negatur *firmare gressus*. Littera vero ו in וְהָכִין vel est *etiam*, vel loco mota, & cum לֹא connectenda, ut sit pro וְלֹא *& non est viri ambulantis firmare gressus*. *Homo* denique & *vir* distincte memorantur, ut de quocunque cujuscunque dignitatis & status homine cogitaremus. De quo diximus ad Ps. XLIX: 3. Ceterum, quod nonnulli jam viderunt, uti Gatakerus & Polus, etiam Calvinus, ad *providentiam* Dei circa actiones & fata hominum in genere hæc verba pertinent, & non in specie ac unice ad operationes Dei circa opera nostra bona; acsi sensus foret, neminem se convertere posse, aut aliquid boni incipere ac perficere, suis viribus; uti Schmidius præter alios accepit. Phrases enim sunt generales, nec ulla adest restringendi ad actiones bonas, ab homine non perficiendas, nota; scopus quoque est indicare, non, se sine Deo propriis viribus converti non posse, de quo, licet veritatem complexo, hic non agitur, sed, nihil sibi accidere sine Deo, adeoque & mala, quæ sibi evenerant, a Deo fuisse immissa, & non ab hominibus tantum orta; uti ex sequenti liquet, ubi orat Tsion, *ne Deus se in ira sua puniat*; argumento, modo confessam fuisse Tsionem, mala sibi a Deo fuisse inflicta, sed generalem edidit *providentiæ* Dei confessionem; uti modo dixi.

§. CCXVI. 2 Sequitur *deprecatio* punitionis in ira ad interitum, & precatio *castigationis* moderatæ ad emendationem, vers. 24. *castiga me, Jehova, sed judicio æquo; ne in ira tua, ne forte me derasum constituas.* Agnoscit, mala sibi inflicta, licet ab hominibus profecta, *poenarum*, a Deo immissarum, habere conspectum, nec casu, aut ab hominibus tantum, sed & a Dei providentia originem habere, uti modo confessa erat Tsion in genere; admittit quoque, justam esse caussam illarum *poenarum*; dum *castigationem* suam a Deo non repellit, sed petit potius, dicens, *castiga me*, digna sum, & mihi prodest: verum supplicat, ut mo-

[illegible] *castigationis* conspectum maneat, nec limites illos excedat, quum addit, sed [illegible] h. e. *judicio aequo*, & convenienter naturae castigationis. Proprietas radicis [illegible] est in *aequando* & *aequatione*, unde *judicandi* potestas fluxit, cum *judicare* sit *aequare* causas, & [illegible] judicium aequissimum dicit, ac modum aequum, quin & moderationem temperatam *aequitate*, scilicet, humanitate ac facilitate; uti jam docuit Schultens a. Ex quo, quid sit *castigatio* cum *judicio*, facile elucescit, *castigatio* nimirum eo nomine digna, nec modum excedens, ac in irati judicis tractationem degenerans, aequa simul, simul, *moderata*; quantum filiis exorbitantibus, in ordinem redigendis, sufficit. Subjungit itaque, ad majorem illustrationem, recte, *ne in ira*, scilicet, *punias*; non enim tam *castigatio*, quam *poena* est mente intelligenda. Sensus quippe est, ac si vocula [illegible] praemissa fuisset, *veruntamen castiges me in judicio, ne in ira tua* punias me: quod enim ex *ira* profluit, conspectum *castigationis* perdit, & ad *destructionem* tendit: quare additur, *ne forte me derasum constituas*, vilem nimirum & abjectum, simul ad nihilum redactum, instar scoriarum, quae abjiciuntur, & conculcantur. Quae enim [illegible] est verbi [illegible], cujus origo est in *radendo*, *deradendo*; unde *ramentum*, & ita *vile ac tenue*, flexit. & per ἐυφημίαν *sordes ac scoriam* denotat, opposite ad *argentum purum*; & [illegible] *sicut parum* pro re *contemtissima* usurpatur; ut Prov. v: 14. x: 20. Job. xxxii: 22. Idem itaque est, ac quod Deus promittit c. xxx: 11. *cum gentibus, non tecum, faciam consummationem, sed castigabo te judicio* aequo & moderato. Reliqua sunt expedita.

§. CCXVII. 3. Addunt, iram Dei potius in hostiles populos, veri Dei ignaros, effundendam esse, quod tantopere saevierint in *Jacobum*, populum Dei foederatum; *Jacobi* semen: vers. 25. *Effunde excandescentiam tuam in gentes, quae Te non norunt, & in familias, quae de nomine tuo non sunt adpellatae, quae devorarunt Jacobum; devorarunt & consummarunt*,

a ad Prov. I: [illegible]

(ad consummationem usque, nihil relinquentes integri. Voces, *devorarunt* & *consummarunt*, omissæ sunt in loco parallelo, Ps. LXXIX. ad nostrum licet conformato; quia in statum Judæorum, tempore Maccabaico, de quo ibi agitur, minus conveniebant, cum totalis tunc non obtinuerit, ut nunc, destructio. Repetitio vero verbi *devorarunt* nihil habet superflui, multum contra emphaseos; immerito itaque a docto critico a expunctum) & *habitaculum ejus desolarunt*. Quæ cuncta plana sunt, vel ab Interpretibus satis illustrata. Conf. etiam ad Ps. LXXIX: 6, 7. ubi ad nostra verba respici videtur. Tantum notetur, phrasin [illegible], quæ vulgo vertitur, *nomen tuum non invocant*, quoque reddi posse, ut feci, *de nomine tuo se non vocant*, vel non appellantur, ut Gen. IV: 26. Jes. XLIV: 5. ubi vid. Cl. Vitringa: quod videtur aptius, quia cultus Dei jam erat verbo *cognoscere* comprehensus. Chaldæos intelligi, & populos vicinos alios, qui ipsis manus in Judæis destruendis præbuerunt, satis constat.

CONCIO QUARTA.

CAP. XI.

1. *Verbum, quod factum est Jeremiæ a Jehova, dicendo:*
2. *Audite verba foederis hujus, & dicite viris Judæ & incolis Hierosolymæ.*
3. *Et dices illis: sic dixit Jehova Deus Israelis, maledictus vir, qui non audierit verba foederis hujus,*
4. *Quod præcepi patribus vestris, quo tempore eduxi ipsos ex Aegypto, e catino ferri, dicendo: audite vocem*

a Kennicot diss. super ratione textus Heb. p. 498.

cem meam, & facite ea secundum omnia, quæ vobis præcipiam, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.

5. *Propter stabilire juramentum, quod juravi patribus vestris, ad dandum ipsis terram lacte & melle fluentem, sicut hoc die. Et respondi & dixi, amen, o Jehova.*

6. *Et dixit Jehova mihi: proclama omnia hæc verba in urbibus Judæ, & plateis Hierosolymæ, dicendo: audite verba foederis hujus, & facite ea;* vel *ut faciatis ea.*

7. *Quia contestando contestatus sum patres vestros, quo tempore eos Aegypto eduxi, ad hunc diem usque, mane surgendo & contestando, dicens, audite vocem meam.*

8. *Sed non audiverunt, nec inclinarunt aurem suam, & iverunt quisque secundum insitam pravitatem cordis eorum pravi, & adducam super ipsos omnia verba foederis hujus, quod præcepi facere, nec fecerunt.*

9. *Et dixit Jehova ad me, deprehensa est conspiratio in viris Judæ, & incolis Hierosolymæ.*

10. *Redierunt magis & pertinacius ad iniquitates patrum suorum primorum, qui renuerunt audire verba mea, & illi ambularunt post Deos peregrinos, ut serviant iis, fregerunt domus Israel & domus Judæ foedus meum, quod pepigi cum patribus ipsorum.*

11. *Propterea sic dixit Jehova; ecce me supervenire ipsis facientem malum, ex quo non poterunt egredi; &,* vel *cum, clamarunt ad me, non audiam eos.*

12. *Et ibunt urbes Judæ & incolæ Hierosolymæ, & inclamabunt Deos, quibus suffitum obtulerunt; nec eos tempore mali eorum quassantis servando servabunt.*

13. *Quia pro numero urbium tuarum sunt dii tui, Juda, & pro numero platearum Hierosolymæ posuistis altaria pudendo* idolo, *altaria ad suffiendum Baali.*

14. *Et tu ne ores pro hocce populo, nec propter eos tinnulam vocem ac precationem proferas, quia non exaudiam, quo tempore clamarint ad me propter calamitatem suam frangentem.*

15. *Quid dilecto meo in domo mea? facere illud scelus? ipsi & caro sanctitatis transibunt a super te, quia quassatione tua tunc exsultabis.*

16. *Oleam patulam, pulchram fructu specioso, vocavit Jehova nomen tuum: sono strepitus ingentis crepare fecit ignis scansores ejus, & conquassatæ sunt propagines ejus.*

17. *Et,* vel *etenim, Jehova exercituum, qui plantavit te, locutus est contra te conquassationem propter malum domus Israel, & domus Judæ, quo fecerunt sibi altaria ad mihi tristitiam & indignationem creandam, ad suffiendum Baali.*

18. *Et Jehova notificavit mihi, ut cognoscam, tunc videre me fecit facinora ipsorum.*

19. *Et ego sicut agnus adsuefactus, qui abducetur ad mactandum, nec scivi; quia contra me machinati sunt machinationes: disperdamus arborem in fructu suo, & exscindamus eum e terra viventium, nec nomen ejus amplius memoretur.*

20. *Et,* vel *sed, Jehova judex justitiæ explorans re-*

nes & cor, videbo ultionem tuam ab iis, quia ad te revelando devolvi litem meam.

21. *Propterea sic dixit Jehova super viris Anathot, qui quaerunt animam tuam, dicendo, non prophetabis in nomine Jehovae, & non morieris* (ne moriaris) *manu nostra.*

22. *Propterea sic dixit Jehova exercituum, ecce me visitantem ipsos, juvenes gladio occumbent, filii eorum & filiae eorum fame interibunt.*

23. *Et residuum non erit ipsis, quando malum adducam super viros Anathot, anno visitationis eorum.*

§. CCXVIII.

Concionis *quartae*, hoc & sequente capite, ut omnes viderunt, & facile patet ex harum partium cohaerentia, & cap. XIII. nova inscriptione, comprehensae, I. *argumentum* continet, per modum colloquii Dei & Prophetae, jussum de foedere Dei cum execratione omnibus Judaeis ob oculos ponendo, dein notificationem defectionis populi ab eo foedere prorsus obstinatae, & deinceps magis augendae, mox promulgationem sententiae Dei decretoriae in populum de totali destructione, nullis mediis avertenda, nec per preces populi ad Deum, nec per confugia ad idola, nec per intercessionem prophetae, nec per populi praerogativas a Deo antea concessas; praeterea convictionem prophetae de incorrigibili populi indole, ex Anathotaeorum in prophetam conspiratione, exempli causa memorata, & instar praeludii gravioris totius populi conspirationis in necem prophetae, post secuturae, indeque ortam prophetae querelam ad Deum super Anathotaeorum violentia, qua eorum exstirpationem petit; nec non expostulationem cum Deo, justo judice, super judicio Dei in improbos dilato, cum responso Dei ad

eam; quo propheta partim ad sedatiorem mentem compellitur, partim certior fit de judicio Dei, Judæis, & improbis vicinis & hostilibus populis, infligendo, cum tacita prædictione liberationis populi ab exsilio.

§. CCXIX. 2. *Occasionem* concionis, prophetæ demandatæ, præbuisse mihi videtur defectio populi a foedere, per Josiam renovato, non quidem adhuc publica & aperta, sed occulta magis & privata, quæ tamen haud diu post in publicam & obstinatam eruptura esset, sicut post mortem Josiæ contigit. Quam *occasionem* mihi collegisse videor ex c. XI: 9, 10., uti suo loco manifestum faciam. 3. Ex quo de *tempore* concionis habitæ, seu prophetæ revelatæ, judicium ferri poterit: post reformationem Josiæ non tantum, sed & *foedus*, reperto libro legis, solenniter renovatum, anno 18vo Josiæ; nec mox, sed aliquandiu post, populo sensim ad vetera instituta Idololatrica & improba redeunte, incertum quidem, quando præcise, vivo tamen adhuc Josia, & propheta inter cives Anathotæos adhuc degente; ut ex eorum conspiratione in prophetam, a Deo ipsi revelata, facile patescit. De quo etiam postea suo loco. Ex quo elucescit, concionem hanc superiori esse subjunctam, non *temporis*, sed *materiæ* habita ratione: superiorem enim post hanc fuisse habitam in initiis Jojakimi, supra vidimus. Ansam vero hanc subjungendi videtur præbuisse ultima superioris concionis *pericopa*, preces prophetæ, nomine populi, pro iræ Dei mitigatione, ac in hostiles populos effusione, complexa. Respici vero & in hac concione ad similes prophetæ preces intercessorias pro populo, ex vers. 14., & aliis concionis partibus, haud obscure elucescit. Quo proximus revelationis, nunc factæ, scopus etiam ducit. 4. Is enim, quod ultimo notandum est, videtur fuisse, prophetam convincere de necessitate & justitia peremtorii Dei judicii in foedifragum populum; ita ut ipse ab intercessione in posterum desistat, & Dei judicium plane adprobet, adeo etiam, ut illud ipse postulaturus sit, uti ex fine hujus & initio seq. cap. patet. *Scopus* vero revelationis,

cum

quæ populo communicatæ, est viarum Dei cum eo publica justificatio ex insanabili ejus corruptione, & longanimitatis Dei, tam diuturnæ, ut querelas & expostulationem aliquam piorum suscitare potuerit, contemtu.

§. CCXX. *Partes* concionis, in ipsa pertractatione recensendæ, sunt sequentes. I. *Prima* complectitur adhortationem, populo Judæo & sacerdotibus nomine Dei faciendam a Jeremia, ad foederis, solenniter renovati, observantiam, cum execrationis interminatione conjunctam, & duabis vicibus, sed cum aliqua variatione, prophetæ injunctam, vers. 1--8. Quæ pericopa in duo membra, pro duplice adhortatione, ut modo dixi, sponte sua dispescitur, quorum *prius*, vers. 1--5. *posterius*, vers. 6--8. continetur. In *priore* occurrit jussum Dei ad Prophetam, ut sacerdotibus, & per eos populo, injungeret observantiam foederis sub exsecratione, ejusdem vero foederis, quod cum Patribus tempore exitus ex Aegypto erat pactum, simul significaret, inde tantum pendere stabilem in Cananæa sedem. Cui jussui Propheta toto animo adsentitur. Propheta itaque jubetur *sacerdotibus*, & per eos *populo*, injungere observantiam foederis Sinaitici, cum exsecratione dein renovati in campestribus Moabi, tanquam a qua suspensa sit possessio terræ promissæ. Qua in pericopa 1. occurrit generalis propositio, vers. 2. 2. ejus deductio, vers. 3--5. 1. Propositio, vers. 2. his verbis sit, *audite verba foederis hujus, & dicite viro Judæ, & incolis Hierosolymæ*. Oratio est abrupta & concisa, quæ nec eos memorat, qui audiant & dicant Judæis, nec etiam *foederis* notitiam dat: quod posterius ex seq. deductione facile colligitur; ubi *fœdus* memoratur ad montem Sinai pactum, & in campestribus Moabi confirmatum. *Verba foederis hujus* itaque sunt foederis mox clarius definiendi: sed majore pollet phrasis emphasi, qua digito monstratur *foedus*, hoc tempore vulgatissimum, quippe per Josiam renovatum, & a populo solenniter acceptum. *Audire* simul involvere *observantiam*, facile patet, & in deductione quoque expresse additur, vers. 4.

Sed

Sed difficilius est, personas definivisse, quibus injungitur hæc observantia, & præterea in mandatis datur, ut populo Judæo quoque inculcent. Orationis series postulare videtur, ut ipse *Propheta* intelligatur, quod ex vers. 5. confirmatur, ubi propheta ad hoc mandatum respondet, *amen*: de quo postea. Attamen, cum non tam prophetæ, quam sociorum ejus in munere sacerdotali & doctorali, causa hæc admonitio a Deo fiat, hinc in plur. videtur dici, *audite verba foederis hujus*, scilicet tu, Propheta, & socii tui, quorum hoc est officium, ut foederis observantiam inculcetis populo. Sensus itaque est, Jehovam & prophetæ & aliis sacerdotibus hoc in mandatis dare, ut ipsi observent foedus, & populum ad id adigant. Propheta se includit, ut, se ex Divino jussu tantopere insistere observantiæ foederis, significet; adjungit sibi socios, ut & eorum hoc esse officium indicet. Utique eos hic compellari, quorum munus erat, populum hoc foedus ejusque observantiam docere, ex eo est manifestum, quod addatur, *& dicite viris Judæ & incolis Hierosolymæ*, scilicet, illud ipsum, quod vobis dixi, *ut audiant verba foederis hujus*. Ex quo elucescit, Schmidii opinionem de elliptica oratione, hac ratione supplenda, *dicendo: dic ad populum hunc, audite verba* &c: stare vix posse; non enim ad *populum* directe fit sermo, sed eos, qui populo id dicere deberent. Suppleri ergo deberet, dic *ad sacerdotes* &c: quæ durior foret ellipsis. Acquiesco ergo in dictis: quæ etiam communior est hypothesis.

§. CCXXI. 2. In deductione propositionis propheta *α. foedus* illud accuratius definit, vers. 3, 4. *β.* ejus observantiam ex eo urget, quod inde possessio terræ Cananææ dependeat, vers. 5. *γ.* suum consensum in hoc foedus expromit, vers. 5 fin. *α.* In foederis determinatione declarat, foedus intelligendum esse *a.* quod cum execratione fuit sancitum, vers. 3. *b.* ad montem Sinai primum est promulgatum, & pactum vers. 4. Hic enim sensus & scopus est illorum versuum. Verba ita habent: *& dicas ipsis*, (tu Propheta in primis, quem

so-

socii tui imitari debent, dicas viris Judæ & incolis Hierosolymæ; *& dicas*, pro *itaque* in hæc verba ad eos loquere; ut accuratius exponam, quod modo injunxi, cum jussi, *ut loqueremini ad eos.*) *Sic dixit Jehova Deus Israelis, maledictus vir, qui non audiverit verba foederis hujus*, (in memoriam, nomine Dei, revocare Judæis foedus cum exsecratione pactum in campestribus Moabi, &, illud renovatum esse, significare. Respicitur enim manifeste ad *execrationem*, foederi Sinaitico tunc additam, Deut. XXVII. Ne autem ignoretur, quale illud foedus sit, hic memoratum, & in campis Moabiticis sancitum, additur, *quod præcepi Patribus quo tempore eduxi eos ex Aegypto, e catino ferri, dicendo: audite vocem meam, & facite ea, pro omnibus, quæ vobis præcipiam, & eritis mihi in populum & ego ero vobis in Deum.* Additur, non sine emphasi, *ex terra Aegypti e catino ferri:* sic enim voces reddendæ sunt. *Catinus ferri* est ferro liquefaciendo inserviens, indeque magno *igne incalescens*, quo hic respicitur, uti ab aliis jam est observatum. Est enim *ferri* natura, notante quoque Josepho [a], *auro, argento & ære* στεῤῥοτέρα *firmior.* Est itaque *catinus*, in quo τὴν σιδηρῖτιν γῆν *terram ferream igne multo* faciunt διαφανῆ *candentem*, quæ autoris antiqui verba sunt apud Suidam [b]. Idem ergo ac, quæ Herodoti [c] phrasis est, ε κλιβάνῳ διαφανέϊ *furno bene candente* & ignito, *eduxi eos* &c. Indicatur vero, populum & magno beneficio fuisse a Deo adfectum, & eo scopo in libertatem adsertum, ut Deo serviret; ut sic intelligeret populus, similem sibi eventuram miseram & servilem conditionem in exilio Babylonico, nisi foedus Dei observaret. Ceterum not. phrasis, *audite vocem meam, facite ea*, constructione non ad *vocem*, sed *rem* ipsam, seu contenta ejus, conformata; ut sit, *& facite ea*, quæ vox mea comprehendit, sicut additur, *secundum omne, quod præcepi vobis.*

§. CCXXII. β. Mandatum Divinum de foedere observando, modo factum, vult Deus ut inde urgeretur, quod pro-

[a] Ant. X: 10. [b] In τυπτά. [c] l. II. c. 93.

missi Dei juramento confirmati, Patribus facti, implementum hinc suspensum sit, vers. 5. *propter stabilire* (ut stabile, & perpetuum faciam,) *juramentum* (promissum juramento firmatum) *quod juravi Patribus vestris*, (non Patriarchis, ut putat Schmidius, qui sermonem censet continuari de foedere cum Israelitis, tempore exitus ex Aegypto pacto, ut *eorum* Patres intelligantur, sed in genere progenitoribus, quibuscum foedus ad montem Sinai pepigi: sermo enim dirigitur ad eos, quos adloqueretur propheta, & eo tendit, ut certiores fierent de promisso tunc facto, non, nisi observato foedere, amplius stabiliendo: quod ex vers. 5. manifestum est, & ex seq. confirmatur, cum additur,) *ad dandum ipsis* (patribus vestris, non utique Patriarchis, sed posteris eorum, quibuscum foedus Sinaiticum pactum est,) *terram lacte & melle fluentem* (Cananæam, eamque fertilissimam & abundantissimam omnibus bonis) *sicut hoc die* (sicut hodie adhuc obtinet juramenti implementum; sed non durabit diutius, nisi foedus hoc observaveritis. Voces enim, *sicut hoc die*, nec cum terra lacte ac melle fluente cohærent, ut recte Schmidius, nec cum verbo *dare*, ut ille vult; quod æque alienum est, cum eo tempore non fuerit *data* ea terra, sed cum principio versus, seu verbo *stabilire*, ut stabiliam juramentum —— —— *sicut hoc die* adhuc feci, seu ad hoc tempus usque, sed non *diutius*: quam emphasin continet phrasis, *hoc die*, hoc tantum adhuc *die*. y. Subjungit propheta huic mandato Dei adprobationem suam, his verbis: *& respondi*, & *dixi*, *Amen*, *o Jehova!* h. e. pro me & populo respondeo, dicendo *Amen*, sit ita, omnia rata habeo & adprobo; adeoque cum populo communicabo, ut jussisti. Adprobatio enim & ad jussum Dei, & ad ejus argumentum, extendenda est; ut recte Schmidius, qui videatur.

§. CCXXIII. *Posteriore* membro, vers. 6--8., repetitur jussum de populo admonendo, sed majore cum emphasi, & cum notabili differentia. Occasionem repetitionis videtur dedisse promta prophetæ adprobatio, qua dixerat *Amen*, non,

ut accepit Schmidius, acsi *spei*, quam propheta de populi obedientia conceperat, opposita esset hæc pericopa; de *spei* enim declaratione verba præcedentia nihil habent, nec, populum aures non præbiturum, hic significatur; quod demum fit vers. 9., qui ab hac pericopa separandus est, ut mox patebit. Sed *ansa* illa hac ratione est constituenda, quod cum propheta in superius jussum, ejusque argumentum, consensisset, nunc excitetur, ad illam adhortationem omnibus viribus faciendam, & ubique locorum, & omni ratione urgendam, exemplo Patrum ipsis ob oculos posito, ut inde discant, vel prudentius agere, vel sibi omnino pereundum esse. Eo enim tendit repetitio inter alia, ut populus convincatur de ultimo longanimitatis Dei termino, nunc præsente, quem si neglexerit, nihil præter totale excidium exspectandum sit. Deus itaque, *a.* in genere prophetæ injungit; ut *omnia hæc verba proclamet in urbibus Juda & plateis Hierosolymæ.* h. e. instar præconis publice, per omnia loca quasi eundo, clara voce & magno studio verba proferat, quæ mox sequuntur: non solum *verba fœderis*, aut supra memorata, tantum, sed & alia, quæ mox sequuntur, ut recte Schmidius. Sensus est, rem ad extremam venisse periodum, adeoque populum ultima vice serio & severe adhuc esse excitandum; sicut, cum hostis vel malum ante fores est, fit a præcone publico; & olim a *Jona* inter Ninevitas factum erat. Emphasin enim habet verbum קרא *proclamare*, uti c. II: 5. Jes. XL: 36. & quod per urbes & plateas Hierosolymæ id fieri deberet.

§. CCXXIV. *β.* Argumentum præconii duplex occurrit, alterum ad alterius confirmationem, *prius* illud ipsum, supra memoratum, *audite verba fœderis hujus*, & *facite*, vel *ut faciatis ea*, scilicet, quod hic subintelligitur, nisi velitis ultimum excidium; *audite* itaque nunc tandem, vel vobiscum actum est &c. *Posterius*, quod ad prioris confirmationem præcipue tendit, exemplum majorum comprehendit, populo ob oculos ponendum, ut *partim* inde discant, *par*-

suas rectius instituere, majorum exemplo deterriti, *partim* inde colligant, tempus longanimitatis exspirasse, adeoque, nisi resipiscant, certo certius, & mox, esse se exstirpandos. Sensus enim & scopus verborum, vers. 7, 8. *quia contestando contestatus sum patres vestros, quo tempore eos Aegypto eduxi, ad hunc diem usque, mane surgendo & contestando, dicens, audite vocem meam. Sed non audiverunt nec inclinarunt aurem suam, & iverunt quisque secundum insitam perversitatem cordis eorum pravi: & adducam super ipsos omnia verba foederis hujus, quod praecepi facere, nec fecerunt*, &c: huc redit: obediendum esse populo verbis foederis, *cum* quod exemplo majorum edocti observarint, Deum immorigeros punire secundum hoc foedus, *tum* quod Deus satis diu populum excitari curaverit sine effectu ad resipiscentiam, adeoque longanimitatem nunc abrumpere decreverit. In verbis nihil est difficilis: quare unum illud observasse suffecerit, non frustra verbum fut. temp. adhiberi ואביא *& adducam super ipsos omnia verba foederis hujus*, scilicet, omnes minas foederi non observato adjectas: ut facile intelligitur. Etsi sensus directus sit, foedifragos majores fuisse minas foederis expertos, adeoque praeteritum significetur, adhibitum tamen est fut. temp., ut, minas perfectum suum implementum mox habituras esse, indicaretur, nisi foederis ad observantiam sese converterint. Nec obstat, quod *super eos*, & non *super vos*, *adducam* dixerit Deus; intelliguntur enim patres, modo memorati, puniendi in filiis, ipsis non melioribus; uti Deus saepe declaravit, se propter peccata quoque majorum, in specie Manassis, populum decrevisse delere.

§. CCXXV. II. *Secunda* concionis, seu revelationis Prophetae factae, pars repraesentat deliberatam, & obstinatam, populi a Deo & foedere ejus defectionem, ad exemplum Patrum foedifragorum, nunc resumtam, & duraturam in posterum, ita ut omnes admonitiones sint futurae frustraneae, vers. 9, 10. Quae revelatio, hic consignata, *partim* eo tendit, ut, quod Kimchius & Abarban. jam obser-

varunt, *ratio* redderetur, quare Deus prophetæ injunxerit superiorem adhortationem, quippe opportunam jam & tempestivam, quia populus, qui per Josiam videbatur reformatus, ad pristina sua statuta prava redierat; *partim* eo, ut propheta, qui adhuc bene de populo sperabat, & pro eo non cessabat intercedere, de *inutilitate* omnium mediorum conversionis, & *necessitate* ac *justitia* extremi judicii in populum, convinceretur, cum experimento didicerit, statum populi esse desperatum, quippe qui in defectionem obstinate conspiraverit, omnemque admonitionem eluserit. Verba itaque & *præsentem* populi defectionem, sed firmo animi proposito, & occulto exercitio, factam, nondum, tempore Josiæ, in publicum datam, quo tendit, quod Deus eam *invenisse* dicatur, quod Ghislerius quoque recte observavit, exhibent, & *futuram*, seu præsentem defectionem in perpetuum duraturam; ut sensus sit, *reversus* est toto animo & occulte populus ad defectionem, & ita ut obstinate continuaturus sit, quippe *conspiratione* facta rediit ad antiqua statuta pessima. Sic enim habent: *Et dixit Jehova ad me, deprehensa est*, (examine scilicet a me instituto, & inquisitione judiciali *deprehensa* est, ut nullum amplius supersit dubium, nullus tegere possit color, quem religionis exercitium sub Josia induxerat) *conjuratio in viris Juda, & incolis Hierosolymæ* (universalis & obstinata defectio, quippe *compacta* & *constricta*, quæ vis est verbi קשר, proprie *constringere*, defectio præterea a legitimo Domino, quæ nomine *conspirationis* venit, & animo deliberato ac obfirmato facta, firmiterque *constricta*) *redierunt ad iniquitates patrum suorum primorum, qui renuerunt audire verba mea* (etsi videantur reformati, & *institutis* patriis renunciasse, *redierunt* tamen nunc ad ea, ad exemplum Patrum, etiam *antiquissimorum*, per omnia tempora; quod ad populi pervicaciam incorrigibilem additur. Præterea non *redierunt* solum, sed & superarunt magis, & pertinacius id facientes. Quam emphasin adfert verbum שוב cum על *super*, & non ut alias, cum אל *ad*, constructum. Evidentias

dationis potestatem involvit שׁוב, ut sæpe notatum est, & cum על dicit exundationem superiorem, majorem & obstinatiorem. Rem ipsam quoque vidit Ghislerius,) *& illi ambularunt post Deos peregrinos, ut serviant iis, fregerunt domus Israel & domus Juda foedus meum, quod pepigi cum patribus ipsorum.* h. e. sicut patres idola secuti sunt, ita & nunc Judæi, patres imitati; foedere meo plane rupto, & irrito reddito. Nihil hic notandum habeo, nisi forte ו in המה *& illi*, scilicet patres, inservire comparationi, & verti posse, *sicut a*: ut in paraphrasi expressi.

§. CCXXVI. III. *Tertia pars* Prophetæ ob oculos sistit plenarium excidium, pervicacei defectioni debitum & acceptum ferendum, nullis mediis avertendum, nec propriis viribus, nec ope Dei, nec idolorum auxilio, nec intercessione prophetæ, nec prærogativis a Deo in eum collatis. Quæ summa est pericopæ, vers. 11--17. In qua א. occurrit denunciatio excidii, a Deo judice immittendi, vers. 11. *ecce me adducentem ad eos malum*, scilicet summum & totale excidium. Quam emphasin hic habet vox רעה, quæ in origine dicit *quassationem*, & inde ortam *fractionem*, unde ad futuram *calamitatem*, quæ omnia conterit, inter alia transfertur. Quo etiam referri potest verbum מביא, quod, ut supra quoque habuimus, proprie dicit *intrare* facere, ut denotetur malum quassans ad interiora penetraturum, & nihil integri relicturum. ב. *Excidii* totalis *inevitabilitas* per partes exponitur *a*. respectu propriarum virium, vers. 11. *malum ex quo non poterunt egredi*, h. e. quo sese nulla prudentia, nulla potentia, expedire poterunt ipsi: quod facillimum est. *β*. respectu Dei veri, opem suam ipsis, vel ad se clamantibus, denegaturi: vers. 11. *& clamarunt ad me, nec audiam eos*, h. e. cum clamarint, malorum sensu tacti, & metu perculsi, non ex vera fide & poenitentia, *non exaudiam* eos, opem ferendo.

a Vid. ad Mal. I: 14. III: 3. sic & infra c. XII: 14. XXIII: 13. 14. 39. XXXVI: 44. & alibi, ut Ez. III: 13. ult. membro, XXX: 6. Ps. LXXIII: 25.

do. Verbum *clamare* in præt. occurrit, licet de futuro agatur, quia respectu *exauditionis* foret præteritum, quippe eam præcedens: qui satis frequens est præteriti usus. Sed negligenda non erat emphasis verbi זעק, cujus, ut & צעק, origo est in *crepando*, ac cum *crepitu* & *fragore* erumpendo; ut in coelo, tonitrua & fulmina emittente; unde transfertur ad tempestatem querelarum, dicitque querimoniam publicam, ex tempestate animi concussi erumpentem, & cum imploratione auxilii conjunctam. γ. respectu *idolorum*, quæ, licet invocata, nullum ferre poterunt auxilium, quantumvis etiam iis adhæserint, & fiderint, ubique locorum ea erigentes, & colentes, vers. 12. 13. *Et ibunt urbes Judæ, & incolæ Hierosolymæ, & inclamabunt Deos, quibus suffitum obtulerunt, nec eos tempore mali eorum quassantis servando servabunt; quia pro numero urbium tuarum sunt dii tui, Juda, & pro numero platearum Hierosolymæ posuistis altaria pudendo idolo, altaria ad suffiendum Baali.* Sive id vere facturi sint præ desperatione, & perturbatione mentis, modo Jehovam, modo idola inclamantes, sive in genere significetur, ab idolis nullum exspectandum esse auxilium, quantopere etiam iis fiderint, & ea coluerint, & si vel tempore mali imploraverint eorum auxilium. Nihil difficilis, nisi in nexu vers. 13. cum præcedente, per כי *quia* cohærentis, expediendo. Videtur aliquid de ambiguo habere, cum reddi possit, & *quia*, ut sit *causa* reddino, vel superioris explicatio ac confirmatio, & *quamvis*, non obstante: quem usum sæpe alibi habet. *Priore* sensu *partim* ratio reddetur, quare Deus dixerit, quod auxilii ergo ad idola se conferre debeant, quia tantam ubique locorum copiam tunc habituri sint, *partim* confirmabitur, quod dictum erat, eos *suffitoria iis offerre*: cum ubique altaria habeant idolis erecta. *Posteriore* sensu declarabitur, idola ipsis nullam opem latura, quantumvis etiam per terram fuerint multiplicata, ut ubique prælio sint. Ceterum, *ponere altaria* לבשת *pudendo*, *altaria ad suffiendum Baali*, idem est, ac altaria, Baali dedicata, fore altaria pu-

pudendo sacrata, quia re ipsa tunc experientur, nihil a Baale esse auxilii, & ex spe prostituta eos pudore ac consternatione adficiendos. Adpellatur itaque Baal *pudendum* idolum, ob datam rationem. Verbum vero שום *ponere* hic est *dedicare*, uti supra notavimus.

§. CCXXVII. 8. Additur, ne prophetæ quidem, piissimi licet, & Deo gratissimi, preces intercessorias aliquid eo tempore calamitatis valituras ad malum avertendum, vers. 14. *Et tu ne ores pro hoc populo, nec proferas propter eos tinnulam vocem & precationem, quia non exaudiam, quo tempore clamarint ad me propter calamitatem suam frangentem.* Cujus simile cum jam supra habuimus, c. VII: 16. hic nihil addo, nisi hoc unum vel alterum, 1. ellipsin esse in verbis, *quia non audiam*, scilicet te, uti in loco parallelo additur; forte hic absolute, sine expresse addita persona precante, ponitur, ut indicetur, neminem, qualemcunque etiam intercessorem, tum a Deo esse *audiendum*; 2. sequentia, *tempore, quo me inclamarint ob calamitatem* suam quassantem, tantum pertinere ad tempus definiendum, quo calamitate pressi communes efferrent clamores ad Jehovam, auxilii causa. Versiones antiquæ omnes pro בעד legerunt בעת, uti vers. 12. sed rectius habetur בעד *propter*, quia בעת proxime præcessit.

§. CCXXVIII. 1. Denique, prærogativas populi, quam magnas etiam & arctas ejus ad Deum relationes, eum ab excidio non liberaturas, declaratur, vers. 15--17. Cujus pericopæ sequentes sunt partes. 1. Prima ita sonat, vers. 15. *Quid dilecto meo in domo mea? facere illud scelus? ipsi & caro sanctitatis transibunt a super te: quia quassatione tua tunc exsultabis.* h. e. quid juris, quidve negotii, amplius habet dilectus meus in origine populus in Templo, & urbe mihi sacrata? quare ibi amplius versaretur? an ut *illud faciat scelus?* vel in ea patret quævis enormia scelera? hoc enim & nihil aliud agit; idne itaque ferendum? nec in melius res cum populo meo cedet, sed in pejus; *ipsi* enim, præci-

pui

pui & magnates una cum *carne sancta*, omnibus piis, ab ipso discedent, & peribunt, adeo ut nil nisi spirans aliquod cadaver superstes sit futurum, quando quassatione sua jactabundus, & in furorem actus, & ipse exspirabit. Verba sunt difficiliora explicitu, quæ varias pepererunt Interpretum expositiones, magis minusve probabiles, hic non recensendas. Illustrasse versionem, & paraphrasin datam, suffecerit. Primum membrum, *quid dilecto meo in domo mea?* continet interrogationem, quæ, rem indignam & non amplius ferendam esse, indicat, ut facile intelligitur. Persona loquens est *Deus*, ut ex phrasi, *domo mea*, satis elucet; sermo vero sit de populo Judæo, qui hic *dilectus Dei* adpellatur, uti mox c. XII: 7. & Deut. XXXIII: 12. ubi Benjamin *dilectus Jehovæ* vocatur, respectu nim. originis, propter Patres, & vi foederis cum eo initi. Quo sensu titulus ישרון *recti* ipsi datur Deut. XXXII: 15. nec non משלם *perfecti*, & *servi ac legati*, Jes. XLIII: 19 ubi vid. Cl. Commentator. Additur itidem per interrogationem, *facere illud scelus?* h. e. eone scopo & fini in domo mea degeret, ut grave & enorme illud scelus faciat, & perficiat? Interrogationis nota adest in voce המזמתה *an scelus illud?* ut *facere an scelus?* sit pro *an facere scelus?* habet præterea vox ea ה emphaticum in fin. ad summum scelus significandum. Adr ה foem. in עשותה refero ad seq. מזמה, ut sit, *an facere illud*, sc. *scelus* enorme. Sed negligendum non erat, *obstinationem* in scelere vera vocis emphasi quoque comprehensam esse. Radix enim זמם proprie dicit, *substrinxit*, *adstrinxit*, inde *destinavit*, & firmiter proposuit &c:

§. CCXXIX. Sequentia verba continent totalem exstirpationem, cum ejus signo præambulo & ominoso, per modum responsionis ad interrogationem præcedentem, ut sit; *quid dilecto meo in domo mea?* nihil utique, adeoque necesse est, ut exstirpetur, quod & fiet; sed gradatim: prius enim decedent ipsi & sancti, quando exspirabit resp tempore *mali*, populo immittendi. Ad *prius* illud, vel signum præ-

hunctium extremi excidii, pertinent hæc verba: *Spissi & caro sanctitatis transibunt a super te*, h. e. magnates, potentes, simul sancti & pii, vel morte, vel exsilio, a Te, o Tsion! auferentur; ita ut nil nisi debile, & depravatum, in te superstes maneat. Vox ‎בשר‎ manifeste cohæret cum seq., ut ex verbo *transibunt* quoque elucescit, & in origine sistit *spissos*, bene *compactos*, usu suo divites, nobiles, potentes, magnates, etiam doctores, uti notum est. Vid. Job. IV: 3. XXXII: 9. Ps. XXXVII: 16. *Caro* vero *sanctitatis*, corpori reip. adhærens, dicit *pios* & *religiosos* in medio populi. Sensus itaque est, potentes & magnates simul cum piis esse e medio populi auferendos, sive per mortem, ut est Jes. LVII: 1,2. Mich. VII. sive per exsilium, ut tempore *Jechoniæ* contigit. vid. Jer. XXIV: 2 Reg. XXIV: 10. Antea etiam in *Josia* mortuo idem obtinuit. Quod simul tanquam præsagium futuri & instantis excidii considerari vult; sicut experientia variis temporibus comprobavit, nec prudentes gentilium latuit. Notum est Socratis dictum apud Aeschinem *a*, & a Stobæo *b* exceptum, *cum Deus vult, ut prospere agat civitas, viros in ea bonos excitare solet; qua vero infelix futura est civitas, ex ea tollere solet Deus* ἄνδρας τοὺς ἀγαθοὺς *viros bonos.* Sequitur nunc plenaria excitio, his verbis: *quia*, vel *quando*, *quassatione tua tunc exsultabis*, h. e. sicut nunc malitia & pravitate exsultas, ita tunc, calamitate ingruente, in furorem actus, instar moribundi, te jactans exspirabis. Elegantissima est phrasis, de ambiguo trahens, quæ & exsultationem in pravitate, & excidium in calamitate, exprimit, adeoque dicit, populum, cum in pravitate sua se jactabit, esse furiis agendum per mala, & ita jactabundum moriturum: uti Jer. LI. 39. de Babyloniis, *quum incaluerint, compotationes ipsis adponam*, ut ‎יעלזו‎ *exultent & dormiant somnum æternum*. h. e. *conviviantibus mero incalescentibus, & inter pocula exultantibus, alia adponam pocula, calicem mortis nec opinatæ, quo hausto in furorem agantur*, & moribun-

a Dial. I. *de virtute* in fin. *b* Serm. I. de virtute p. 27.

bundi terram pede pulsent &c. Verba sunt Cl. Schultens *a*. Verbum vero, עלץ & עלז, proprie est σφαδάζειν, seu πηδᾷν μετὰ σπασμοῦ, quod & in bonum frequentatur pro *exsultare cum jactatione pedum*, & in malum, pro irrequieta ægritudine, furore & morte dura *b*.

§. CCXXX. 2. Secunda pars, superiorem explicans & confirmans, ita habet vers. 16. *Oleam patulam, pulchram fructu specioso, vocavit Jehova nomen tuum: sono strepitus ingentis crepare facit ignis scansores ejus, & conquassata sunt propagines ejus.* h. e. pulchram Te, ô Tsion! lateque expansam, ac bonis copiosam, instar oleæ patulæ, ramis pendulis, & prominulis undique speciosæ, fecit quidem & celeberrimam reddidit, ita ut fama tua quaquaversum fuerit propagata: sed, hoc non obstante, ignis magno cum strepitu crepare & dissilire faciet ramos tuos continuo scandentes, & confringentur rami tui propullulantes; ut præter truncum nihil supersit. Quæ pulchram continent picturam & gloriosi ac prosperi status populi, & totalis ejus desolationis, ab hostili invasione oriundæ, magnoque strepitu & inter multos dolores violenter efficiendæ. Oratio ita concinnata est, ut partim ad Tsionem vertatur, partim de ea agatur; modo secunda, modo tertia in persona; cujus ratio est, quod in excidio describendo *oleæ* speciosæ metaphora continuetur, hoc modo: *oleam* te fecit Jehova, speciosam quidem, sed cujus ramos & propagines ignis streperus absumet. Sensus est, Tsionem, omni suo ornatu, omnibus opibus, præstantissimis quoque membris & civibus, esse spoliandam per judicium Dei, hostili gentium invasione exsequendum, judicium terribile multo cum strepitu & dolore, ac malæ conscientiæ angoribus, conjunctum. Prius membrum, statum Tsionis gloriosum continens, sub emblemate oleæ frondosæ, late expansæ & speciosæ, nihil habet, quod nostram requirit operam: sed posterioris membri versionis ratio danda est. Verba ita habent: *ad sonum ingentis strepi-*

[illegible] *tus*

a Orig. Hebr. t. II. p. 109. *b* Id. ib. & clav. p. 282.

ius crepare fecit: ignis scansores ejus, h. e. ingente tempestate, imbrifera ac fulgurante, excitata, crepare & dissilire fecit ignis scansores ejus. Not. 1. המולה signare *strepitum effusi imbris*, a rad. המל *libere & solute fluxit*, in specie *exundavit imber*, perpetuo fluxit coelum continuata pluvia *a*. Patet itaque imago ingentis tempestatis imbriferæ, & sonoræ. 2. Voces אש הצית secum construendæ sunt, ut *ignis* sit subjectum, & sensus, *crepare fecit ignis*, secus ac Interpretes, qui reddunt, *injicit*, vel *succendit ignem*; & ad Deum referunt: male, & contra vim verbi הצית, quod non dicit, *succendere*, sed *crepare* ac *dissilire* facere. Radix יצת habet potestatem *crepandi*, cum *crepitu dissiliendi*, adeoque cum crepitu flagrante dissilire, vel deflagratione crepante exuri: in Hiph. itaque est *comburere*, & ita crepare ac dissilire facere; quod in *ignem* quadrat. 3. Vocem עליה non, ut vulgo putatur, significare *ad*, vel *circa*, eam; sed *scansores ejus*, a עלה; quod Interpreti Judæo jam in mentem venisse, & Gatakero non displicuisse, deinceps vidi, quæ non *folium*, ut censeor, sed *scandentem*, vel scansorem, sonat, adeoque vegetum & vivacissimum ramum arboris signat, qui vigorem crescendi præcipue possidet, semper altius altiusque surgens *b*: fortium itaque, magnatum & principum est emblema, *qui* מרבים modo dicti erant. In foem. adfixo, עליה, respicitur ad rem per *oleam*, quæ masc. gen. est apud Hebr., expressam, uti sæpe alias. 4. Additur, *& confracta sunt propagines ejus*, scilicet, oleæ, rami quicunque alii, & novi seu recentes; in quo nihil est difficilis. 5. Denique not. est, illud *vocare nomen tuum* non esse restringendum ad oleam florentem & speciosam, sed ad seq. quoque extendendum; ut vel ex eo liquet, quod verba in *tertia* pers. occurrant, adeoque cum *olea* conjungenda. Sensus itaque est; Deus nomen tuum, o Tsion!, vocavit *oleam* speciosam, igni strepero combu-

a Vid. Schultens clav. p 252. & D. Scheidt in erudita diss. ad V. T. sub auspiciis Schroederi p. 8. *b* Vid. ad Ps. I: [illegible]

bustam, quoad *ramos* & *propagines*. Ex quo simul patescit, quare de fut. tempore verba præs. adhibeantur; cum de *sententia* Dei nunc pronunciata agatur. Id enim est *vocare nomen*, pro declarare, promulgare.

§. CCXXXI. 3. Tertia pars, superioris figuratæ expositionem continens, vers. 17. ita habet: *&*, vel *etenim*, *Jehova exercituum* (Deus exercituum, summus & supremus omnium Dominus potentissimus) *qui plantavit te*, (ô Tsion! ad quam oratio vertitur pronomine foem. gen.) *qui te plantavit* (oleam speciosam, qui te fundavit, & gloriosam reddidit, ille ipse, cui tantopore obstricta es) *locutus est contra te quassationem* (sententiam plenissimi excidii in Te pronunciavit), *propter malum domus Israel & domus Juda* (improbitatem invincibilem omnium tuorum membrorum, Israelitarum & Judæorum, per totam terram. *Domus Israel* additur, sive quod Israelitarum exemplum secuti sint Judæi, tantum abest, ut judicio Dei in Israelem meliores facti fuerint, sive quod *Israelitæ* adhuc in terra superstites indigitentur. Voce רעה vero intelligitur summa improbitas, qua quis omni virtute cassus & vacuus fit: a rad. quæ in origine dicit, *quassare*, *quassando frangere*,) *quo fecerunt sibi ad mihi tristitiam & indignationem concitandam*, *ad suffiendum Baali* (est descriptio improbitatis, in eo sitæ, quod *fecerint sibi*, scilicet altaria, vers. 13. & alia quævis instrumenta ad mihi ægre faciendum, *ut suffitum faciant Baali:* אשר verti debet, *quo*, vel propterea quod, & in verbo *facere*, est ellipsis, modo notata: ut ex ultimis verbis liquet, ad *suffiendum Baali*).

§. CCXXXII. IV. *Quarta* revelationis pars continet divinam manifestationem insidiarum Anathothæorum, quibus eum e medio voluerunt tollere, Prophetæ factam, *partim* ut inde, tanquam ex specimine, obstinationem & insanabilitatem populi disceret, *partim*, ut justitiam & necessitatem judicii Divini perspiceret, & agnosceret, adeoque ab intercedendo pro hoc populo non tantum cessaret, sed & diris

& imprecationibus populum potius devovendum esse agnosceret, vers. 18-23. Qua in pericopa, 1. Exordium, manifestationem, ejusque scopum, comprehendens, occurrit, vers. 18. *Jehova notificavit mihi ut cognoscam, tunc videre me fecit facinora ipsorum*, h. e. Jehova mihi pro populo intercedenti, & eum fideliter ad resipiscentiam excitandi, manifestavit quid, mox memorandum, ut illud ad animum revocarem, & recte curarem; simul mihi tunc revelavit, tanquam in specimine aliquo singulari, *facinora* populi, quæ omnem spem emendationis irritam esse demonstrarunt. Secundum quam paraphrasin prius membrum, *notificavit mihi & cognoscam*, ad seq. pertinet, & dicit, insidias Anathotæorum Prophetæ fuisse manifestatas, eo scopo, ut animo reconderet, & sibi caveret: id enim est, *& cognoscam*, pro *ut cognoscam*, quem usum ו sæpe alias habet; quod hic simpliciter non est *cognoscere*, sed, quæ vis verbi est, animo recondere, & in usum suum vertere: adeoque paulo aliter ac in præced. sumitur. Alterum vero membrum, *tunc monstravit mihi facinora ipsorum*, significat, eo ipso tempore Jehovam prophetæ ob oculos posuisse in hoc specimine, ipsi *notificato*, totius populi molimina, quibus in Deum conspiravit, ut est vers. 9., sicut Anathotæi in prophetam, adeoque populum esse incorrigibiliter & totaliter depravatum. Sed versus quoque alium admittit sensum, quo prius membrum ad superiora refertur, & posterius ad præsentem Anathotæorum conspirationem in prophetam, & verba vertantur, *cum Jehova mihi notificasset*, modo memorata, ut ea probe ad animum revocarem, & memoria retinerem, *tunc mihi monstravit facinora ipsorum*, h. e. eo ipso tempore mox mihi detexit molimina partis populi in me, prophetam Dei, quibus me e medio sublatum voluerunt, ut eo magis confirmarer in iis, quæ Deus mihi modo revelaverat, statum populi esse desperatum: sicut mox narratur. Vocula ו *&*, in *& Jehova*, recte redditur *cum*, vel *postquam*, uti alibi capitur, & cum seq. particula אז *tunc* recte cohæret. Ceterum non sine ratio-

tione repetit, *conspirationem* populi, supra vers. 9. memoratam, sibi fuisse a Deo revelatam: inculcatum enim voluit, eam, quam occultam hactenus, & in firmo adhuc defectionis proposito sitam, Deo tamen esse perspicuam, & sibi, non ex suspicione, uti Judæi oggerere possent, sed ipsius Dei revelatione manifestam factam, adeo ut contradici a populo non potuerit.

§. CCXXXIII. 2. Subjungitur notificationis Dei materia & argumentum, vers. 19. *& ego sicut agnus adsuefactus, qui abducetur ad mactandum, nec scivi; quia contra me machinati sunt machinationes; disperdamus arborem in fructu suo; & excindamus ipsum e terra viventium, nec nomen ejus amplius memoretur*, h. e. Id, quod Jehova mihi monstrasse, vel indicasse, dixi, in eo fuit situm, quod ego similis sim agno adsueto, & amico, qui se ad mactationem abduci patitur, absque ut sciat; uti nec ipse quid de eo suspicatus sum: quæ imago in me exacte quadrabat, *quia machinati sunt in me malum*, secum dicentes, & statuentes, excindamus Jeremiam propter prophetiam ejus, & cum ea, instar arboris *in fructu*, & propter fructum suum; ita ut ne memoria ejus amplius superlit in posterum. Verba continent, ut dixi, argumentum revelationis Jehovæ, prophetæ factæ, non *secunda*, sed *prima* persona prolatum; non, *tu es*, sed, *quod ego sim*, loquitur enim propheta, & recte in prima persona. Proponitur autem scelestum consilium in vitam prophetæ in genere, non nominatis insidiatoribus, quia mox innotescerent, &c. cum propheta inter Anathotæos adhuc degebat, facile a lectore detegi poterant. Exhibentur vero insidiæ α. figurate, β. proprie magis. α. figurate his verbis, *& ego sicut agnus adsuefactus, qui ad mactandum abducetur, & non novi:* hæc enim cohærent, & secum construenda sunt; secus ac Interpretibus videtur, qui illud *non novi*, cum seq. construunt. Sensus est, se inscium fuisse instar ovis amicæ abductum ad lanienam. Particula ו in ואני *& ego* emphasin, vel usum, habet incipiendi orationem, uti sæ-

pe alias in visionibus, quod jam observavit Schmidius. Nihil hic difficile, quod nobis relictum est: tantum observo, 1. Voces, ככבש אליף, non esse vertendas, *sicut ovis sicut bos*, vel *& bos*, subintellecto vel כ, vel ו, in אליף, quo plurimi inclinant, sed *sicut ovis*, vel *agnus adsuefactus*, adeoque amicus & familiaris; id enim אליף denotat, uti observavit Cl. Schultens *a* Significatur itaque, prophetam hucusque familiariter & amice fuisse tractatum, & inter intimos populares versatum; simul mansuetum & imbellem sese præstitisse. 2. phrasin ולא ידעתי *& non novi* dicere *nec opinato, de improviso:* uti alibi sumitur, 2 Reg. IV: 39. Ps. XXXV: 8. Job. IX. 5; adeoque sensum esse, prophetam, nihil tale opinantem, de improviso fore trucidandum instar agni, ad mactandum duci soliti. Cohæret cum præced., uti notavi.

§ CCXXXIV. β. Sequentia continent emblematis, modo propositi, expositionem verbis magis propriis; *quia contra me machinati sunt* &c: Illud *quia* rationem reddit, & expositionem comprehendit superioris imaginis *agni*, quam sibi aptaverat propheta. Nihil hic difficile nisi in phrasi, *disperdamus frangendo* (quam emphasin originariam habet verbum שחת) *arborem in pane suo:* quæ varios Veterum lusus, & recentiorum interpretationes diversas peperit. Christianorum antiquorum, & medii ævi, satis constans fuit opinio, Christi crucifixionem hic depingi, sive primo, sive secundo & mystico sensu, quæ Pontificiis adhuc maximam partem, &, quod mirum, Capello ex nostris, placet, in versione LXX Interpretum, ἐμβάλωμεν *immittamus lignum in panem ejus*. h. e. crucem in corpus ejus, vel, ut Ghislerius, proverbiali locutione, *crucem* ipsi *in cibum* demus, fundata, levi nimis tibicine, cum nec Hebr. lectioni נשחיתה *disperdamus arborem*, nec Gr. *immittamus lignum* conveniat: quare, Heb. textum fuisse truncatum a Judæis, temere dixit Justinus Martyr, vel corruptum, alii Græcam versionem in hanc mentem varie contorquent. Si enim lectio Gr. sana sit, alium

fer-

a ad h. l.

ferre nequit sensum, licet coactum, ac quem Chaldæus expressit, reddens, *projiciamus venenum mortiferum in cibum ejus*: quod a Christo abhorret; nec huc quadrat. Suspicor Gr. lectionem esse adfectam, & pro ἐμβάλ. legi debere καταβάλωμεν *dejiciamus arborem in panem ejus*, pro *propter* fructum, vel *in* fructu ejus; quod utrumque admittit ἐις *in*, uti notum est. Qua ratione Gr. & Hebr. textus sibi recte conveniunt. Quicquid sit, Hebr. textu standum, & oculos a Jeremia abstrahendos non esse, series orationis extra dubium collocat, estque illud, *non novi*, a Christo plane alienum; cui nescienti aut improviso non acciderunt molimina Judæorum. Mihi placet significatio vocis לחם, qua quemvis *fructum*, etiam arboris, denotat, uti Cl. Schultens observavit; & per *fructum* arboris intelligerem, cum ipso & aliis nonnullis, *prophetiam* Jeremiæ, qui hic cum arbore comparatur, quia Jeremias hic consideratur tanquam *propheta*, & *conciones* ejus propheticæ, sicut ipsius, qua prophetæ, *fructus* sunt, ita solæ invidiam hanc ipsi concitarunt, ac Anathotæos in ipsum irritarunt, utpote peccato & idololatriæ deditos: quod ex vers. 21. manifestum est. Sed, quod hinc sequitur, vocem בלחמו *in fructu ejus*, seu *prophetia*, de *causa* movente machinationum hostilium in Jeremiam caperem, ut sensus sit: *disperdamus arborem in fructu ejus*, h. e. dum hosce fructus fert, & propterea, ut illi in posterum cessent, nec amplius conspiciantur inter nos. *Fructus* enim propterea expresse additur, ut *causa* & *ratio* conspirationis in Jeremiam patesceret, in *concionibus* ejus propheticis quærenda; uti vers. 21. diserte habetur. Quæ si nondum satisfaciant, בלחמו verti poterit, *in virore* vel *succositate* ejus, e לח & מו: uti alibi [a] jam observavi, & deinceps a Clerico [b] jam occupatum vidi.

§. CCXXXV. 3. Sequitur *adfectionis* prophetæ, ex superiore manifestatione ortæ, declaratio, qua, justa indignatione, & pio gloriæ Dei studio, inflammatus, in Dei vindictam ab

[a] ad Mal. 1: 7. [b] ad h. l.

insidiatoribus sumendam consentit, eamque se exspectare indicat, vers. 20. *&*, vel *sed, Jehova judex justitiæ, explorans renes & cor: videbo ultionem tuam ab iis, quia ad Te revelando devolvi litem meam*, h. e. insidiarum revelatione mihi divinitus facta, dixi, Jehovam esse justum judicem, cui intimæ cogitationes & actiones hominum notæ sunt; eoque fundamento nixus me ad ipsum verti, dixique, videbo tuam, non meam, vindictam ab ipsis sumendam; cum tua causa agatur, & litem meam cum ipsis Tibi commiserim decidendam; num verus an falsus sim propheta. *Prius* membrum non est in vocativo accipiendum, ut passim fit, ut sit: *ô Jehova* &c. quod stylus Hebr., inprimis copula ו, non patitur, ut recte Schmidius, sed confessionem prophetæ de Deo continet, qua declarat fidem suam de Deo justo judice, ac omniscio, eo scopo, ut, se cum de insidiarum irrito effectu securum esse, tum de vindicta Dei spem fovere certam, significaret. Copula itaque ו in principio versus recte per *sed* vertitur, ut sit: insidias eorum Deus mihi revelavit, *sed* ego mecum dixi, Deus exercituum est Jehova, judex justitiæ, *explorans renes & cor*; nihil itaque timeo, & malum in caput ipsorum devolvendum esse confido, justitiam enim faciet Deus, qua justus & omniscius judex. Quando, *oratione* ad Deum flexa, recte pergit, *videbo ultionem tuam* &c: acsi dixisset, cum talem de Deo fidem habeam, me ad Deum ipsum vertere ausus fui, & dicere: *videbo tuam vindictam* &c: Quæ verba non sunt precantis aut optantis, sed de futura vindicta persuasi, eamque & adprobantis & exspectantis: non dicit, *precor*, vel *fac*, ut videam, uti capi solent verba, sed simpliciter *videbo*; h. e. certus de eo sum, nec intercedo amplius, sed adprobo potius & exigo; nec *mea*, verum *tua* causa, o Deus, quæ hic agitur, quare non *meam*, sed *tuam* vindictam dicit. Fundamentum vel rationem, quare vindictam exspectet, hæc verba continent: *quia ad Te devolvendo revelavi litem meam*, nimirum sim ne verus, an, quod hostes prætendunt, *falsus* propheta? *Per litem*

meam

Judex non intelligit actionem contra insidiatores, quæ injustos innocentis oppressores, sed controversiam inter eos & prophetam de *persona* prophetæ, num tanquam falsus vates mereatur mortem; quod hostes contendebant. Hanc litem dicit se Deo commisisse decidendam & vindicandam; & eo fundamento nixum, se a Deo exspectare vindictam ab hostibus sumendam: non dicit simpliciter, se Deo *notificasse* litem, sed simul ei agendam *commisisse*, & reliquisse, curam hujus rei in Deum devolvendo. Putem enim verbum istud esse prægnans, & duas radices גלה & גלל in se continere; ita ut forma verbi sit a גלה sed constructio a גלל, cui convenit vocula præcedens אליך *ad te*. Sensus itaque est, prophetam actionem suam cum insidiatoribus partim ad Deum, tanquam judicem, detulisse, quod est *revelare*, *notificare*, in re judiciali, uti recte observatum est, *partim* Deo reliquisse judicandam & vindicandam; absque ut eam ulterius urgeat, aut agat ipse, certus, hoc facto, se visurum *ultionem Dei*, quippe qui pati nequeat, prophetam suum, tanquam falsum vatem, a peccatoribus e medio tolli, in medio muneris cursu. Hactenus itaque nihil directe occurrit de cupiditate, aut imploratione vindictæ, multo minus *propriæ*, uti Interpretes acceperunt: qui, qua ratione eam sancte petere potuerit propheta, inquisiverunt & exposuerunt. Quæ disquisitio hic est superflua.

§. CCXXXVI. 4. Subjungitur vindictæ, de ipsis sumendæ, denunciatio, prophetæ notificata, ut eum spe & exspectatione non fuisse falsum patesceret, vers. 21-23. quæ verba relegam, &, ubi opus fuerit, illustrabo. *Propterea sic dixit Jehova* (ut, veram esse exspectationem tuam, Jeremia, & mihi tuam litem cordi curæque esse, clarescat,) *super viris Anathot* (de illis & contra illos; *Viri Anathot*, antea taciti, nunc expresse memorantur; uti sæpe alias in historicis narrationibus & propheticis concionibus, ubi progressu sermonis quid ad circumstantias additur, sed *viri Anathot* appellantur non sine emphasi, ad crimen exaggerandum, cum

sint populares prophetæ, & de sacerdotali seu Levitica tribu, quorum erat prophetæ opem ferre, non in ejus necem conspirare) *qui quærunt animam tuam* (non ergo omnes cives, sed illi tantum eorum, qui conspirationem hanc inierunt. Quod recte tenuisse mox usui erit) *dicendo, non prophetabis in nomine Jehovæ, & non morieris manu nostra* (pro *ut non moriaris:* quem usum litteræ ו modo ad vers. 18. observavi. Ceterum, licet sermo sit concinnatus, acsi prophetæ hoc palam dixissent, quod verum non erat, cum inter se tecte in ipsum conspiraverint, ut ex superioribus constat, sensus tamen simpliciter est, illos hoc secum constituisse, te, ô Jeremia, vel a prophetando cessaturum esse, vel neci dandum.) *Propterea sic dixit Jehova exercituum* (repetitur majoris emphasios & adseverationis ergo) *ecce me visitantem ipsos* (tanquam judicem, rationem facinorum exacturum, & puniturum) *juvenes gladio occumbent* (viri militiæ apti ab hostibus cædentur in bello), *filii eorum & filiæ eorum fame interibunt*, (reliqui, aut minorennes, aut imbelles, ad domum eorum pertinentes, & moenibus sese continentes, *fame* necabuntur) *& residuum non erit ipsis* (nulli supererunt posteri, memoriam eorum propagantes; sicut *prophetæ* minati erant, *nec nomen ejus memoretur amplius*, vers. 19. Quod non ad omnes Anathotæos pertinet, cum eorum posteri memorentur post exilium Babyl. Ezr. 11. sed, ut modo notavi, ad eos ex ipsis, qui conspiraverant,) *quando adducam malum super viros Anathot, anno visitationis eorum* (exsequar, quod dixi, suo tempore, quo Anathotæos judicialiter visitaturus sum, una cum reliquis Judæis. Vocula כי *quia* hic est nota temporis, & dicit *quando*, uti alibi.

CAP. XII.

1. *Justus tu, Jehova, quum litigabo ad te; verum-*

tamen judicia edisseram tecum: quare via improborum prospera est? liquidi & defæcati sunt omnes perfidi perfidiæ?

2. *Plantasti eos, etiam radicati sunt, procedunt, fructum quoque faciunt: propinquus tu quidem in ore ipsorum, sed longe remotus ab eorum renibus.*

3. *Et tu, Jehova, nosti me, intueberis me, & probasti cor meum tecum. Avelle eos sicut ovem mactationis, consecra eos die occisionis.*

4. *Quousque lugebit terra, & herba omnis agri arescet propter nequitiam incolarum ejus? eraduntur animalia & aves? Quia dixerunt, non videbit extremum nostrum.*

5. *Quia cum peditibus cucurristi & defatigarunt te, quomodo vero decertabis cum equitibus? & in terra pacis cum sis confidens, quomodo vero facies in elatione Jordanis?*

6. *Quia etiam fratres tui, & domus patris tui, etiam ipsi perfidi sunt in te, etiam illi clamant post te vehementer & unanimiter; ne fidas ipsis, quum ad te loquentur amica.*

7. *Dereliqui domum meam, abjeci hæreditatem meam; tradidi dilectam animæ meæ in manum hostium ejus.*

8. *Fuit, & est, mihi hæreditas mea instar leonis in sylva, dedit contra me vocem suam, propterea odi eam.*

9. *Fera hyena hæreditas mea mihi: fera rapax circum contra eam: ite, colligite omnem feram agri, adducite ad depascendum.*

10. *Pastores mali multi corruperunt vineam meam,*

conculcarunt portionem meam, tradiderunt portionem desiderii mei desertum sideratum.

11. *Posuit eam in siderationem, luxit super mihi sideratione, desolata est tota terra, quia, vel quamvis, nemo cor advertit.*

12. *Super omnes colles in deserto venerunt vastatores, quia gladius Jehovæ consumit ab extrema terræ ad extremum ejus, nec ulli carni pax est.*

13. *Severant triticum, at spinas messuerunt, adtriti sunt, nihil profecerunt, adeoque erubescite a proventibus vestris, præ æstu nasi Jehovæ.*

14. *Sic dixit Jehova de omnibus vicinis meis malis & contra eos, qui hæreditatem tetigerint, quam populo meo Israeli in possessionem hæreditariam dedi: ecce! evellam eos e vestigio e terra sua, uti domum Judæ evellam e medio eorum.*

15. *Eritque, ut, postquam evulsero eos, iterum sim eorum miserturus, & reducam eos, unumquemque ad hæreditatem suam, & ad terram suam.*

16. *Eritque, ut, si didicerint vias populi mei, ita ut jurent in nomine meo, vivit Jehova! sicut docuerunt populum meum jurare per Baal, ædificandi sint in medio populi mei.*

17. *Si vero non obediverint, etiam evellam gentem istam, evellendo & perdendo: inspiratum Jehovæ.*

§. CCXXXVII.

V. Quinta revelationis pars, quam continet prophetæ cum Deo, justo judice, disceptationem de justitia mirum Dei, quibus impios florere, & pios adfligi, sinit;

nec

nec tam impios, quam eorum causa terram ac animantia puniit, occasione disceptationis ex superioribus nata, quibus Deus Anathotitas non mox, sed aliquandiu post demum, declaraverat exstirpandos; unde impii in eam venerant vanam opinionem, *diem mali* esse *longinquum*, utique a propheta non videndum; quin ne futurum unquam, quicquid propheta etiam minatus fuerit, nomine Dei, ut putabant, praetenso. Quae summa est pericopae, vers. 1--4. De occasione, modo memorata, partim ex nexu cum superioribus constat, partim ex fine pericopae, vers. 4. *quia dixerunt, non videbit finem nostrum*, quae verba eo scopo ad finem disceptationis subjunguntur, ut *rationem* redderent, & *occasionem*, expostulationis prophetae; ut suo loco observabo. Occurrit itaque in hac pericopa 1. Praefatio, scopum prophetae pium declarans, vers. 1. 2. ipsa disceptatio, seu ejus argumentum, vers. 1--4. 3. ejus ratio & occasio, vers. 4. fin.

§. CCXXXVIII. 1. Scopum suum Propheta pie exponit, vers. 1. *Justus Tu, Jehova! quum litigabo ad Te, veruntamen judicia edisseram tecum*, h. e. etsi justitiam tuam in omnibus tuis viis pie agnoscam, Jehova! etiam quum de iis coram Te litem moverem; attamen, hoc non obstante, & debita cum reverentia ac submissione, nec non pia justitiae tuae agnitione, non quidem exulcerato tecum, & coram Te, litigabo animo, sed controversiam judiciariam tecum agitabo, ac sententiam judicialem pronunciandam urgebo. Not. 1. כי in phrasi, *quia litigabo*, hic usum, modo memoratum, habere, & verti debere *quum*, vel *quando*: uti facile patet, & jam observatum est. 2. Prophetam, cum dicit, *Justus es, quum litigabo, veruntamen judicia edisseram*, indicare, se non tam illud, quam hoc institutorum esse; verbum enim *litigare* ריב litigiosam, & ex animo commotiore ortam, contentionem expostulatoriam comprehendit, creaturae respectu creatoris minus consentaneam, quare, sese corrigens, & reprimens quasi, cum videretur *litigare* velle cum Deo,

dixit, sese tantummodo *judicia differturum* cum Deo; quod mollius est, & humilius paulo. 3. Designat autem ea phrasis actionem *judiciariam* agere, & de *judicio* a Deo instituendo differere. Solet enim verbum דבר peculiari sensu frequentari in actionibus *judiciatibus*, notatque controversiam judiciariam agitare, disceptare & longius deducere: uti sæpe alias observavi. Vox משפטים denotat *judicia*, & causas judiciales, justas & æquas. Quod non est difficile, aut ignotum.

§. CCXXXIX. 2. Argumentum disceptationis, α. proponitur, β. concluditur, vers. 3. fin. & 4 α. Propositio, a. summatim fit, vers. 1. b. deducitur paulo fusius, vers. 2, 3., a. summaria propositio, his verbis; *quare via improborum prospera est, liquidi & defæcati sunt omnes perfidi perfidia?* h. e. justitiæ summi rectoris qua ratione conveniat, vix perspicio, quod improbi & perfidi homines, qui, licet Deum in ore habeant, ab omni ejus reverentia ac juris & æqui observantia alieni sunt, prospere agant, ac tranquille secureque degant, bonis abundantes; pii contra, & Dei ac virtutis studiosi, periculis expositi & cum calamitatibus conflictari soleant. Not. 1. illud *quare* mente repetendum esse in membro posteriore, ut sit *quare liquidi sunt? &c:* 2. propositionem non plene, sed defectuose fieri, cum plena fiat, addita sorte piorum, quare *ego* & *alii pii adfligimur?* vel simile quid. Quod subintelligendum esse, ex re ipsa non tantum, sed & vers. 3., ubi expressa ejus fit mentio, liquet. Impiorum prosperitas expresse tantum memoratur, quia maxime solet offendere pios, & inde omnia oriri solent mala &c: 3. Interrogatio, *quare?* non est nudæ causæ & rationis inquisitio & petitio, sed *negationis* quoque conspectum habet, qua, rationem esse justam, quæ id ferat, negatur. Id quod *disceptationis* conspectus quoque requirit, qua propheta probare intendit, justitiæ Divinæ id non convenire. 4. Denique impios tolerari, non tantum profert in sua disceptatione, sed potentia simul & abundantia omnium rerum gaudere, ac secure & hilariter agere; quemadmodum verba

lia & phrases, quæ nihil habent difficilis, indicant. Emphasin habet verbum שלו, cujus proprietas est in *liquido* & *defoecato*, instar butyri, unde tranquillitatis & securitatis fluxit idea a. Cum vero, כל *omnes* perfidi *perfidia* liquidi sunt, dicitur, illud non est capiendum, acsi *omnes* tales essent prosperi, quod abhorret, sed, eos *impios*, quorum modo mentio erat facta, qui prospere agunt, esse *universitatem* quoque summe perfidorum, seu & *totos* tales. Quod utrumque admittit כל *omnes*. Sic & Ps. XIV: 4. *nonne poenas dederunt* כל *omnes operatores iniquitatis?* &c. ubi vid. dicta.

§. CCXL. *b*. Summariæ propositionis deductio fit, *α*. respectu impiorum prospere degentium, vers. 2. *β*. piorum, vers. 3. *α*. Impiorum vero & prosperitas describitur, & lineæ improbitatis ducuntur, vers. 2. *Plantasti eos, etiam radicati sunt, procedunt, etiam fructum faciunt, propinquus tu quidem in ore ipsorum, sed longe remotus ab eorum renibus*. Descriptio est figurata providentiæ Dei erga improbos & hypocritas, qua singulari Dei cura in loco commodo collocati, ut Deum agnoscant & colant, ipso deinceps sinente & dirigente, non obstante improbitate sua, confirmantur in eo loco & statu, simul in altum evehuntur, & bonis quibusvis tranquille fruuntur, ac, quicquid volunt, efficiunt, votorum compotes facti. Simile, ab arbore petitum, nihil habet obscuri; gradatim vero exponitur successus eorum instar arboris plantatæ, quæ radices agit, in altum surgit, & sese late expandit, quod hic est, ילך, *procedere*, denique *fructus* fert. *Plantatio* est hominis, vel populi, collocatio in loco præparato & commodo, in terra seu civitate; *radicatio* est status confirmatio; *processio* est status amplificatio ac elatio, *fructificatio* est bonorum omnium fruitio, & moliminum successus prosper. Tantum not. *plantationem* Deo directe & immediate, tanquam causæ, adtribui, *tu plantasti* eos, sed reliqua ipsis adscribi, at Deo permittente ac gubernante: ut significaretur, improbos a

a Vid. Cl. Schultens Orig. t. II. p. 52.

Deo fuisse in loco & statu commodo positos, sub spe, ut bene se gererent; sed dein improbos factos a Deo permitti radicari, crescere, & fructus facere: cum Deus id impedire, eosque mox eradicare, debere videretur: ut mox sequitur. Ad improbitatis vero descriptionem pertinet, quod additur, Deum ipsis in ore, sed longe a corde esse, ut, improbitati ipsorum adesse *hypocrisin*, singnificetur; quo pejores adhuc fuerunt. Ex quo simul elucescit, non quosvis solum improbos & in genere intelligi, licet non excludantur; verum tales quoque, qui veram religionem profitebantur, uti Judæi hoc tempore fecerunt; quos Jeremias præcipue intendit. De quo mox. De phrasi, qua hypocrisis depingitur, nihil dico, cum facilis sit intellectu. *Os* & *renes* opponuntur, ut externa & interna hominis, seu religionis externa professio & exercitium, ac interna animi & adfectionum probitas. *Renes* enim & interiora, & adfectiones seu desideria & cupiditates, depingunt.

§. CCXLI. *B*. Piorum vero respectu deductio, defectuose facta, ita sonat, vers. 3. *& Tu, Jehova, nosti me, intueberis me, & probasti cor meum tecum*, scilicet, quod supplendum est, a propheta, commotiore facto, omissum, nihilominus *me adfligi ab improbis pateris*. Suum exemplum proponit, licet piorum sortem in genere simul intendat, propter insidias sibi ab improbis structas, modo memoratas. Sed quid est? *nosti me, videbis me, probasti cor meum tecum*: quorum primum & ultimum nihil difficilis habet; *nosti me, probasti cor meum* est, & ipse per te nosti, me esse tui & legis tuæ studiosum, & me etiam variis modis explorasti integro *corde* præditum, meque non ore tantum, sed & animo *tecum* esse & facere, id enim dicit *cor meum tecum*, scilicet esse. Medium verbum, in fut. occurrens, *videbis me*, difficiliores habet explicatus: duplici modo exponi potest, *altero*, quo usus verbi non admittitur, quo dicit, *certis exemplis experiri, & ad micantes ac splendentes radios videre*, ut Ps. XXXVII. 12. XC. 16. & alibi: quando sensus erit, *nosti me*, & *experie-*

vis me in posterum talem, qualem nunc me nosti, integrum & tui nominis studiosum: quando recte subjungitur, *& probasti me*, scilicet, jam antea; ita & postea experiens, vel potius, *experieris* me, quem nosti, *cum*, vel postquam *probasti*, explorasti; quod alias diceretur, vocibus transpositis, *probasti me, videbis*, pro, postquam probasti experieris: uti Ps. CXXXIX: 1. *pervestigasti me, & cognosces.* Sumitur vero ו *&* alibi quoque pro *postquam* a. *Alter* modus est, quo verbum ראה in malum sumitur, pro acri oculo hostiliter ac contumeliose intueri: occurrit nonnunquam hoc verbum cum pro hostili invasione vel *conflictu*, quo *videre* se invicem dicuntur exercitus hostiles, jam jam conflicturi, 2 Chron. XXV: 22. Ps. XLVIII: 6 tum pro *contumelioso* adspectu, adeoque *despicere* denotat, ut Cl. Schultens ad Job. VIII: 17. observavit. Utrumque conjungere licet, Job. XL: 6. *effunde quaquaversum effervescentias nasi tui; & adspice omnem elatum, deprime illum.* Quod si huc transferas, adflictionem quasi hostilem piorum significabit, & sensus erit, *& tu, qui nosti me probum, adspicies me?* per interrogationem, hostiliter & contumeliose tractabis? cum impios florere sinas. Quo admisso, non opus erit supplemento, modo memorato, sed plena erit oratio, quæ & pietatem, Deo notam, & hostilem tractationem, seu adflictam pii sortem, comprehendet.

§. CCXLII. 3. Sequitur disceptationis superioris conclusio, sententiam a Judice supremo pronunciandam & mox executioni mandandam comprehendens, vers. 3 & 4. his verbis; *avelle eos sicut ovem mactationis, consecra eos diei occisionis: quousque lugebit terra, & herba omnis agri arescet, propter nequitiam incolarum ejus? eraduntur animalia & aves?* h. e. Tales cum sint improbi, quales descripsi, justitia tua exigit, ut non amplius tolerentur, sed quantocyus in aliorum exemplum violenta morte e medio tollantur judicio tuo, instar *ovis*, a grege avulsæ, & ad mactationem desti-

a Jos. VII: 25. Deut. XXIII: 25. Jes. [illegible] in fram & alibi

stinatæ. Parum est, quod terram siccitate visites, quæ bestias magis & agros, quam peccatores, ferit, nec eos solos, sed cum iis pios; quod ipsum te movere debeat ad ipsos peccatores tollendos, ne tanta amplius inde oriantur mala in terra, impietatis causa inflicta. Verba non habent proprie conspectum precum, ut recte vidit Schmidius, sed *juris*, quasi dicas, juris sane foret, æquum esset &c: addo, sententiam judicialem hic a propheta exhiberi, quam ipse velit a Deo pronunciari, & executioni mandari; propter quam *judicia disseruerat coram Deo*, ut supra habuimus. Quæ sententia 1. proponitur, vers. 3. 2. urgetur, vers. 4., 1. Proponitur, his verbis: *avelle ipsos, sicut ovem mactationis, consecra eos diei occisionis*, h. e. a communione reliquorum separa, ac dedica eos diei occisionis, instar *ovis* a grege avulsæ, &c. Prius verbum, *avelle eos*, ducit ad separationem ovis a grege: quo fere sensu occurrit verbum נתק Jos. VIII: 6. Jud. XX: 31. & alibi, & posterius ad solennem occisionem, tanquam in die festo: sensus est, peccatores mox & publico judicio destruendos. In quo nihil obscuri. 2. Sententiæ prolatio, ac judicii executio, urgetur a calamitate, ab iniquitate sceleratorum orunda, quam agri & bestiæ magis experiuntur, quam peccatores, nec ii soli, sed cum illis pii quoque, & *sæpe magis*. Quo simul tollitur exceptio, acsi Deus non impunita relinquat peccata; sed siccitate ac egestate vindicet; quod poenarum genus negat sufficere; quin illud ipsum debere incitare justum judicem ad impios tollendos, ne eorum causa tot amplius existant in terra mala. Huc tendunt verba: *quousque lugebit terra*, &c: in quibus nihil est obscuri, nisi forte in ultimo membro, *pereunt*, rectius, & vi verbi ספה in *ratione* sitæ a convenientius, *eradiuntur*, quod magis emphaticum, & violentam necem dicit, *bestia & aves*; sed quæ jam recte expedivit Schmidius, repetendo ex præced. *quousque:* quare nihil addo.

§. CCXLIII. 3. Subjungitur tandem ratio & occasio super-

a Schultens Orig. l. 3. c. 13.

perioris disceptationis, verf. 4, his verbis: *quia dixerunt, non videbit extremum nostrum*; nim. Jeremias, qui Anathotæis extremum excidium modo nomine Dei denunciaverat: ut a nonnullis recte observatum est; de *Deo* enim commodo sensu exponi nequit, ut aliis visum. Sensus vero est, Jeremiam non visurum implementum interminationum, potius ante tollendum & occidendum; quin imo, vanas fore minas ejus, quæ nullum habebunt effectum; adeo ut, *non videbit extremum hostium*, idem sit, ac nullum erit tale *extremum* nostrum: uti vulgo, aliquem minantem repellentes, dicere solemus, *ipse non videbit*, nihili sunt, quæ minatur. Respicitur itaque ad judicii denunciationem, cap. præced. factam. Sed quid sibi hæc verba volunt, & quo tendunt? qua ratione cum superioribus per *quia* connexa sunt? Vix equidem dubitaverim, quin ad ansam & rationem præcedentis disceptationis pandendam in fin. subnectantur per *quia*; ut sensus sit: movit me ad hanc expostulationem, quod improbi hi homines, qui in me, qua prophetam, conspirarunt, minas meas, nomine Dei prolatas, plane spreverint, & mihi illuserint, adeoque sese plane incorrigibiles præstiterint, dignos itaque, qui non tolerentur amplius a Deo, sed e vestigio exstirpentur. Ex quo simul patescit, 1. prophetæ disceptationem non de quibusvis peccatoribus, sed plane obstinatis & obduratis fuisse. 2. in specie pro objecto habuisse non tam hostiles populos, ut nonnulli putant, quam Judæos; quibus etiam unice convenit, quod verf. 2. habuimus; *Deum ipsis in ore esse, non in corde*, & quidem præcipue Anathotæos, qui necem ejus voluerunt. 3. Denique expostulationem eo ultimo spectasse, ut peccatores acrius pungerentur & convincerentur tanquam e vestigio delendi, nisi Deus extraordinariam exerceat longanimitatem: esse utique statum eorum tantopere depravatum, ut pii non possint non in querelas erumpere de justitia Dei quasi obscurata per eorum tolerantiam. De quo Calvinus jam aliquid monuit.

§. CCXLIV. VI. *Sexta* revelationis pars continet respon-

sum Dei ad praecedentem querelam & expostulationem, eo tendens, ut, impatientia & meticulositate animi deposita, ad patientiam, constantiam & fiduciam, majorem excitaretur, eaque ratione ad graviora discrimina audacter subeunda, quae ipsum manerent, praepararetur; adeoque simul instrueretur de *scopo* Dei in hostibus ejus, qui vitae ipsius imminebant, tolerandis; ut per eos exerceretur, & aptior fieret ad majora pericula & obstacula intrepide ferenda. Qui verus est conspectus & scopus, vers. 5 & 6. a nonnullis interpretibus ex parte recte intellectus. Recenseamus verba, & exponamus per partes. *Quum cum peditibus cucurristi & defatigarunt Te, quomodo vero concertabis cum equitibus?* h. e. hominum, sorte & auctoritate ac potentia Tibi aequalium, oppositiones & conspirationes quum patienter & constanter ferre nequeas, in querelas expostulatorias mecum propterea erumpens, & eorum festinam exstirpationem postulans, ut ab iis libereris; quemadmodum modo fecisti: quid ergo tecum fiet, *si cum* longe majoris auctoritatis ac potentiae hominibus tibi concertandum erit? feci itaque leviores hasce Anathotaeorum infestationes Tibi evenire, ut exercearis, & ad graviora ferenda aptior fias, ac animosior. Anathotaeos cum *peditibus*, & *Hierosolymitanos* cum *equitibus* comparari, quod illorum minor, & horum longe major, sit autoritas & potentia, illorum etiam minus aperta ac obstinata, quam horum, foret infestatio, ab Interpretibus jam est observatum, nec intellectu difficile. In verbis quoque parum est obscuri, nisi in תתחרה; cujus radix & significatio varie statuitur. Mihi placet radix חרה proprie *arsit*, & *aestuavit*, unde inter alia ad *ardens studium*, & concertationem vehementiorem, transiit. Est autem תתחרה species perfecti formae quadratae, per ת praeformativum a.

§. CCXLV. Sequitur, *& in terra pacis quum confidens sis, quomodo vero facies in elatione Jordanis?* h. e. quum non nisi in terra tranquilla & amica securus & animosus esse queas,

a Vid. Schultens Gr. p. 313.

queas, ne leviores quidem hostilitates ac commotiones ferre valeas, sed mox perturberis, & metu perculsus animum frangas; ut ex tua querula expostulatione super Anathotæis, te infestantibus, colligendum videtur: quid ages? qua ratione officio animose defungeris, quum omnia fuerint in terra perturbata, & graviora tibi pericula incumbent? Curavi itaque, ut leviora tibi discrimina ab Anathotæis occurrerent, ne existimares, tibi in terra pacata semper esse versandum, sed ut ad graviora longe discrimina & certamina parareris. Not. *a.* repetendam esse in priore membro particulam כי *quum* ex præcedente. Quod facillimum est. *b. Prius* membrum, *confidere in terra pacata & amica*, non directe pertinere ad Anathotæos, acsi eorum oppositiones, relatæ ad sequentes graviores, cum *terra pacis* compararentur, quod abhorret, sed indirecte & per oppositionem, hic per ellipsin non expressam, sed subintellectam, hac ratione: quum *in terra pacis confidis*, scilicet solummodo, ita ut ne leviores ferre queas commotiones & infestationes, quales Anathotæorum sunt, quæ animum tuum aliquo modo fregerunt. *Terra pacis* est tota tranquilla, amica & quieta; in qua propheta videbatur tantum secure degere posse; opposite ad terram per motus Anathotæorum in Jeremiam turbatam: ut sensus sit, si ne minimos ferre possis motus hostiles, sed terram requiras totam tranquillam; *quomodo facies in elatione Jordanis?* Interpretes hic hæserunt, quod emphasin *terræ pacis* non observarint, exclusis etiam levioribus oppositionibus hostilibus, & ad ellipsin orationis non adtenderint, *ut ferre nequeas minores motus:* uti modo notavi. Clericus cum se expedire non posset, putavit excidisse לא *non*, ut sit, *si non fidas in terra pacata* inter pacatiores homines Anathotæos, *quid faceres inter homines feroces?* quod sensum plane pervertit: ut ex dictis liquet. *c.* Posterius membrum, *quomodo faceres in elatione Jordanis?* respicit ad tumidos Jordanis exundantis fluctus, supra ripas sese elevantes, & proxima prosternentes. Videtur vero proverbialis esse locutio de sum-

mo

mo periculo a superbis & potentibus illato, adeoque nos ad cogitandum ducit de gravioribus & periculosissimis potentum & magnatum oppositionibus, quæ prophetam in præsentissimum conjicerent periculum, quale subeunt qui Jordani elevato proximi sunt. Oppositio instituitur ad leviores Anathotæorum infestationes, tacite & per ellipsin superiore membro comprehensas: uti exposui. Radix גאה proprietatem habet *in eminendo per sui extensionem*, vel *tumescendo*, & de aquis intumescentibus usurpatur; unde inter alia ad *violentas grassationes*, cum superbia conjunctas, transfertur a.

§. CCXLVI. Subjunguntur denique hæc verba, quorum scopus difficilius enucleatur: vers. 6. *quia etiam fratres tui, & domus patris tui, etiam ipsi perfidi sunt in te; etiam illi clamant post te vehementer & unanimiter; ne fidas illis, quum loquentur ad te amica.* Interpretes scopum horum verborum non adsecuti sunt, quod non observarint, rationem hic reddi, quare Deus prophetam de gravissimis infestationibus, ipsi eventuris, admonuerit, adeoque eo tendere, ut propheta de iis certior fieret, ne putaret, eas sibi vix occursuras esse: sensus ergo est, ne tibi promittas pacatiora tempora, aut graviora ne existimes pericula te non tactura; est utique tibi cum equis concertandum, & elatio Jordanis in te incidet: quod ne mireris; manifestum tibi facio occultum facinus non Anathotæorum tantum in genere, cujus supra memini, sed & consanguineorum ac domesticorum tuorum, qui æque in te perfidi sunt, occulta facinora in te *foventes*, quod est גזה, &, te absente, convicia, & minas evomentes plenissime, & spissime: adeo ut nec iis, si vel amica tecum loquantur, fidere possis. Ex quo facile colligere poteris, quid a reliquis, etiam potentibus, exspectandum habeas. Verba itaque *rationem* continent, quæ prophetæ persuadere possit, omnia hostilia sibi esse a potentibus metuenda, inde petitam, quod vel nunc ipsi domestici, & proxime conjuncti, in eum quoque conspirarint, & non Ana-

a Vid. J. W. Schroeder ad Ps. x: 2.

Anathotæi tantum quicunque, vel quod ea ingruant tempora, quibus, ut dicitur, *hospes non est ab hospite tutus*, uti c. IX: 3. habuimus. Quo posteriore admisso, כי recte vertitur *quum*, & ad proxime præcedentem *elationem Jordanis* explicandam tendit quod hic habetur, adeoque non necesse est statuere, jam hoc ipso tempore consanguineos in prophetam conspirasse: sed sequentium temporum erit tristis imago. *Fratres* itaque & *domus Patris* non sunt in genere Anathotæi, sed propiore vinculo cum propheta conjuncti, secus ac Interpretibus visum est, *cum* quod phrases diversæ sint, supra enim *viri* Anathot, hic *fratres* & *domus patris*, adpellantur, *tum* quod Anathotæorum conspirationem, supra jam memoratam, repetiisse nihil adtineat, *tum* denique quod conspectum habeant verba *nova* revelationis. In verbis parum est obscuri. Not. tantum I. phrasin, *clamarunt post te plenissime*, adferre convicia & minas, ipso absente, factas, & unanimiter & studiosissime, seu vehementissime: quod hic est מלא; quæ vox summum rei gradum & cumulum solet designare; nonnunquam etiam de *conspiratione* sumi, usu orto ex pleno consessu, & impetu pleno partium conspirantium *a*. Sed pollet phrasis, *clamare* מלא, majore emphasi, cum scopo etiam conjunctiore, ex usu vocis מלא, quo nobilium & optimatum consessum denotat; uti Cl. Schultens alibi *b* observavit: unde ex mea opinione explicandus est locus Jud. IX: 6. ubi ad Abimelechum confluxisse dicuntur cives Sichemi, & *tota domus* מלא, h. e. nobilium & magnatum tribus Ephraim, in ea urbe *consessum* habentium. Sichem enim tunc jam fuit totius tribus Ephraimiticæ *civitas*, ut postea sedes regni sub Jeroboamo. *Clamare* itaque מלא denotabit potentum & magnatum consessum excitare, & convocare *post Jeremiam*, ad eum persequendum. Quod etiam est קרא, de *militibus* convocandis quoque teri solitum; uti השמיע *audire facere*, pro excitare præconio, I Sam. XXIII: 8. I Reg. XV: 22.

a Vid. Schultens ad Job. XVI: 10. *b* ad Gen. XLVIII: 14.

22. Quæ quam apte huc quadrent, ex dictis elucescit. 23. Ultima verba, *ne fidas ipsis, quum bona vel amica tecum locuti fuerint*, ad eosdem domesticos, & non ad alios, aut Hierosolymitanos, ut Schmidio & aliis placet, pertinent, relativum in hoc requirente, cum aliorum nulla facta sit mentio: & eo collineant, ut propheta muniatur contra hypocrisin eorum, ne inde colligat, *domesticos* sibi fore amicos, non *inimicos*. Conf. Prov. XXVI. 24, 25.

25. §. CCXLVII. VII. *Septima* revelationis pars continuationem pericopæ, c. XI: 15-19. per insidiarum Anathothæorum in Prophetam revelationem, indeque ortum colloquium inter Deum & prophetam, abruptæ, comprehendit, & cum ea connectenda est, adeoque *sententiæ* Dei judicialis, vers. 17. memoratæ, summam repræsentat, vers. 7-9. Subnectitur vero expostulationi prophetæ, ut ipse de certitudine judicii Dei in impios quoque certior fieret ulterius, adeo etiam, ut *funestum impiorum exitum* visurus sit, secus ac dixerant, *non videbit extremum nostrum*, vers. 4. fin. & judicii exsecutionem, quam urgebat propheta, ante fores esse declaretur. Hunc putem esse conspectum, & cum præcedentibus nexum, pericopæ, vers. 7-9. quæ *sententiæ* judicialis, a Deo jam pronunciatæ, una cum rationibus ejus, *summam* repræsentat; & propterea in præt. vel perf. occurrit, non in fut., cum de ipsa destructione hic non agatur, sed de sententia *judiciali* destructoria, quam Deus nunc pronunciavit; sed mox exsecutioni dabit. Quod utrumque, una cum rationibus moventibus, distincte exhibetur, a. *sententiæ* pronunciatio, his verbis, vers. 7, 8. *Dereliqui domum meam; abjeci hæreditatem meam; tradidi dilectam animæ meæ in manum hostium ejus: fuit & est mihi hæreditas mea instar leonis in sylva, dedit contra me vocem suam; propterea odi eam.* h. e. sententia decretoria Templum, terram & populum, quam arctissime etiam mihi devinctum, & ardentissime dilectam alias, cura mea exsolvi, abjeci, & promiscuæ direptio-

mi ac cædi exposui, tradidique in manus hostium; propter ea quod instar leonis in sylva, furiosi & famelici, rugitum hostilem in me edidit, meumque amorem in odium sui convertit. Verba, ut dixi, non ipsam destructionem, sed sententiam decretoriam de totali excidio, continent vers. 7. & ejus rationem vers. 8. nec habent multum obscuri. Vers. 7. occurrit sententiæ propositio, & ejus illustratio: *prior* his verbis, *dereliqui domum meam, abjeci hæreditatem meam*, h. e. Templum cum Hierosolyma, ejus sede, & civitate, quam elegi, nec non *terram* Cananæam cum populo meo, cui eam dedi, cura mea exsolvi, & abjeci, ac destructioni promiscuæ exposui. *Domus* Dei & Templum, & ejus sedem, regnique metropolin, quam Deus tanquam supremus rex inhabitabat, & ubi colebatur, denotat: *hæreditas* vero Dei dicit & *populum Dei*, & terram promissam; ut ex seq. & vers. 14. patet. Verba vero עזב & נטש significant *derelictionem*, cura omni cessante, & abjectionem. *Prius* עזב speciatim usurpatur de neglecto, omisso, & sibi relicto, grege, ut sine pastore vagetur, & de re, quæ amplius non curatur: *posterius* נטש proprie est, *exsolvit*, inde *neglexit*, rem cura nostra exsolvendo, & sibi relinquendo, inde promiscui juris facere ad cædem & lanienam. Propositionis illustrationem continent seq. verba; *dedi dilectam animæ meæ in manum hostium ejus*: unde liquet, phrasin, *dilectam animæ Dei*, pertinere & ad *domum Dei*, & ad *hæreditatem ejus*, utramque rem Deo maxime gratam, & amatam. Additur sententiæ ratio, vers. 8., in eo sita, quod populus instar furiosi leonis in Deum rugitum emiserit, hostilem suum animum omni modo in Deum patefecerit, &c. Quod non est difficile, & ab Interpretibus satis explicitum.

§. CCXLVIII. β. Ad sententiæ executionem brevi & facile faciendam hæc verba pertinent, vers. 9. *Fera hyæna hæreditas mea mihi: fera rapax circum contra eam: ite colligite omnem feram agri, adducite ad depascendum*, h. e. sicut hyænam, feram truculentam, & versicolorem, sese mihi exhibet

hæreditas mea respectu populi eam inhabitantis, ita & circa ac contra se habet feras quascunque rapaces, quæ ei imminent, jussum meum tantum exspectantes: ite ergo, & colligite omnes agri feras, ac ad vescendum, seu terram consumendam, adducite, quicunque vultis & potestis; do vobis potestatem & licentiam. Quorum sensus est, populos vicinos hostiles esse contra Judæum populum colligendos, ut eum cum terra depascantur & destruant, quia æque in Deum hostilis est, ac populi vicini in eum. *Primum* membrum exponit hostilem populi in Deum adfectum, sub emblemate *feræ hyænæ*, trucis admodum & indomitæ, simul versicoloris; quem esse vocis צבוע significatum docuit Bochartus *a*. Depingit itaque hypocriticum, seu varium, populi in Deum & idola adfectum, simul hostilem in legem Dei & indomitum animum; denique sævum & truculentum adfectum, feris sævissimis, quam hominibus mansuetis, similiorem. *Secundum* membrum, *fera rapax circum apud* vel *contra eam*, pertinet ad populos vicinos in circuitu Judæorum, æque rapaces ac truculentos, & Judæis ac terræ eorum imminentes. Quod additur, ut indicaretur, non deesse, qui Judæos undiquaque invadant, modo Deus permittat: habere enim populum Judæum in circuitu tales feras rapaces, quemadmodum sese Deo præstabat; quas itaque cito colligi poterant ad populum Judæum deprædandum & vastandum. Interpretes aliter instituunt; sed, quod adtuli, sese facile commendat: quare nihil addo, nisi עיט esse in genere *feram rapacem*, sive ex volatilium, sive animalium, genere *b*. Additur itaque apte, *ite colligite omne animal agri*, seu quascunque feras, quæ eo nomine venire solent, *adducite ad depascendum*. In quibus nihil est obscuri. Phrasis, *ite congregate* &c: nihil aliud dicit, quam Deum id permittere, & curaturum, ut fiat.

Quæ

a Hieroz. p. I. l. III. c. 8. Vid. etiam Ez. Spanhem. Numism. IV. p. 207. & Ludolf. ad hist. Aeth. p. 152. *b* Vid. Bochart. ib. p. I. l. III. c. 11.

Quæ vero hic feræ agri adpellantur, eædem sunt, quæ modo nomine עיט erant insignitæ.

§. CCXLIX. Sed ne quis hic erret, & Judæum populum cum fera, a feris vicinis diripienda, comparari autumet, ut vulgo solet, quod minus congruum est, cum feræ in sui similes non adeo irruant, observari velim, *hæreditatem* Dei hic esse ipsam terram Cananæam, populo in possessionem, ut eam incolat, datam, eamque hic sisti tanquam, respectu populi Judæi, *feram hyænam* Deo factam, quatenus populus sese talem Deo præstitit: & de terra fecit *speluncam latronum* c. VII: 12. Præterea hanc ipsam hæreditatem, quæ proprium populum nunc experiebatur *feram hyænam*, mox a vicinis populis tanquam feris, & aliis quibuscumque *feris terræ*, esse occupandam, spoliandam & vastandam. *Fera* itaque *hyæna* est ipse populus Judæus, *hæreditatem* Dei diripiens, & Deo, Domino terræ, insultans, eoque ipso a Deo terram deserendi, vers. 7., & vicinis aliisque populis eam invadendi, occasionem & causam præbens. *Fera* enim *circum contra eam*, non feram *hyænam*, modo memoratam, sed *hæreditatem*, quod aff. foem. in עליה quoque requirit, vicinos populos depingit, sicut *feræ agri* quoscunque alios, ut Chaldæos in hanc hæreditatem Dei impetum facturos, eamque spoliaturos & vastaturos. Proxime convenit locus Jes. LVI: 9-12, nisi quod latius sese porrigat, calamitatem Judæorum summatim complexus, & Babylonicam & Epiphanicam, ex corrupta in primis procerum statu ortam; quæ dein latius & per partes describuntur. Quæ vero hic *ferarum* nomine veniunt gentes vicinæ & hostiles, ibi *feræ agri* adpellantur, quibus *feræ sylvæ*, Syro-Macedonum emblemata, adduntur; quibus conceditur, *ut veniant & edant*. Israelitæ vero, in primis proceres, qui hic cum fera *hyæna* comparantur, ibi canes, loco custodum agri voraces & raptores facti, adpellantur.

§. CCL. *Octava* revelationis pars sententiæ, modo prolatæ, executionem, seu totalem terræ & populi destructionem

aterrimis coloribus depictam repræſentat, una cum glorioſa rerum collapſarum inſtauratione, quam ipſi populi vicini hoſtiles participarent, ſi mores populi Dei exprimere velint, alias in perpetuum delendi, verſ. 10-17. Cujus pericopæ duæ partes ſunt, *altera* excidium populi, verſ. 10--13, *altera* ejus inſtaurationem, verſ. 14--17. exhibet: ſed *prior*, verbis præt. temp., *poſterior* fut. temp. Cujus rei ratio eſt, non tam quod futura tanquam præſentia ſoleant prophetæ ob rei certitudinem, & quod in rerum futurarum contemplationem ducti ſint, deſcribere, quam quod prior, in re futura, habeat conſpectum præteriti, relate ad poſteriorem, quæ eam exciperet. Quem uſum præt. tempus ſæpe habet; ſed & hic eo magis captavit propheta, ut, deſtructionem eo tandem a Deo eſſe dirigendam, indicaret, ut populus redderetur melior, & vindictam quoque de populis vicinis conſpiceret: acſi propheta dixiſſet; deſtruetur & occupabitur quidem terra populi Judæi a populis vicinis, ſed non impune, nec in perpetuum, verum, cum deſtructa fuerit, vindicta ſumetur ab hoſtilibus populis, & Judæi inſtaurabuntur, adeo etiam ut vicini populi non niſi per communionem cum populo Dei felices ſint futuri, ſcena rerum plane immutata.

§. CCLI. *Prior* vero pars, deſtructionem deſcribens, α. a Deo proponitur, verſ. 10. β. a propheta deducitur & fuſius traditur, verſ. 11--13. Verba enim, verſ. 10., ſunt Dei ipſius, vel ejus nomine prolata, ſed deinceps de Deo in tert. perſ. agitur; præterea accipiunt verba ex hac hypotheſi faciliores explicatus, & orationis tenor rectius ſervatur, ac a tautologia liberatur. Interpretes ſeſe hic implicitos demonſtrarunt, & varie inſtituerunt. α. Propoſitio ita ſonat; verſ. 10. *Paſtores mali multi corruperunt vineam meam, conculcarunt portionem meam amuſſitatam, tradiderunt portionem deſiderii mei in deſertum ſideratum.* Verba eſſe non ipſius populi, ut Schmidius, nec *prophetæ*, ut alii, ſed *Dei*, recte nonnulli obſervarunt, quia Deus, verſ. 7. in præced., & verſ.

vers. 14. in seq. eadem ratione loquitur: nec alterius, ac Dei, *vinea* ac *portio* commode dici potest populus Judæus. Verba nihil habent difficilis; totalem vero continent & terræ & populi Judæi destructionem per populos vicinos. Tantum notetur ambiguitas in voce רעים, quæ, pro diversitate punctorum, & *pastores* & *malos* denotat; quam utramque potestatem hic admittere licet, ut & *pastores*, seu reges & præfectos, & *malos* ac hostiles designet; quia vers. 14. diserte adpellantur *vicini mali* hac ipsa voce רעים.

§. CCLII. a. Propositionem, nomine Dei factam, propheta suo nomine illustrat, destructionem illam gradatim & vario modo factam, repræsentans, vers. 11--13. per siccitatem & sterilitatem nimirum & hostium invasiones: cujus utriusque judicii supra, vers. 4 & 9., quoque meminerat, & utrumque Judæi, ut constat, experti sunt. α. Ad sterilitatem, indeque natam rerum penuriam, quam cap. XIV. graphice depingit, refero vers. 11. *Posuit eam in siderationem, luxit super mihi sideratione, desolata est tota terra, quia, vel quamvis, nemo cor advertit*. h. e. Præmisit Deus judicium sterilitatis terræ, ut populus ad animum revocaret, & se ad Deum converteret; desolata quidem terra est, & luxit super calamitate sua, sed nemo animum debite adplicuit. Verba continent judicium Dei castigatorium, plenariæ destructioni præmissum, ut, si posset, ea per populi conversionem præveniretur: sed sine effectu, cum nemo ad animum retulerit. *Judicium* vero situm erat in *sterilitate* terræ, a Deo inmissa: cujus supra etiam meminit propheta, vers. 4, & descriptionem dat cap. XIV. Ex hac hypothesi cuncta faciles acquirunt explicatus. *Posuit eam*, scilicet, terram, *siderationi*, nimirum Deus, de quo hic sermo est, uti ex præced., ubi Deus locutus erat, facile colligitur. Vox שממה proprie signat *siderationem*, quasi urente & pestifero afflatu, unde *sterilitas* oriri solet: sequitur, *luxit super mihi sideratione*, nimirum terra per siderationem flaccida & languida facta; quam emphasin habet verbum אבל. *Luxit* terra, inquit

quit propheta, & non populus poenitentia adfectus, uti supra, vers. 4. *Luxit super mihi sideratione*, h. e. super sideratione. Vocula enim עלי, quæ vehementer torsit Interpretes, habet י paragogicum, cum emphasi abundans, ut Lat. *mihi*; sicut sæpe alias. Ultimum membrum, *quia nemo cor advertit*, sistit frustraneum judicii effectum; cum nemo ad animum debite retulerit ad conversionem. Vocula כי recte vertitur, *quamvis*; ut sæpe alias. Sed si כי retineat vim causalem, cum seq. connnecti debent hæc verba, ut rationem dent totalis excidii per hostes, quia nullo alio judicio populus in ordinem redigi poterat.

§. CCLIII. β. Hostiles invasiones, plenariam totius pascuæ terræ destructionem adlaturas, subjungit propheta, vers. 12. *Super omnes colles in deserto venerunt vastatores, quia gladius Jehovæ consumit ab extremo terræ ad extremum ejus, nec ulli carni pax est*, h. e. totam terram, hominibus & animantibus abundantem, gladius Jehovæ destruet per vastatores, qui nulla loca relinquent intacta, sed *colles* quoque in *deserto*, seu locis pascuis, (id enim hic est, ut alibi, *desertum*, opposite ad agros conseri solitos) invadent, ita ut nusquam sit locus refugii ulli carni, aut hominibus aut animantibus. Pertinet itaque hæc calamitas proprie ad *loca pascua*, quare *clivi* seu colles memorantur *in deserto*, ut modo observavi. Sed addit propheta *terræ frugiferæ* quoque desolationem, vers. 13. *Severant triticum, at spinas messuerunt; adtriti sunt, nihil profecerunt: adeoque erubescite a proventibus vestris, præ æstu nasi Jehovæ.* Verba varie solent accipi, vel proprie, vel tropice, sed vix dubitaverim, quin simpliciter dicant, agros frugiferos, unde triticum solebant metere, nunc plane desolatos fore, ut nil nisi *pudorem* adferant possessoribus, & cultoribus eorum: sive sensus sit, agros, ab ipsis magno labore excultos & consitos, vastandos esse, ut in posterum non nisi spinas proferant, quod tempore invasionis populorum hostilium contigit; *sive* etiam agros, conseri alias & excoli magno labore solitos, in sterilia loca

esse commutandos, ut non nisi *spinæ excrescant*, omni cultura cessante. Pertinet itaque hæc desolatio ad *agros*, sicut superior ad *loca pascua*. In verbis nihil est obscuri; nec personæ mutatio de tertia in secundam, oratione ad Judæos versa, *adeoque erubescite de proventibus vestris*, quoque quid insoliti habet.

§. CCLIV. *Posterior* pericopæ pars continet superioris judicii temperamentum, & lætum effectum, in populi Judæi instauratione, & benedictione, situm, vers. 14-17. Quod cum singulare foret bonum vix sperandum, propheta, in rei confirmationem, & ad piorum in populo solatium, præmisit solennem illam formulam: *sic dixit Jehova*, Deus summus & verax, qui dictis fidem præstabit. *Tria* vero hic promittuntur populo Judæo. α. hæreditatem populi, in exsilium abducti, non esse a populis vicinis occupandam, seu retinendam; cum & ipsi illi, qui hoc tentaverint, sint severe puniendi, & in exsilium quoque abducendi, vers. 14. *Sic dixit Jehova de omnibus vicinis meis malis, & contra eos, qui hæreditatem tetigerint, quam populo meo Israeli in possessionem hæreditariam dedi; ecce evellam eos e vestigio e terra sua, uti domum Juda tollam e medio eorum.* Sermo est non tam de populi Judæi & terræ ipsius destructoribus, quorum supra facta est mentio, sed *vicinis* populis in circuitu, Moabitis, Ammonitis, Idumæis, Philistæis, & Phoenicibus, aliisque, qui Judæis in exsilium abductis, eorum terras sibi vindicarent. Appellantur enim *vicini*, & Juda dicitur in *eorum medio esse*, nec destructionis, sed invasionis terræ rei aguntur; non itaque *Chaldæi*, sed memorati populi intelliguntur. *Crimen* ipsis imputatur, quod *tangere* instituerint *hæreditatem* Judæorum, terram & possessionem eorum; manus scilicet in eam, nunc vacuam, Judæis exsilio mulctatis, immittendo, & sibi attribuendo. Quod hic est נגע *tangere*, cujus proprietas est in *adpactione*, uti in Gr. τάγω, τάγειν, unde Lat. *tango*, & ἅπτω *cum nexu pango*. Exprimit itaque firmam terræ possessionem, sibi vindica-

clarius Declarat vero Deus, conatus illos irritos fore, quia mox ipse eos, & quidem populos illos, evellendo e terris suis, & in exsilium mittendo, quod est, ut notum est, eam ipsam sortem subituri, quam Judæi: quod expresse additur, *& domum Judæ evellam ex medio illorum*, sive *sicut*, sive *postquam*, ut sit vel, *sicut evellam*, vel *postquam evulsero*: utrumque enim usus admittit aliquando. præf. *&c.* Sed quid sibi vult, *e medio ipsorum*, populorum vicinorum? Interpretes id expedire non potuerunt, & aliena etiam sectati sunt. Sed vix dubitaverim, quin *partim* ad situm terræ Judæorum, *partim* ad statum eorum moralem respiciatur, cujus utriusque respectu Judæi dici possint in *medio* populorum illorum fuisse, quia & undiquaque cincti fuerunt vicinis populis, qui propterea adpellantur *in circuitu* eorum, & cum illis communitatem religionis ac institutorum vitæ habuerunt, idololatriam ab iis edocti; quem posteriorem sensum hæc phrasis habet, vers. 16. ut mox patebit. Hac ratione omnia sunt facilia.

§. CCLV. Secundum promissum est reductio omnium, & vicinorum & Judæorum, in avitas possessiones, vers. 15. *eritque; ut, postquam evulsero eos, eorum iterum misertus sim, & reducam eos unumquemque ad hæreditatem suam, & ad terram suam.* Nihil hic obscuri; tantum not. promissum ad *vicinos* populos non esse restringendum, sed ad *Judæos* quoque extendendum, cum *omnes* hic intelligantur, quorum modo facta erat mentio. Posset quoque, quod Ghislerii observatum est, *hæreditas* ad Judæos, & *terra* ad gentes referri, cum *hæreditatis* Judæis a Deo datæ, & a gentibus occupatæ, modo facta fuerit mentio expressa. Vicinorum restitutio expressius memoratur, quod singulare quid foret; & ut Deo quoque acceptum ferendum esse inculcaretur, simul via sterneretur ad *scopum* hujus reductionis pandendum, qui mox exponitur, in laudem populi Judæi; quippe cujus possessiones tantum abesset ut sibi vindicarent populi vicini, ut non nisi per communionem cum Judæis pro-

prias retinerent. Quod 2. *tertium* est beneficium, vers. 16 & 17. memoratum, *eritque, ut, si didicerint vias populi mei, ita ut jurent in nomine meo, vivit Jehova! sicut docuerunt populum meum jurare per Baal; ædificandi sint in medio populi mei, si vero non obedìverint, etiam evellam gentem istam evellendo, & perdendo; inspiratum Jehovæ.* Quibus indicatur, α. Judæos reduces ab omni idololatria fore purgatos, β. singulari Dei favore & benedictione gavisuros: quo *ædificationis* emblema tendit; uti facile intelligitur: pertinet vero ad tempora Maccabaica. γ. benedictionem inde ad vicinos manaturam esse, δ. nec alia via, nisi per communionem fidei & religionis Judæorum. ε. quam qui spreverint, eos in perpetuum delendos esse. Quæ primo quidem sensu ad proselytismum populorum illorum, seu venerationem Dei ab ipsis, a multis etiam Romanis, Jes. XXV: 3. XXVI: 15. Zach. VIII: 12, pertinent, uti in *Edomitis* & aliis, impletum est, tempore Maccabæorum; sed ultimo ad conversionem eorum sub Messia: uti recte observatum est a nonnullis Interpretibus, quos adeundos velim. Vid. supra c. III: 14-17. & ibi dicta: nec non similis plane prophetia Jes. XIV: 1, 2 & ibi Cl. Vitringa, ac Zach. XIV: 16. &c.

§. CCLVI. Prolixiori enim esse non licet, nec opus est, cum magis *conditionate*, quam positive & prophetice, hic loquatur propheta, & postea recurret aptior dicendi occasio. Hic itaque suffecerit, quod huc directius facit, *rationes* dedisse, quare Deus, qui cultum suum in gratiam Israelitarum in Canaanæa instituerat, & gentes in viis suis hucusque siverat ambulare, eas tam gravi poena eo tempore, de quo hic agitur, velit adficiendas, quæ Deum Israelis honorare & colere recusarint. Rationes sese mihi nunc offerunt sequentes. 1. Primam hic ipse noster locus suppeditat, quia Judæos ad Idololatriam compulerant. Quare Deus quasi per legem talionis illas noluit toleratas, nisi, missa idololatria, Deum Israelis venerarentur; & ne Israelem rursus a Deo de-

 fi-

ficiendi occasionem præberent, ut antea. 2. Gentes hostiles, populum Dei vexando & adfligendo, sese gravissimo reatu obstrinxerant: quod crimen expiare non possent, nisi sese coram Deo Israelis prosternendo. Quod nisi facerent; pro meritis forent puniendæ, cum Deus crimina illa amplius nollet impunita. 3. Deus Israelis eo in primis tempore luculenta suæ potentiæ & gratiæ, ac favoris erga populum suum, dederat coram omnium oculis specimina, quibus sibi hunc populum & cultum unice placere demonstraverat; *velum*, gentibus hujus rei respectu impositum, publice *absorpserat*, Jes. xxv: 8.; adeoque sui reverentiam a Gentibus merito exigebat; eamque ob causam, quod antea fecerat, nunc amplius permittere nolebat, ut Gentes Dei Israelis cultum impune spernerent. 4. Accessit, Judæos eo tempore quaquaversum fuisse dispersos, libros sacros eorum, in ling. Græcam versos, in manibus gentium versari potuisse, synagogas etiam ubique fuisse erectas; adeoque faciliorem iis fuisse aditum ad veræ religionis notitiam hauriendam. Excusabiles itaque minus erant, si Dei Israelis negligerent habere rationem. 5. Populi in specie vicini, de quibus hic agitur, magis minusve forent Judæis subjecti, vel adsociati, adeo ut in eorum *medio* & hac ratione quasi habitarent; adeoque & eo nomine sicut aptiores, ita & magis obligati ad Deum Israelis adorandum. Nihil enim vetat, quominus phrasis *in medio populi* Dei eo usque extendatur; maxime cum hoc ipsum promissum de illis populo Dei subjiciendis Israeli fuerit datum, Jes. xiv: 2. Joel. iv: 8. Obadj. 17. &c. Zach. ix. & alibi, & reapse præstitum. De quo vid. Cl. Vitringa ad *Jes.* l. c. Directe vero, quod verbo tantum notetur, phrasis, *in medio populi Dei ædificari*, comprehendit communionem religionis & morum cum populo Dei, tanquam causam bonorum, quibus fruerentur populi vicini. 6 Denique, tempus *tolerantiæ* Dei haud diu post exspiraret, cum Messias in mundum veniret, Act. xiv: 16. xvii: 30., adeoque jure & tempestive admonentur gentes, ut, si salvas se vellent, ad

Dei

Dei Israelis communionem se recipiant. Ceterum, cum de interminationis, hic factæ, implemento, ex iis, quæ ad visa Danielis emblematica disserui, satis constet; hic nihil necesse habeo addere.

CONCIO QUINTA.

CAP. XIII.

1. *Sic mihi dixit Jehova. Ito & compara tibi zonam lineam, eamque impone lumbis tuis, sed in aquas non immittas.*
2. *Et acquisivi zonam illam secundum verbum Jehovæ, lumbisque meis imposui.*
3. *Et factum est ad me iterum verbum Jehovæ, dicendo.*
4. *Accipe zonam istam, quam acquisivisti, quæque super lumbis tuis est; & surge ito Phratam, ibique eam occulte reconde in foramine petræ.*
5. *Et ivi ac recondidi eam in Phrata, sicut Jehova mihi præcepit.*
6. *Et post multos dies factum est, ut Jehova mihi dixerit: surge ito Phratam, indeque aufer zonam istam, quam te ibi recondere jussi.*
7. *Et ivi Phratam, fodique ac sustuli zonam e loco, ubi recondidi eam; & ecce! corrupta erat zona ista, nulli rei utilis.*
8. *Et factum est verbum Jehovæ ad me; dicendo.*
9. *Sic dixit Jehova; ita vellendo disperdam tumidam excellentiam Judæ, & tumidam excellen-*

tiam Hierosolymæ, multam & magnificam istam.

10. Populus iste malus, cujus cives obstinate renuerunt audire verba mea, ambulant in cordis sui insita corruptione, & post Deos alienos incedunt, ut iis serviant, eosque adorent; atque erit sicut zona hæc, quæ ad nihil valet.

11. Quia, sicut zona hæc arcte adhæret lumbis viri, ita mihi adhærere feci totam domum Israelis, & totam domum Judæ, inspiratum Jehovæ, ut sit mihi in populum & ad nomen ac laudem coruscam, & ad summum decus; at non audiverunt.

12. Et dices ipsis verbum hoc: sic dixit Jehova Deus Israelis, omnis lagena replebitur vino: & dicent tibi; an cognoscendo non cognoscemus, quia omnis lagena replebitur vino?

13. Et dices ad eos: sic dixit Jehova; ecce me implentem omnes incolas terræ hujus, & reges, qui Davidi in ejus throno sedent, & sacerdotes, & prophetas, & omnes incolas Hierosolymæ, ebrietate.

14. Et excutiam eos, virum ad fratrem, & patres & filios pariter, inspiratum Jehovæ, non præbebo me mollem, nec connivebo, neque miserebor, ne conteram eos.

15. Audite, & auribus percipite, ne sitis elatifrontes, quia Jehova elocutus est.

16. Date Jehovae, Deo vestro, gloriam, antequam tenebras inducat, & antequam pedes vestri vulnerentur ad montes crepusculi; & exspectabitis lucem, sed ponet eam in umbram mortis, ponet in densam caliginem.

17. Nisi vero audiveritis hoc, in latebris flebit anima

mea

mea propter insolentiam, & lacrymando lacrymabitur, atque oculus meus in lacrymas aquatum ibit; quia captivus est abductus grex Jehovæ.

18. *Dic regi ac reginæ, humiliate sedete, quia descendit quodcunque in capite vestro erat, diadema gloriæ vestræ.*

19. *Urbes austri clausæ sunt, nec est qui aperiat, deportata est Juda tota, deportata perfecta deditione.*

20. *Tolle oculos vestros, & vide venientes ab Aquilone, ubi grex iste, qui datus erat tibi, pecus excellentiæ tuæ.*

21. *Quid dices? quum præfecerit tibi, & tu docuisti eos super te socios, in caput: nonne dolores torquentes deprehendent te, instar mulieris parturientis?*

22. *Et cum dixeris in corde tuo, cur hæc mihi occurrerunt? propter spissitatem iniquitatis tuæ retectae sunt fimbriae tuae, crudè facti sunt calcanei tui.*

23. *An mutabit Cuschæus cutem suam, aut pardus maculas suas? tum etiam vos poteritis bene agere adsuefacti male agere.*

24. *Et dissipabo eos instar paleae transeuntis ad ventum deserti.*

25. *Haec est sors tua, portio definita dimensionum tuarum, a tum me, quod mei es oblita, & fiduciam in re fallace posuisti.*

26. *Et etiam ego despoliavi fimbrias tuas super facies tuas, & conspecta est ignominia tua.*

27. *Adulteria tua, & hinnitus tuos, destinationem scortationis tuae super collibus in agro vidi, abomina-*

nationes tuas. Vae tibi, Hierosolyma, non mundabis te, post quando adhuc?

§. CCLVII.

Quinta concionis, uno hoc cap. comprehensæ, ut ex hujus & sequentis capitis prologo facile constat, & omnes observarunt, *argumentum* est, cum præsentis excidii, tum desperatæ corruptionis, tanquam causæ ejus, luculenta descriptio, partim symbolica, partim nuda & simplex. Totalem populi Judæi sub regibus Davidicis & depravationem, & exstirpationem, symbolo zonæ lineæ primum prophetæ adplicitæ, dein in Phrath occultatæ, ibique post longum tempus penitus corruptæ, repræsentat & exponit. Dein amentiæ populi, indeque ortæ mutuæ dissensionis, ad propriam ruinam vergentis, lineas ducit sub emblemate *lagenarum* vino plenarum, & collisarum ad confractionem. Quando sese ad salutares admonitiones, cum in genere omnium civium, tum in specie domus regiæ, & tandem Hierosolymæ, vertit; ut se coram Deo humilient, & iram avertant, ratione ducta a præsente calamitate, mox in totalem perniciem exituræ, interspersis licet frustraneæ admonitionis indiciis.

§. CCLVIII. Quod ad *tempus* & *locum* habitæ concionis adtinet, de quo minus soliciti Interpretes, aut minus recte statuerunt; 1. dubium mihi non est, quin *Hierosolymæ* fuerit pronunciata, cum Regem & reginam adloqui jubeatur, vers. 18., & ad urbem Hierosolymam sermonem flectat, vers. 20-27. 2. Plusquam probabile mihi fit, concionem fuisse habitam non sub Josia non tantum, sed nec sub proximis ejus successoribus, verum sub ultimo rege Zedekia, vel potius tempore abductionis Jehojachini Babelem, cum prope ab excidio abesset Hierosolyma. Quod Hieronymum a non latuit, licet male ad tempus obsidionis ejus restringat. Utique a. quod pro-

a ad Hos. in prooemio.

propheta jussus fuerit zonam, in fissuris petræ Phratensis occultatam, post *multos dies*, seu longum tempus, requirere, vers. 6., indicat, prophetam hoc tempore diu fuisse in munere; cum tanquam propheta inceperit gestare *zonam*. *b*. Monitum ad regem & reginam de se humiliandis, vers. 18., in Josiam, ut facile patet, nullo modo quadrat. *c*. Multos jam hoc tempore fuisse in exsilium abductos, & urbes ad austrum Hierosolymæ jam desolatas, ex vers. 19, 20. haud obscure colligitur. *d*. Denique regni Judæ & Hierosolymæ destructionem ante fores, cives jam secum divisos, & in se invicem armatos esse; ex vers. 13. & seq. usque ad finem cap. deduci posse videtur.

§. CCLIX. Partes concionis *tres* sunt, *duæ* primæ symbolicæ, *tertia* nuda & simplex. *a*. *Prima* pars symbolica, *α*. proponitur, *β*. explicatur & adplicatur. *α*. Symbolum est *zona linea*, aqua non madefacta, quam Propheta *primum* jubetur *lumbis* adplicare, dein, cum aliquandiu gestasset, recondere in *fissuris* petræ Phratensis, tandem requirere & statum ejus explorare post sat longum tempus; quando deprehendit totam corruptam, nec ad ullam rem utilem, vers. 1--7. *Sic mihi dixit Jehova. Ito & compara tibi zonam lineam, eamque impone lumbis tuis, sed in aquas non immittas. Et acquisivi zonam illam secundum verbum Jehovæ, lumbisque meis imposui. Et factum est ad me iterum verbum Jehovæ, dicendo. Accipe zonam istam, quam acquisivisti, quæque super lumbis tuis est, & surge ito Phratam, ibique eam occulte recondе in foramine petræ. Et ivi ac recondidi eam in Phrata, sicut Jehova mihi præcepit. Et post multos dies factum est, ut Jehova mihi dixerit: surge ito Phratam, indeque aufer zonam istam, quam te ibi recondere jussi. Et ivi Phratam, fodique ac sustuli zonam e loco, ubi recondidi eam; & ecce! corrupta erat zona ista, nulli rei utilis.* Ubi, 1. notetur, per *zonam* intelligi cingulum, seu baltheum, quo vestes laxiores circa lumbos constringebantur apud orientales, uti notum est, sed cingulum pretio-

sum, quo honoratiores, & majoris dignitatis viri, uti sole-bant, ex purissimo & pretiosissimo *lino*; uti sacerdotes & reges apud Judæos: quale Messiæ regi datur Jes. XI. & alibi: de quo ex vers. 11. satis constat. 2. Cingulum, *in aquas non immissum*, est recens factum, nec ab alio gestatum, aut pollutum, quod purificatione egeat, præterea quod nihil *corruptionis* habet adjunctum, uti habet *madefactum* cingulum. Aliud mysterium hic non sector. Varias Interpretum cogitationes exhibet Schmidius & examinat; ipse cum iis facit, qui *rude* & *impolitum linum* intelligunt, ad asperiorem populi indolem depingendam; sed sine ratione, nec phrasi congruum est. 3. Nomine פרת *Phrat* non indicatur *fluvius* Euphrates, ut passim accipi solet, cum quod nullus character ejus adsit, non dicitur *fluvius*, ut alias passim, aut *magnus* Phrat, aut Babyloniæ locus, ne dicam nimis vage tunc locum designatum fuisse; sed territorium Bethlehemiticum, אפרת *Ephrat* dici solitum, uti recte observavit Bochartus a. *Ephrat* enim idem est nomen ac *Phrat*, cum א sit littera servilis, a rad. פרה. Quod cum ex sensu emblematis, mox dando, tum & ex eo firmatur, quod probabile non sit, prophetam Babelem fuisse profectum; nec tamen in *visione* hæc peracta sint, ut mox videbimus. *Ephrata* vero esse Bethlehemum, satis vulgatum est, de quo videatur Cl. Relandus b. qui etiam docet, in angusto *colle* fuisse sitam, vallibus undique cinctam: quo hic respicitur, in *fissuris petræ* in Phrat. 4. Zona hic non consideratur, tanquam res derelicta & abjecta, sed instar thesauri, seu rei pretiosæ, in loco tuto & occulto abscondendo, indeque suo repetenda tempore: erat enim pretiosa zona, & requisita est. Sed ipsum verbum טמן ad thesaurum reconditum ducit, uti sumitur infra c. XLI: 8 & Jes. XLV: 4. Job. XX: 26. 4. Denique notandum est, non in *visione* hæc censenda esse peracta, sed ad *litteram*, quia nullum est *visionis* indicium, nihil

a Epist. ad calcem Geogr. S. p. 956. b Palæst. p. 642.

fili quoque hic occurrit insoliti, quod litteram cogimur deserere a.

§. CCLX. α. In explicatione & adplicatione Deus α. corruptionem gloriæ populi Judæi comparat cum cinguli totali depravatione, vers. 9. *Sic dixit Jehova; ita vellendo disperdam tumidam excellentiam Juda, & tumidam excellentiam Hierosolymæ, multam & magnificam istam.* b. caussam tradit in populi defectione & corruptione morali sitam, vers. 10. *Populus iste malus, cujus cives obstinate renuerunt audire verba mea, ambulant in cordis sui insita corruptione, & post Deos alienos incedunt, ut iis serviant, eisque adorent; utique erit sicut zona hæc, quæ ad nihil valet.* c. cinguli, quatenus lumbis prophetæ adhæsit, expositionem emblematicam tradit, vers. 11. *Quia, sicut zona hæc arcte adhæret lumbis viri, ita mihi adhærere feci totam domum Israelis, & totam domum Juda, inspiratum Jehovæ, ut sit mihi in populum & ad nomen ac laudem conspicuam, & ad summum decus; at non audiverunt.* In quibus nihil, quoad phrases, occurrit difficilius: sed symboli contemplatio mystica meretur accuratiorem explicationem, maxime, quia minus recte solet ab Interpretibus institui. Solent enim populum Judæum, antea Deo adjunctum, & sub ejus tutela degentem, dein in exilium Babylon. abductum, & ibi omni gloria ac potentia privatum, eaque ratione corruptum, intelligere. Quæ hypothesis, a. falso nititur fundamento, *phrat* esse Euphratem, modo destructo b. cum zona, integra adhuc, quando deposita est a Propheta, convenire nequit. Populus enim, non nisi destructa rep., adeoque jam corruptus, in exilium illi deportatus, nec ibi tanquam res futura reconditus, sed instar rei pravæ rejectus. c. ex eo etiam refutatur, quod populus Judæus in exilio non fuerit progressu temporis pejor, sed potius melior factus, quippe ad Deum conversus, & deinceps restituendus: cum tamen zona in fissuris petræ pe... sensim fuerit depravata, ita ut tandem plane inutilis fuerit.

[illegible]

[illegible] Vid. Bochart. l. c.

adeoque rejicienda. 4. Quod in specie observari meretur, ad hypothesin plane destruendam. Cum enim post multos dies visitaverit propheta zonam, eam penitus deprehendit depravatam, & ad omnia inutilem, adeoque rejecisse censendus est. Quod si ad populum in exsilio retuleris, eum sub finem exsilii fuisse a Deo reprobatum, statuendum foret. Quod abhorret.

§ CCLXI. Ex nostra itaque hypothesi emblema referendum est ad regnum Dei in Israele, in principio erectum, dein ad domum Davidis translatum, & in ea penitus corruptum, ac collapsum, adeo ut a Deo fuerit una cum populo rejectum, tanquam inutile, & nullius valoris. Cui hypothesi cuncta recte conveniunt. Ducamus præcipuas ejus lineas. 1. *Zona* linea intemerata, a propheta emta, & lumbis adplicata, populum Israelis, in genere consideratum, omnes complexum tribus, quare domus Israel & Judæ expresse memorantur, vers. 11, a Deo acquisitum, & in populum egregium ac purum per leges formatum, depingit, quatenus Deo arcte est devinctus, & ipsum pro rege & defensore habuit; eaque ratione populus ejus peculiaris & regale sacerdotium fuit, ad Dei honorem & gloriam. Quemadmodum Deus ipse exponit, vers. 11. In quo nihil est difficilis. Quare latius non deduco. 2. *Zona* separatio a lumbis prophetæ, & depositio in fissuris petræ *Phratensis*, jussu Dei facta, nos ducit ad regni Dei in medio populi translationem ad domum Davidis; cujus sedes fuit Bethlehem Ephrata; emblema ultratum domus Davidis & regni ejus; uti constat, Vid. Mich. v. 1. Translata est zona adhuc integra, & in loco tuto reposita, idque jussu Dei, uti tempore Davidis & Salomonis contigit. *Causa* vel ratio movens non quidem in emblemate sese offert, sed eam partim in populo, *Deum non audiente*, vers. 11 quærendam esse, partim in Dei voluntate, domum Davidis eligente, adeoque in *Dei* jussu, facile intelligitur, sed expresse deducitur Ps. LXXVIII., qui eo scopo factus est. Verba itaque *non audire* vers. 11. partim

Dei, tanquam *regis*, rejectionem, partim populi inobedientiam, quæ tribus Ephraimiticæ, & reliquarum tribuum, reprobationem, & Judæ ac Davidis electionem produxit, comprehendunt. Quod vero in *fissuris petræ* reposita est zona, expingere videtur stabilitatem domus Davidis, nec non perpetuitatem regni in ea, secundum promissum Dei. Præterea eo scopo factum est, ut regnum Dei in populo sit integrum ac purum conservaretur, instar thesauri ibi reconditi. 3. Denique *corruptio zonæ* in eo loco partim depravationem moralem, partim destructionem populi, tanquam regnum facientis, repræsentat: quæ post longum tempus demum adparuit; cum regnum Davidis una cum populo est abolitum: quod hoc tempore ante fores erat. Quam utramque depravationem Deus ipse descripsit, vers. 9 & 10, physicam vers. 9, & moralem vers. 10. In quibus nihil est obscuri. Tantum not., vers. 9. non sine ratione dici, Deum corrupturum esse *excellentiam* & *fastum* Judæ & Hierosl., ut de glorioso & splendido regno in medio ejus cogitaremus. Quod verbo sufficerit notasse: nec plura addo, sed cujusque meditationibus relinquo.

§ CCLXII. 2. *Secunda* pars, itidem symbolica, populum universum, cujuscunque ordinis & status, sanæ mentis statu per judicium Divinum, ei incumbens, deturbatum, & perniciosa pertinaciter tenentem consilia, repræsentat, una cum mutuis dissidiis, quibus in se invicem præ desperatione ruebant; emblemate petito a lagenis vino plenis, quibuscum comparantur Judæi, ebrietate spirituali oppressi, & se mutuo collidentes, vers. 12-14. Ubi α. emblema proponitur vers. 12. β. exponitur & adplicatur, vers. 13. 14. α. Propositio fit his verbis, vers. 12, *Et dices* (iterum dices) *verbum hoc* (figuratum hoc & ænigmaticum dictum, quod omnium attentionem merebitur & provocabit) *sic dixit Jehova, Deus Israelis* (a Jehova itaque prolatum, adeoque verum & certo futurum) *omnis lagena replebitur vino* (lagena testacea q. esa Jes. XXXIII. 14. Thren. IV. 2.; adeoque non *uter*, ut

axx; adluditur quoque mox ad collisionem & confractionem; licet ejus in propositione emblematis nulla fiat mentio) *& dicent tibi; an cognoscendo non cognoscemus, quia omnis lagena replebitur vino.* (Tibi, hoc emblema proponenti, respondebunt; nonne licebit nobis scire, quid tibi hoc velit, *omnis lagena* &c: & quo illud tendat? Interpretes longe aliter instituunt, acsi dixissent Judæi, nihil novi nobis proponis, notum enim nobis est, quod dicis: quod haud una ratione explicant. Sed vel ipsum fut. verbi *cognoscemus* eos inde debuisset abstrahere: cum non dicant, *omnes novimus*, sed nonne *cognoscemus?* ne addam, sensum dari non posse commodum, si habeatur: probe novimus. Verba itaque interrogantium sunt, & de sensu ac scopo acuti *dicti* prophetæ quærentium, quemadmodum & alibi introducuntur explicationem emblematum, vel paradoxorum factorum prophetarum, quærentes: ut Ez. XXIV: 19. & alibi. Vocula vero כי *quia*, vel orationem simpliciter inchoat, ut Gr. ὅτι, vel denotat, quo pacto, quam *ob rem*, seu quare? qui usus non sunt ignoti. Posset quoque ellipsis particulæ מה vel מה *quid*, *quid hoc*, *quod omnis lagena sit* statui, quod additur Ez. l. c.

§ CCLXIII. *A.* In expositione, *a.* ipsum *emblema* explicatur, vers. 13. *b.* ejus consequens additur, vers. 14. *a.* Emblematis expositio, vers. 13. comprehendit Judæorum *ebrietatem*, non proprie, sed improprie & figurate acceptam, pro mentis & sanæ rationis privatione, ex ebrietate animi folita. Verba habent, *& dices ad eos* (te de sensu & scopo symboli rogantes) *sic dixit Jehova: ecce implentem me omnes incolas terræ hujus, & reges, qui Davidi in ejus throno sedent, & sacerdotes & prophetas, omnesque incolas Hierosolymæ ebrietate!* Comparantur itaque Judæi, omnis ordinis & status, cum *lagenis, vino plenis*, quatenus & ipsi pleni sunt amentia & stupiditate, per judicium Dei *ebrii*, qui pleni vino sunt, hic mystice appellantur, non respectu angustiarum & tribulationum, quibus a Deo castigarentur, ut pu-

sim accipitur, sed stultitiæ, & stupiditatis; quatenus instar ebriorum, *mente moti*, & *sensu rationis* turbati, ac judicio divino in stuporem acti, nihil sani in consiliis & actionibus suis amplius habeant, nec capaces sint sanorum consiliorum admittendorum. De quo *ebrietatis* sensu & conspectu satis constat ex Script., S. & exoticis. Vid. Jes. XXVIII. 1. & XXIX. 9. & ibi Cl. Vitringa. Indicium autem hujus insaniæ & stupiditatis dederunt Judæi *a.* quod, lege Dei spreta, statutis idololatricis se adfixerint. *b.* quod a Chaldæis deficientes sese Aegyptiis adplicuerint. *c.* quod monita prophetarum susque deque habuerint. *d.* extremum excidium ante oculos habentes, omnia pericula & metus longe facessere jusserint. *e.* denique rebus instaurandis & prospiciendis non tantum manus non admoverint, sed & exitio proprio opitulati fuerint, in se invicem, instar desperatorum, impetum faciendo, uti solent ebrii; quod mox additur.

§. CCLXIV. *A.* Consequens enim his verbis effertur, vers. 14 *Et excutiam eos, virum ad fratrem, & patres & filios pariter, dictum Jehovæ, non præbebo me mollem* (quod proprie est חמל inde *indulgere, parcere*) *nec connivebo* (quam vim adfert חוס, cujus potestas est apud Arab. in *oculo* angustia *contracto*) *neque miserebor; ne conteram eos.* Respicitur ad lagenas testaceas, in se invicem collisas & confractas, ut ex verbo נפץ, & phrasi, *virum ad fratrem*, manifestum est, & a nonnullis recte observatum. De potestate & usu verbi נפץ, vid. Cl. Schultens *a.* Sensus vero est, Judæos præ stupiditate & desperatione in se invicem collidendos esse, & ea ratione occasionem hostibus daturos plenariæ destructionis; absque ut Deus ulla misericordia erga eos tangendus sit, aut opem laturus. Quod ipsum & alibi prædictum est, ut Mich. VII. & ipso facto impletum, sicut in bello cum Romanis ita & cum Chaldæis: licet historia nos hic, ut sæpe alias, destituat. *Collisio* vero mutua hic connectitur cum *confractione* per judicium Dei, a Chal-

a Orig. h. l. c. 2. [illegible]

Chaldæis efficienda, & *confractio* indicatur in fin. verf. 9. ipsis verbis. Pluribus ad intellectum versus opus non est.

§. CCLXV. a. Tertia pars, plano & simplici stylo proposita, continet adhortationem ad poenitentiam & resipiscentiam, directa α. ad Judæos in genere, verf. 15-17. β. ad *domum regiam*, verf. 18, 19. γ. ad Hierosolymam, verf. 20-27. α. Prima adhortatio, quæ est generalior, ad populum in genere spectans, a. proponitur, verf. 15, 16. init. *audite & auribus percipite, ne sitis altifrontes, quia Jehova dixit: date Jehovæ, Deo vestro, gloriam*, h. e. ne cum superbia & vana fiducia rejicite, sed adtente audite & recipite modeste, quod vobis, nomine Dei, injungo, & salutare do consilium, ut vos coram Deo humilietis, peccata vestra confiteamini, veniam imploretis, & foedus cum Deo renovetis. Not. 1. id, ad quod audiendum & recipiendum adhortatur propheta, esse, *ut Deo gloriam dent:* quo etiam pertinet quod *Jehova dixit:* 2. Phrasin, *dare Deo gloriam*, complecti humiliationem coram Deo, poenitentiam, & obedientiam in fide & timore Dei, uti Jos. VII: 19. 1 Sam. VI: 5. Idem fere est, quoad rem ipsam, quod 1 Pet. V: 5, 6. habetur: *superbis Deus resistit & humilibus dat gratiam; quapropter submittite vos potenti manui Dei, ut vos tempore opportuno exaltet.* Quod satis vulgatum & observatum est.

§. CCLXVI. b. Adhortatio proposita confirmatur ex summa calamitate, quæ ante fores est, nec alia ratione præveniri aut removeri poterit, verf. 16. his verbis: *antequam tenebras inducat, & antequam pedes vestri vulnerentur ad montes crepusculi: & exspectabitis lucem, sed ponet eam in umbram mortis, ponet in densam caliginem.* h. e. resipiscite antequam nox calamitatum, quæ jam imminet, vos occupet per judicium Dei, vosque inani spe crepusculi, in montibus adparentis, seu salutis inde orituræ, lactetis; vertet enim Deus ipsam illam lucem, seu liberationem, quam exspectabitis, in umbram mortis, & crassissimas tenebras, seu

totale vestrum excidium. Describitur ultima periodus invasionis Chaldæorum, qua Hierosolyma obsideretur, sed obsessio interciperetur per Aegyptios, sese ad auxilium Judæorum moventes; verum, his profligatis, mox renovaretur, & in totale excidium exiret. Quæ hypothesis egregiam lucem in obscuram hanc pericopam infundit, ceteroquin non expediendam; sicut non valuerunt Interpretes. *Tenebras* depingere calamitatem, & ultimam Hierosolymæ ac populi destructionem per Chaldæos significari, probe observarunt, sed nec partes emblematis recte perceperunt, nec quid sint *montes crepusculi*. 1. Prima phrasis, *antequam tenebras immittat*, referenda est ad priorem periodum ultimæ obsidionis Hierosolymæ per Chaldæos, quæ cum *nocte* comparatur; quia & Hierosolymitanos sanis consiliis privatos deprehenderet, & summæ calamitatis initium foret. In quo nihil est obscuri. 2. Secunda phrasis, *antequam vulnerentur pedes vestri ad montes crepusculi*, pertinet ad spem liberationis ab Aegyptiis, quod nonnulli jam viderunt, sed minus recte explicuerunt, quæ, durante obsidione, adfulsit instar *crepusculi* matutini, in montibus sese primum ostendentis; adeoque desumta est a *crepusculo* matutino lucis, seu diei, præambulo, quod primum in montibus solet conspici. Solet vero *crepusculum matutinum* pro lætioris fortunæ auspicio sumi, uti notissimum est. Vid. Job. VII: 4. & ibi Cl. Schult. *Montes* vero *crepusculi* memorantur, quod lætioris fortunæ spes *partim* e longo tantum prospectaret, ut cum in *montibus* primum conspicitur lux adpropinquans, *partim* ab eminentioris dignitatis & potentiæ populis exspectaretur, Aegyptiis nimirum, quales cum montibus, lucem adnunciantibus, comparantur. Quod ipsum supra c. IV: 11. emblemate *venti nitentis collium in deserto*, fuit depictum. Sic & *umbra* montium, oriente sole, cum *hominibus*, seu agmine hominum comparantur. Jud. IX: 36. Ad hos montes fuerunt pedes Judæorum lethaliter *vulnerati*, quam emphasin habet verbum נגף; cum sese iis adplicantes ruinam sibi ac-

 cer-

cerfriverunt; per vanam hanc spem & a resipiscentia & a pace cum Chaldæis abstracti. Quo nihil est notius, & ex verbo Prophetico, & ex historia Judæorum hujus temporis. Quare nihil addo. 3. Sequitur. prostitutio hujus spei, his verbis: *& ex pectabitis lucem* (scilicet, crepusculi in montibus adparentis spe delusi) *& ponet illam in umbram mortis* &c: h. e tenebras illas, quas Jehova inducet, nulla lux excipiet, uti ex crepusculi observatione putabant Judæi, sed crassiores fient tenebræ, quæ mortem & totale excidium adferent, Hierosolyma capta, destructa, & populo superstite in exilium abducto. In quo nihil est, quod nostram requirit operam. Illud unum modo advertatur, *ponere in umbram mortis* respicere ad auxilium Aegyptiacum, plane delendum, & *ponere*, seu hostilem facere impressionem, quod est שית & ישית, *in densam caliginem*, referri posse ad reliquam hostilem invasionem Chaldæorum, quæ crassissimas adferret tenebras. Qua ratione tautologia non tantum vitatur, sed lectio textualis ... defenditur, simul ratio datur præt: & fut. verborum ..., & ...: prius enim antecedens, & posterius consequens continet in se futura.

§ CCLXVII. *e.* Admonitionis propositæ, & confirmatæ, conclusio his verbis subjungitur, vers. 17. *Nisi vero audiveritis hoc, in latebris flebit anima mea propter violentiam, & lacrymando lacrymabitur, atque oculus meus in lacrymas aquarum ibit, quia captivus abductus est grex Jehovæ.* Addit propheta hanc conclusionem, ut partim desperatam esse populi conversionem & conservationem indicaret, partim flagrantem suum affectum ergà populum testificaretur. Paucum hic reliquum est notandum. *Propheta* luctum suum emphatice exprimit, cum dicit, *anima mea* flebit, & in *latebris*, nec non *lacrymando lacrymabitur*, *juin aquarum ibit oculus in lacrymas*, multo flumine lacrymarum ora genasque humectando, & veluti earum rivis ac imbribus totum madescendo, ac immersum lavando. Quam potestatem ad-

...rit ..., ut docuit Cl. Schultens a. Præterea duplicem me-morat luctus caussam, alteram *insolentiam* populi, alteram *destructionem* & abductionem ejus. Insolentia exprimitur voce גוה, a rad. גאה, cujus potestas est in *eminendo* cum sui extensione, vel *tumescendo*, soletque de *aquis intumescentibus* usurpari, indeque transferri ad violentas grassationes cum superbia conjunctas. Pertinet autem ad Judæos, & digitus simul intenditur ad illud vers. 15. *nec sitis altifrontes*, ut recte a Schmidio & aliis observatum est. Populi *abductio* in exilium tanquam jam facta repræsentatur, quia pars magna vere erat; flore populi etiam sub Jechonia deportato, qui præ reliquis *grex Jehovæ* adpellari merebatur, reliqua pars eandem sortem mox subiret.

§. CCLXVIII. β. Admonitio, ad regem & reginam directa, habet, ut se in posterum humillime gerant, regio ornamento in perpetuum ipsis ablato, & populo in exilium abducto, vers. 18, 19. *Dic regi & reginæ, humiliate sedete, quia descendit, quod in capite vestro erat, diadema gloriæ vestræ, urbes austri clausæ sunt, nec est, qui aperiat; abducta est in exilium universitas Juda*, (*Juda tota*) *deportatio est perfecta*, vel *deditionibus plenis*. Pertinet, ut opinor, quod Interpretes nonnulli jam observarunt, hoc dictum directe quidem ad Jehojachinum & matrem ejus, jam captum a Chaldæis, & deportationi in Babyloniam destinatum; sed indirecte ad totam domum regiam in Jechonia eidem sorti jam addictam, adeo ut deportationis & præsentis, & mox futuræ sub Zedekia, lineæ hic ducantur, & posterior tanquam jam facta repræsentetur in Jechoniæ deportatione, sequentis, & mox futuræ, prænuncia. Jechoniæ characteres sunt, 1. in voce גבירה, qua *mater reginæ* solet insigniri; & Jechoniæ mater expresse memoratur. Jer. XXIV: XXIX. 2 Reg. XXIV. 2. in expressa mentione *reginæ*; quæ Jechoniæ addi solet, locis citatis. 3. in eo denique, quod *humillime sedere* jubeantur, omni regia dignitate orbati; cum Zede-...

a Orig. l. 1. c. 6.

kia fuerit male mulctatus. 4 Addatur, coronam hic repræsentari tanquam jam ablatam, & urbes Judæ clausas, populum quoque abductum; quod nos ad tempora Jechoniæ ducit; quibus præcipua facta est deportatio, stante adhuc Hierosolyma; quæ tempore hujus concionis adhuc supererat, ut ex sequente patet. Hac jacta hypothesi, relegamus verba, &, ubi opus fuerit, illustremus. *Dic*, inquit Deus ad prophetam, (Dei enim verba esse ad Jeremiam, manifestum est) *regi* & *reginæ* (matri, cujus præcipuæ partes erant in regno, quare ejus semper specialis solet fieri mentio;) *humiliate sedete* (h. e. non in throno amplius, sede sublimiore, sed humi sedete, ignominia & luctu præditi: quale luctus signum *patrium morem* adpellat Josephus a, & aliis quoque populis in usu fuit, ab antiquissimis temporibus: uti ex Herodot. b patet. Unde etiam *sedere in terra* in genere pro *lugere* adhibetur, habitu corporis non adtento c: sic de Virgine regnatrice Babylonia, Jes. XLVIII. *descende & deside super pulverem, o virgo, filia Babylonis, sede humi defecta solio* &c. ubi vid. Cl. Commentator) *quia descendit quodcunque in capite vestro erat diadema gloriæ vestræ*, (h. e. ratio, quare humillime vos agere velim, est, quod regno & regia dignitate sitis in perpetuum privati, & in exsilium abducti ibi ignominiose agetis. Eos esse occidendos non dicitur, sed humiliandos, & in luctu ac ignominia sessuros, ut in exilio, & in carcere contigit. Sed simul indicatur, actum esse de regno Davidico, cujus umbra tantum superfuit in Zedekia, brevi post etiam penitus sublata. Nihil hic difficile: tantum not. מראשותיכם significare *capitis ornamentum*, quoad constructionem vero plene esse, *descendet quicquid ad insignia* capitis pertinet: qualis structura verb. sing. masc. cum foem. plur. & alibi sese offert, uti Job. XXII: 9. XXIX: 15. & alibi, per ellipsin voculæ מה *quodcunque* forte supplenda, quæ hic facilior est propter concurrentiam מ in voce מראשותיכם,

LXX

a Ant. l. XIX: 8. b Lib. I. c. 46. c Vid. Schultens ad Job. II: 13.

LXX vero & Vulg., *de capite* vestro vertentes, ferri possent, si מראשתיכם in plur. æque ac מראשתיכם, exstaret: quare a Clerico non debuisset probari,) *urbes austri clausæ sunt, nec est, qui aperiat, deportata est Juda tota deportata perfecta deditione* (urbes australes Cananææ, adeoque regni Judæ, ad austrum terræ, sunt captæ, spoliatæ & incolis orbæ, Judæis ibi terrarum plane deportatis in *exilium*; partim jam hoc ipso Jechoniæ tempore, quo respicitur, partim mox seq. tempore sub Zedekia: uti notum est. Adfertur hoc in signum ablati regni; ut facile cernitur: loquitur Propheta in præs., quia tunc temporis præcipua facta est deportatio, ulterioris, mox secuturæ, prænuncia: quæ utraque hic comprehenditur. Nihil hic admodum difficile; *urbes clausa* non sunt obsessæ, sed incolis & opibus orbæ; ut ex seq. patet. Vid. Jes. XXIV: 10. Singularis phrasis est, *deportata est* שלומים propriè *perfectionibus*, vel *deditionibus*; sive perfectissima & plenissima deportatio intelligatur, ut accipi solet, quo sensu vox שלומים adverbialiter sumenda est pro *perfectissime*; ut nomen plur. additum verbo adsolet. Sic Ps. LXXXVII: 3. de te sermo fit נכבדות *honorificentissime*, LXXV: 3. *judicabo* מישרים *rectitudinibus*, pro *rectissime*, 1 Sam. XV: 32. ivit Agag מעדנות *deliciis* pro delicatissime; & alibi, ut Ps. CXXXIX: 14. Thren. I: 9. & Ps. XLV: 6. שנונים *vibrantissime*; ubi vid. dicta. Sive potius *deditionum plenarum* in manus hostium deportatio significetur, quæ in servitutem & miseriam tendit: deflexit enim usus verbi שלם *tradere* etiam in malum sensum, ut Lat. *dedere*, dicitque traditionem in potestatem hostium ad vexationem & cruciatus: ut Job. XXIII: 14. Prov. XI: 31. XVI: 7.* Quod phrasi & loco aptius est.

§. CCLXIX. γ. *Tertia* admonitionis pars, vers. 20-27. comprehensa, vertitur ad ipsam Hierosolymam, adhuc superstitem, sub persona Mulieris dominatricis, sed scortatricis simul & adulteræ: quæ, *a.* jubetur oculos flectere ad Chaldæos, mox redituros e Septentrione, in quorum

* Vid. Schultens ad l. c. in specie Prov. XI.

medio jam magna, & maxime gloriosa, pars populi versa- batur captiva, ut inde sortem, sibi quoque imminentem, disceret: vers. 20. *Tolle oculos vestros, & vide venientes ab aquilone; ubi grex, qui datus erat Tibi, pecus excellentiæ tuæ.* Cum Hierosolymam adloquatur propheta, ut ex seq. & vers. 27. manifestum est, a LXX, quoque propterea addi- tum, verum esse lectionem textualem, *tolle oculos* & *vide* in sing., facile intelligitur; nec obest quod subjungatur, *oculos vestros*, cum multitudinis, ex qua Hierosolyma constabat, ratio habeatur. Ducitur itaque Hierosolyma in contempla- tionem *venientium ab Aquilone*, h. e. Chaldæorum, qui jam antea inde in Judæam *venerant*, & mox redirent. *Ve- nientes* itaque adpellantur; quod jam aliquoties id fecerant, & nunc in præsenti quoque, ac mox, facerent. Vult, ut Hierosolyma illos *venire solitos* ad animum referat, & inde colligat, quid expectandum habeat; maxime cum nobilissi- ma pars populi jam esset ab iis abducta in captivitatem: quod in specie vult adverti; quare addit, *ubi grex, qui da- tus est tibi pecus gloria tua*, sive interrogative capiatur, sive adfirmative, cum idem maneat sensus. Respicitur ad præsen- tem abductionem nobilissimæ partis populi cum Jechonia & matre ejus; quæ expresse memoratur; ut inde discat Hierosolyma, sibi non meliorem incumbere sortem. In ver- bis nihil est difficilis: ante *grex datus est* subintelligi *vox*, faci- le & tritum est.

§. CCLXX. *b.* Hierosolymæ dein ob oculos ponit, eam per Chaldæos, venientes *illos a septentrione*, ad summas esse redigendam angustias, cum eos sibi imperantes conspexerit; sed addit, sibi ipsam hoc imputare debere, cum de iis fecerit *amasios suos*, quibus sese devovit, & subjecit; videbit qui- dem id cum stupore, sed nihil inveniet, quod in excusatio- nem sui, & reprehensionem Dei, adferre possit. Hunc existimem esse sensum & scopum, vers. 21. *quid dices? quum præsceperit Tibi; & tu docuisti eos super te lotos, in caput; nonne dolores torquentes adprehendent te, instar mulieris par-*

stupentis? h. e. admirabunda quidem, attamen cum propriæ culpæ agnitione: videbis eos ipsos, quos tibi adsuefeceris socios & amasios, dominos tuos, judicio Dei factos, qui caput tuum prement, quando parturientis dolores senties, ad summas redacta angustias, quibus te expedire non poteris. Quæ paraphrasis ut intelligatur, notandum est, cum reliqua sint facilia, 1. Voces *quum præficiet tibi, & in caput*, esse secum construendas, adeoque [illegible] non esse *visitavit*, sed *præfecit*, uti alibi sæpe sumitur: sensus ergo est, *quum Tibi in caput præfecerit* Deus Chaldæos, qui te prement, & subigent. 2. Voces intermedias, *& tu docuisti eos super te socios*, eo tendere, ut partim definiantur, qui in caput Hierosolymæ sint constituendi a Deo, partim ita describantur, ut & ratio stuporis Judæorum traderetur, & omnis excusatio ipsis eriperetur: stuperent, quod amasios suos, quos ipsi sibi adsciverant, experirentur *Dominos* severos; se ipsi damnare deberent, quod eo ipso occasionem ipsis dederint hoc dominium acquirendi, cum sese iis tacto studio adplicuerint, & in religione & in societate ac clientela. Orationis nexus erit facilior, si ante [illegible] *& tu* intelligatur [illegible] *quos*; cujus frequens est ellipsis, modo quoque observata. Sic recte fluet sermo: *quum præficiet tibi, quos tu ipsa docuisti super te amasios, seu socios, in caput.* Vocem [illegible] *intimum, socium*, in specie maritum seu amasium exprimi, notum nunc esse puto. Emphasi denique non caret verb. [illegible], cujus propria vis est *pungendi*, & *pungendo instimulandi*, unde inter alia pro *adsuescere* usurpatur, & [illegible] ipsius stimulo ferri, ut habuimus supra c. 11: 24. Quem usum & hic habet, ut sensus sit, Hierosolymitanos sibi adsuefecisse Babylonios in socios & amasios super se; instar meretricis amasium sibi adsciscentis, & allicientis, longaque consuetudine sibi devincientis, &c. Cujus initia reperienda sunt a tempore Hizkiæ, societatem eorum & amicitiam magnificientis & ambientis, & propterea a Deo increpiti, & de-

[illegible]

Vid. Schultens ad. h. l. & Prov. XXII: 7.

fatali ejus consequente, hic memorato, jam admoniti, Jes. xxxix. Postea sub Manasse eorum societatem ambitiosius quæsiverunt contra Assyrios, a quibus sibi metuebant, ipse Josias eorum partes contra Aegyptos secutus est, & postea arctiore foedere & subjectione iis fuerunt adstricti contra Aegyptios, posteaquam, Josia occiso, & Joachaso in Aegyptum abducto, ab iis facti sunt alieniores: sed deinceps, a Chaldæis deficientes ad Aegyptios, illorum dominium severum experti sunt. Vid. Ez. xxiii: 14. & seq.

§. CCLXXI. *c*. Ducitur mox in accuratiorem notitiam & causæ tantæ calamitatis, & gravitatis malorum, vers. 22-24. Ubi *a. causa*, in depravatione populi, prorsus invincibili, quærenda, repræsentatur, vers. 22, 23. *Et quum dixeris in corde tuo* (tunc temporis, quo ultimum excidium Tibi eveniet, quasi admirabunda in rationem & causam inquisiveris, ô Hierosolyma!) *cur hæc mihi occurrerunt?* (hæc tam acerba tam gravia mala, quæ tunc experieris, quæque hostiliter in te *incursabunt*; quod est קרא, alias frequentius קרה, quarum radicum eadem est potestas in *adpellendo* sita, unde & *adpellare*, & *occurrere* fluxit facillime,) *propter spissitatem iniquitatis tuæ, retecta sunt fimbriæ tuæ, crudi facti sunt calcanei tui* (hoc responsum habeas, quod Tibi ipsa dare poteris, quod est subintelligendum, ut facile patet), propter *immensam* & bene *stipatam* tuam *iniquitatem*, quæ omne genus peccata in genere comprehendit, *retecta sunt fimbriæ tuæ*, seu propter quod, quod ex præced. repetendum est, vel supplendum, *retectæ fimbriæ sunt*, omne genus pudendam commisisti scortationem, dum Te *amasiis*, modo memoratis, subjecisti. Phrasis honeste exprimit *scortationem* libidinosam, cujus initium & indicium est in *retectione fimbriarum*; vid. Ezech. xvi: 36. & alibi. Interpretes de pudenda servitute, adeoque poena, solent interpretari, minus recte, cum quod in corruptionis descriptione versetur propheta, tum quod vers. 26. poena demum occurrat, quæ ita describitur, ut ad hanc nudationem criminalem adludatur: quare etiam

dicitur, *& etiam ego nudabo fimbrias tuas:* scilicet sicut tu scortando fecisti, ita ego in poenam Tibi infligam; de quo mox. Conf. etiam Ezech. l. c.). Additur pervicacia in peccato, his verbis: *crudi facti sunt calcanei tui*, h. e. omni stimulo superiores, adeoque nullo medio exstimulari te passa es ad meliorem mentem & vitam. Respicitur ad jumentum, quod calcaneo in stimulum impacto recalcitrare desinit, & se placide patitur tractari, ac duci: quo Judæi longe pejores erant, quippe *obduratum* habentes, & *crudum*, calcaneum, quod stimulum non metuit, aut sentit amplius. Verbum Hebr. [illegible] proprietatem habet in *duritie cruda*; unde *contumacem*, *indomitum*, sævum &c: denotat *; *crudum* itaque habere *calcaneum*, idem est, ac refractarium, & indomitum esse: quod huc recte & unice quadrat. Sequentia nostram interpretationem ulterius confirmant; cum novis figuris hæc incorrigibilis indoles illustretur, vers. 23. *An mutabit Cuschæus cutem suam, aut pardus maculas suas? tum etiam vos poteritis bene agere; adsuefacti male facere.* Quæ eo, quo dixi, clare tendunt, & propterea recte subjunguntur. Sensus, qui non est in difficili, huc redit, obduratos longa consuetudine peccatores sese non magis convertere posse, quam Cuschæos cutem, aut pardum maculas mutare; consuetudine in alteram naturam versa: esse itaque omnia, quæ ad conversionem Judæorum adhibentur, media frustranea, & nihil nisi excidium exspectandum. Qui comparationem ulterius, & ad *physicam* hominum ineptitudinem extendunt, vix adtendere videntur ad phrasin, *adsuefacti male facere*, quæ *moralem* ineptitudinem tantum denotat. Ne alia, quæ possem, adferam: quod hujus non est loci. Præterea, ut verbis Calvini utar, *de natura hominis hic simpliciter non agitur, sed de habitu, qui contrahitur ex longa consuetudine*, adeoque male trahitur ad quæstionem de corruptione naturali, & libero arbitrio. Addatur, Judæos hic [illegible] cum *Cuschæis*, ignominiæ causa, [illegible]

* Schultens clav. p. 226, 261 & ad Prov. IV: 27. & alibi.

similitudinis comparari, uti Am. IX: 7. nec non cum pardis ob ferociam & indolis feritatem, ac varietatem, uti supra c. XI 12 p. Plura ad locum explicandum non addo, cum ab Interpretibus & Theologis facile peti possint. De Arabibus vero Cuschæis, qui intelliguntur, & non Aethyopes, eorumque fusco & subnigro colore, abunde, post Bochartum a, Cl. Vitringa b egit; uti & de *pardo*, ejusque maculis, Idem Bochartus c, qui tamen vocem חברברות non satis illustravit. Denotat *strias* maculosas, vel rectius *lineas*, *virgulas*, a rad. חבר *constrinxit arctius*, veluti virgis & baculis nectentibus; unde חברבר dicit *virgam*, & dein *maculam virgatam*, ut Gr. ῥάβδος, Lat. virga.

§. CCLXXII. Subjungitur plenarium excidium, vers. 24. *Et dissipabo eos instar paleæ transeuntis ad ventum deserti:* h. e. sicut palea, quæ nihil habet solidi, & levissima est ac arida, vento austrino, vehementius flante, longe lateque aufertur, ita peccatores hosce vos, qui nihil virtutis habetis, judicio meo, per hostiles invasiones exsequendo, quaquaversum dissipabo: nihil hic obscuri, quod ab Interpretibus non est expeditum. Mutatio personæ secundæ in tertiam in phrasi, *dissipabo eos*, pro *vos*, sicut satis frequens est apud orientales, ita emphasi non caret, cum idem dicat, ac *vos vos*, seu *tales*. Similitudo petita est a paleis, quæ vehemente vento abripiuntur facillime, & dissipantur. Id enim phrasis denotat *instar paleæ transeuntis* ad *ventum deserti*, h. e. cum ventus auster, qui ex deserto venit, flat vehementius. Ceterum, ne quis hic obhærescat, aut erret de toto populo sine discrimine, acsi quaquaversum dispergeretur, & periret, hic non agi, sed generatione prava, post excidium reip. superstite, quæ eo tempore Hierosolymis degeret, observari velim. Quod ex supra dictis facile elucescit. Reliqui, maxime cum Jechonia abducti, in terra pe-

ra

a Geogr. S. L. IV. b ad Jes. XX. c Hieroz. L. III. c. 7.

tegrima junctim versati sunt, instar colonis. Vid. c. xxiv. xxix.

§. CCLXXIII. d. Sequitur tandem conclusio, quæ α. propositionem, vers. 25. β. ejus deductionem, vers. 26. 27. habet. α. Propositio ita sonat, vers. 25. *Hæc est sors tua, portio definita dimensionum tuarum a cum meo, quod oblita es mei, & fiduciam posuisti in re fallace.* h. e. Hæc, quam descripsi, calamitas mecum Tibi certo destinata est sors, & portio dimensa tibi, eo quod mei te cepit oblivio, & in rebus mendacibus ac vanis fiduciam posuisti. Quæ cuncta faciles habent explicatus. Tantum notetur emphasis voculæ מאתי *a mecum*, quæ rem apud Deum esse firmiter decretam, & inde certo futuram, denotat. *Portio* vero *dimensionum tuarum*, qui verus est vocis מדיך significatus, est quæ ipsi admeteretur, quæque ipsi omni parte conveniret, secundum triplicem mensuram longitudinis, latitudinis & profunditatis, & undiquaque continet. β. Propositionis deductio a. poenam comprehendit, b. corruptionem tanquam ejus causam. a. Poena his verbis, vers. 26. exponitur; *Et etiam ego despoliavi fimbrias tuas super facies tuas, & conspecta est ignominia tua.* In quibus verbis duo inprimis crucem fixerunt, verbo expedienda; *alterum*, quid sibi velit, & quo pertineat, גם & ego *etiam?* ex nostra hypothesi, supra vers. 22. jacta, respicit ad crimen scortationis, vers. 22. memoratum, poenamque continet, adulteræ congruam, quæ, cum se nudaverit prostituendo, a Deo judice tradenda foret in publicam ignominiam, omni decore & ornatu, omni possessione & libertate, spoliata; quod hic dicitur *expanditio fimbriarum*; non denudatio simpliciter, sed violenta & pudenda despoliatio ab hostibus facienda: quam emphasin habet verbum חשף proprie *detrahere* rasura strepente & crepante, adeoque violenter ad ultimum usque, inde *detrahere* & diripere vestem & velum. *Alterum* est, quem sensum fundat phrasis, על פניך *super facies tuas?* mihi vel totaliter videtur designare detractionem, ab imo ad summum,

sed

vel potius publicam & manifestam despoliationem, nec a tergo, sed ante faciem factam, quo nihil pudendum magis potest accidere matronæ, coram se & ante omnium oculos spoliatæ, ac denudatæ. Sic לעיני pro *coram*, nec non palam & publice, alibi quoque sumitur *a*.

§. CCLXXIV. *b*. Corruptionem, tanquam causam, hæc verba comprehendunt, vers. 27. *adulteria tua & hinnitus tuos, destinationem scortationis tuæ, super collibus, in agris, vidi abominationes tuas; væ Tibi, Hierosolyma! non mundabis te, post quando adhuc?* Not. 1. voces præcedentes omnes construendas esse cum verbo ראיתי vidi, ut in versione feci; quod jam vidit Calvinus; nihil ceteroquin haberent, quocum cohæreant, nec tamen seorsim stare possunt; licet ita passim velint Interpretes. 2. Subjungit *abominationes* ad scortationem, modo memoratam, adgravandam. In quo nihil est difficilis. 3 *Hinnitus* additur adulteriis, ut *libido* insana, cum iis conjuncta, expingatur: additur vero [illegible] *destinatio*, ut firma fixaque scortandi voluntas, nullo medio mutanda, exprimeretur: hanc enim emphasin habet radix [illegible], proprie *alligare firmius, revincire*, speciatim capistro: unde inter alia transiit ad *cogitationem* fixam, quam quis cum animo suo destinavit, & unde avelli nequit, sive in bonum sive in malum. 4. Super *collibus in agro* per *ἀσύνδετον* junguntur, ut loca scortationum, & *colles* & *agri*, indicarentur. 5. *Videre Dei* est tanquam judicis visitantis hominum actiones, ut judicium exerceat justum *c*. 6. Denique, ultima verba, *væ tibi* &c: conclusionem continent, qua *væ* pronunciatur in Hierosolymam, quod non *mundatura se sit*, vel non *mundanda*, sed in sordibus idololatriæ & corruptionis perseveratura: non enim interrogative sed adfirmative capienda sunt, & rationem continent *maledictionis*. Reliqua, *post quousque adhuc?* adduntur, ut indicaretur, diu adhuc duraturam perversam illam indolem: antequam mundetur Hierosolyma. Sensus est, si nunc te mundari non patiaris, [illegible] sed

[illegible] Vid. Nold. de *particulis*. *c*) Vid. ad Ps. XIV: 2.

sed *postea* vel, quum nimis sero erit, *quousque* adhuc differes?

CONCIO SEXTA.

CAP. XIV.

1. *Quod factum est verbum Jehovæ ad Jeremiam super verbis siccitatis.*
2. *Flaccidus emarcuit Juda, & portæ ejus languidæ sunt, squalidi sunt propter,* vel *ad, terram, & querulus Hierosolymæ clamor adscendit.*
3. *Et,* vel *etenim, viri illorum illustres miserunt tenuiores eorum ad aquas, venerunt ad puteos, nec invenerunt aquas; reversi sunt vacuis vasibus, puduerunt, ignominia adfecti sunt, & operuerunt caput suum.*
4. *Propterea quod terra confriata sit, quia non erat pluvia in terra, pudefacti sunt agricolæ, operuerunt caput suum.*
5. *Quia etiam cerva in agro parit, & deserendo deserit* foetus, *quia nulla exstat herba.*
6. *Et onagri stant super collibus, hauriunt ventum instar draconum, deficiunt oculi ipsorum, quia non est gramen.*
7. *Si iniquitates nostræ testentur contra nos, Jehova! fac propter nomen tuum; spissæ enim sunt aversiones nostræ, Tibi peccavimus.*
8. *Desiderium & exspectatio Israelis, servator ejus tempore angustiæ; quare fores sicut peregrinus in*

 ter-

terra, sicut viator, qui tentorium ad pernoctandum tendit.

9. *Quare tanquam vir oppressus esses, sicut heros, qui servare nequit? & tu in medio nostri, Jehova, & nomen tuum super nobis proclamatum est; ne humi nos reclinare facias.*

10. *Sic dixit Jehova de hoc populo; ita concussi amant vagari; pedes suos non substrinxerunt; nec Jehova sibi in iis complacet; nunc iniquitatis eorum recordabitur, & visitabit peccata ipsorum.*

11. *Et dixit Jehova ad me, ne pro hocce populo in bonum preceris.*

12. *Quando jejunaverint, non audiam clamorem eorum, nec, quando holocaustum obtulerint ac munus, iis delectabor; quia gladio & fame & peste eos absumam.*

13. *Et dixi, ah Domine Jehova! ecce prophetas, dicentes ipsis, gladium non videbitis, nec fames erit vobis, quia pacem veritatis* (vere & firmiter) *dabo vobis in hoc loco.*

14. *Et dixit mihi Jehova; mendacium prophetæ isti vaticinantur in nomine meo, nec præcepi ipsis, nec ad eos locutus sum; visionem falsam, & divinationem, & speciem vanam, & fraudulentiam perniciosam cordis sui vaticinantur vobis.*

15. *Propterea sic dixit Jehova de prophetis istis, in nomine meo prophetantibus; nec ego misi eos; & ipsi, dicentes, gladius & fames in hac terra non erunt; gladio & fame absumentur. Prophetæ isti ipsi,*

16. *& populus omnis, quibus isti prophetarunt, projecti erunt in plateis Hierosolymæ præ fame & gladio,*

dio, nec erit ipsis, qui sepeliat, illi, inquam, uxores eorum, & filii ac filiae ipsorum, & in ipsos malitiam ipsorum effundam:

17. *& dices ipsis hoc verbum. Oculi mei aquatum in lacrymas ibunt, noctu & interdiu, nec consistent, quia ingente fractura confracta est virgo filiae populi mei, plaga excoriante valde.*

18. *Si egressus fuero in agrum, & ecce confossos gladio! & si introiero urbem, & ecce excoriationes famis! quia etiam propheta etiam sacerdos vagantur ad terram, & nihil norunt.*

19. *An exulcerato animo a Juda abhorres? Tsionem fastidit anima tua? quare percussisti nos, absque ut nobis sit instauratio? exspectare pacem, & nihil boni est, tempus curationis, & ecce terrificam conquassationem!*

20. *Novimus, Jehova, improbitatem nostram, iniquitatem patrum nostrorum, quod peccavimus tibi.*

21. *Ne tumidus evibres propter nomen tuum, ne marcidum facias solium gloriae tuae: recordare, ne foedus tuum nobiscum infringas.*

22. *Suntne inter vanitates gentium pluviam dantes? & an coeli dabunt imbres? nonne Tu ipse? Jehova Deus noster, & exspectabimus te, quia Tu haec omnia fecisti.*

§ CCLXXV.

S*exta* Concio, hoc & sequente capite comprehensa, cum novae indicium sese aliquod offerat c. XVI., ut suo loco videbimus, continuum continet colloquium inter Deum & pro-

prophetam; occasione *siccitatis* gravioris, indeque ortæ *sterilitatis*; & prophetæ querimoniæ ac intercessionis apud Deum pro populo, quo Deus declarat populum a se esse rejectum, & intercessiones prophetæ frustraneas; propheta vero, ut populum excuset, culpam conjicit in Pseudo-prophetas; Deus eos quidem acriter reprehendit, sed, populum nihilominus nulla dignum esse misericordia, ulterius adfirmat, propheta rursus in acerbas erumpit querelas, & intercessionem renovat, sed Deus omnes qualescunque, etiam si Moses vel Samuel faceret, intercessiones denuo repellit, &, populum ob peccata & obstinationem esse delendum, adseverat, addita quoque causa severi hujus judicii, in Manassis horrenda defectione a Deo, & populi ad veterem corruptionem relapsi, sita. Quando Propheta acerbissimas instituit querelas super sorte sua, quod, licet summa fidelitate fungeretur officio suo, tantis sit expositus contumeliis & persecutionibus, adeo etiam ut animo fere despondeat, & officio prophetæ renunciare gestiat; sed a Deo firmam accipit consolationem, & ad muneris functionem continuandam excitatur.

§ CCLXXVI. *Occasionem* concionis, seu colloquii hujus, præbuit *cum* gravissima siccitas, ex defectu pluviæ, indeque oriunda sterilitas & fames, a Deo inflicta, tanquam præludium graviorum malorum, quæ nunc inciperent, & in totale excidium populi exirent, *tum* inde nata querula prophetæ oratio, qua gravitatem hujus siccitatis & sterilitatis vivide depingit, & pro populo apud Deum intercedit. Cujus occasionis manifestum occurrit indicium in ipso titulo vers. 1. *Quod factum est verbum Jehovæ ad Jeremiam super verbis siccitatis.* Ubi not. 1. trajectio in priore membro pro, *verbum, quod factum est:* quæ sponte sese offert, & ab aliis non est neglecta. 2. emphasis in phrasi, על דברי *super verbis siccitatis*; quæ non simpliciter dicit, *super siccitate* & ejus *causa*, ut vulgo, nec male, accipi solet, sed & *verba* prophetæ intercessoria, ea occasione prolata, com-

pre-

prehendit, ut ex seq. manifestum est, quod ex parte Cl. Junius jam vidit. Sequuntur enim mox ea prophetæ verba, ad quæ Deus respondet. Robur addit, quod phrasis על דברי omnem emphasin sic retineat, & mox, non revelatio prophetæ facta sequatur, sed mali descriptio & prophetæ intercessio: quando demum incipit verbum Jehovæ *ad ipsum*. Verbum vero דבר subinde denotat, controversiam judiciariam disceptare, & longius deducere, nec non pacem & amicitiam alicujus ambire; uti sæpe alias observavi. Quod, utrumque hic recte admittitur. 3. Vox בצרות nos ducit ad pluviæ & alimentorum defectum; a rad. בצר, cujus propria potestas est in *præcidendo*, unde reliqui usus fluxerunt, inter quos est *siccitatis* & *penuriæ*, qua & *pluvia*, causa media fertilitatis, & copia alimentorum præciditur terræ, ejusque incolis.

§. CCLXXVII. Ceterum, sterilitatem hic non memorari, tanquam futuram, quod passim placet, sed *præsentem*, adeoque tanquam occasionem hujus revelationis, extra dubium mihi est; cum prædictionis hic nulla occurrat mentio, & *fames*, quam Deus in progressu orationis interminatur, ab hac sit distinguenda: uti postea videbimus. Structura orationis, *verbum, quod factum est super siccitate*, alium non fert sensum, quam ea occasione id factum fuisse: accedit, descriptionem gravitatis hujus sterilitatis ita institui, ut non de futura, sed præsente necessario cogitandum sit. Propheta non fut. sed præs. temporis verbis utitur, nullumque indicium præbet prædictionis. Ex quo simul elucescit, quod recte quoque observavit & adstruxit Ghislerius, eam hic non intelligi *famem*, quam Hierosolymitani passi sunt tempore ultimæ obsidionis a Nebucadnezare; secus ac multis visum est, cum hæc concio longe ante fuerit habita: de quo mox. Sunt & alia diversitatis hujus indicia, 1. in eo, quod *hæc* fuerit ex defectu *pluviæ* unice orta, vers. 4. & 22. *altera* vero illa maxime ex terra devastata, ac obsidione arcta; uti notum. 2. liber fuerit in *agros* egressus, & terræ cul-

tura libera; verf. 3, 4. & 18. 3. *fames*, tanquam futura, denuncietur, cum hæc *præsens* fuerit. De quo postea.

§. CCLXXVIII. Quo *tempore* facta fuerit revelatio, & habita concio, ex sola hac *sterilitate* accurate definiri nequit, cum nusquam ejus occurrat in historia, aut verbo prophetico, mentio tempore Josiæ & Successorum. Tantum probabile inde fit, tempore Josiæ non contigisse; cum tam grave judicium ab ejus regno alienum sit. Floruit etiam tunc populus, nullisque cum malis conflictatus fuit, quantum ex historia constat. Sed ad manus sunt & alia indicia temporis posterioris: quæ verbo repræsentabo, cum postea de iis agendum sit uberius. 1. *Primum* est, ut ordinem servem, quem tenor orationis exhibet, quod Deus hoc tempore nulla dederit suæ præsentiæ & favoris in medio populi amplius indicia, verf. 8, 9. 2. *Secundum*, quod periodus excidii plenarii, tempore Josiæ intercepta, jam in cursu fuerit; populus itaque a Deo jam rejectus & excidio traditus, verf. 10 & per totam concionem. 3. *Tertium*, quod pseudo-prophetæ publice grassati sint, & populum deceperint, omnia læta & tuta ei promittentes contra verorum prophetarum interminationes, verf. 13-4. *Quartum*, quod Deus jam declaraverit, sibi plane displicere jejunia & sacrificia populi, verf. 12. 5. *Quintum*, quod populus, præter præsentem sterilitatem, proxime gravissimam plagam erat expertus per *hostes*, quæ de imminente excidio testabatur, verf. 17, 18. in specie in morte *Josiæ*, ad quam digitus videtur intendi c. XV: 8, 9. 6. *Sextum* est, quod populus denuo palam & universaliter a Deo defecerat, verf. 10, & XV, 16. 7. *Septimum*, quod Propheta Jeremias odio & infectationi palam esset expositus; c. XV. 10. &c. Quæ omnia criteria sicut a regno Josiæ aliena sunt, uti facile adparet, ita in initia Jojakimi recte quadrant. Quod enim nonnulli regni Josiæ characterem in *Manasse*, expresse memorato, tanquam causa judicii Dei peremtorii, verf. 4. cap. XV. quærant, cum post Josiam ipsius populi totalis obtinuerit corruptio, quæ illud judicium meruit.

ruit, illud sine solida ratione faciunt, *cum* quod corruptio populi mox adjungatur, *tum*, quod Manassis fiat mentio, ut patesceret, Deum non amplius dilaturum esse judicium, causa Manassis pronunciatum in populum; sicut tempore Josiæ fecerat. De quo postea suo loco. Hypothesis vero de initiis *Jojakimi*, quæ Polo & Gatakero etiam placuit, inde etiam aliquid roboris acquirit, 1. quod periodus & novæ ac insanabilis corruptionis populi, & totalis a Deo rejectionis, ac excidii, tunc actu coeperint fluere. 2. quod Jeremias tunc maxime coeperit infestari. 3. quod clades Josiæ tunc in recente esset memoria. 4. quod *Jejunium* etiam paulo post fuerit solenniter indictum, Jer. XXXVI: 9. quo respici videtur, vers. 12, quodque recte censetur causa ingravescentis famis institutum. Denique, 5. quod intercessio prophetæ tunc adhuc locum habere potuerit, antequam judicium Divinum sese ulterius & clarius manifestasset, quod cum 4to Jojakimi anno, unde anni 70 exilii Babylonici solent supputari, factum novimus. Habita ergo est concio ante superiorem, & post eam c. XI. XII. circa idem tempus, quo illa c. VII-X.

§. CCLXXIX. *Partes* concionis sunt duæ generales, *altera occasionem* colloquii Dei & prophetæ complexa, *altera* ipsum colloquium, sicut titulus quoque habet, vers. 1., ut supra vidimus. *Occasionem* colloquii, per *verba siccitatis* expressam, dedit partim *sterilitas*, partim inde nata *intercessio* prophetæ; quam utramque pericopa, vers. 2-9., fusius deducit. a. Siccitatis gravissimæ lugubris descriptio occurrit, vers. 2--6., quæ parum habet difficilis, nostræ curæ relictum. Quare paucis absolvam. 1. Versum 2dum ita verterim: *flaccidus emarcuit Juda, & portæ ejus languidæ sunt, squalidi sunt propter, vel ad, terram, & querulus Hierosolymæ clamor adscendit.* Quæ generalem continent descriptionem & totius terræ arefactæ ac sterilis, & incolarum ejus langentium ac lugentium, lugubresque clamores cientium, usque ad ipsam metropolin, regni & religionis sedem. Versus recte in duo dispescitur membra, per litteram ו & additam vel

demtam. Verba enim, *flaccidus emarcuit Juda & portæ ejus languidæ sunt*, cohærent per *&*; sicut sequentia quoque per *&*. Ex quo liquet, in verbo קדרו non esse repetendam vocem *porta*, sed subintelligendum *omnes*, vel qualescunque incolas. *Prius* membrum pertinet in genere ad tribum Judæ, & loca ejus munita, hic *portas ejus* dicta, & moerorem, ac languorem flaccidum, præ sterilitate & fame comprehendit, per tribum Judæ ac urbes ejus. Verbum אבל proprie est *flaccidus emarcuit*, inde *luxit*, & אמלל habet vim *excoquendi*, & ita *arescendi*, omni humore consumto. Quod utrumque in terram aridam, & homines famelicos ac sitibundos, recte convenit. *Portæ Judæ* sunt *civitates*, in quas per portas fit ingressus. Quem usum & alibi habet, uti Gen. XXII: 17. Ex. XX: 10. Deut. XVI: 5, 6. Jes. III: 26. Ps. LXXXVII. Sic & pro aula regis sumitur, Esth. II: 19. 21., uti תרע Chald. Dan. II: 49. ubi vid. Schultens. Alterum *membrum* partim expositionem, partim exaggerationem prioris continet; *squalidi sunt propter terram*, scilicet, qualescunque sordidati sunt & contaminati, quod proprie dicit קָדַר, ut alibi notatum est; לארץ *ad*, vel *propter* terram, sive pronis in terram vultibus, seu in eam *procumbentes*, sensu prægnante, sive propter terram aridam & infrugiferam. Quod si quis ad phrasin קדרו לארץ, quæ singularis est, adhuc offendat, nihil rectiùs suppetit, quam ut legat, קדר כל ארץ. *squalidum est totum terra*; quæ elegans & emphatica est locutio, huc recte quadrans: quando quoque apte subjungitur, & *clamor Hierosolymæ adscendit*, scilicet altum, & vehementi sono: *clamor* non poenitentiæ, sed luctus & desperationis; *clamor Hierosolymæ*, unde spes liberationis, propter religionem & inhabitationem Dei, foret derivanda.

§. CCLXXX. 2. Sequentia continent propositionis deductionem & exaggerationem, *illam*, vers. 3, 4. *hanc*, vers. 5. 6. Deductio, seu expositio, quæ causam flacciditatis, & clamoris modo memorati, tradit, ut recte observavit *Schmidius*, vers. 3 & 4., comprehensa, complectitur *aquæ* penuriam,

riam, cum in urbibus, tum in agris; *prius*, vers. 3. his verbis: *&*, vel *etenim*, *viri illorum illustres miserunt tenuiores eorum ad aquas* (quaerendas & hauriendas) *venerunt ad puteos, nec invenerunt aquas, reversi sunt vacuis vasibus, puduerunt, ignominia adfecti sunt, & operuerunt caput suum.* h. e. Quanta fuerit aquae penuria, unde squalor & flacciditas orta est, vel inde constat, quod ipsi magnates nihil aquarum *reperire* potuerint in cavernis terrae sive puteis, sive cisternis, in quibus aqua adservari solet; quare, spe sua frustrati, pudore & dolore sunt adfecti. Not. 1. גבים proprie dicere *incisiones terrae*, in quas aqua vel sponte defluit, vel congregatur, a rad. גבא vel גבי, cujus proprietas est in *secando*. 2. ultima verba, *puduerunt* &c: construenda esse non cum *tenuioribus* missis, sed *primoribus*, qui miserant, ut recte Gatakerus & Schmidius, qui videantur. Additur, nec in agris ad terram fructificandam fuisse *aquam*, vers. 4. *Propterea quod terra confriata sit, quia non erat pluvia in terra, pudefacti sunt agricolae, & capita sua operuerunt.* In quibus nihil est obscuri. Verbum חתת sedem habet in *friatione* & *contritione*, qua quid in pulverem confriatur, ut docuit Schultens *b*. Quod quam apte quadret in agros conserendos, voce אדמה expressos, defectu pluviae in pulverem fere confriatos, facile patet. Vox אכר itaque non *pastorem*, sed *agricolam* denotat; a pastore enim distinguitur, Jer. LI: 23. & radix dicit *pupugit*, *fodicavit*, vicina כרה & נכר, quod in *aratorem* & *agricolam* recte quadrat: ipsa vox ארמה eo ducit, cum *agrum*, qui excolitur, significet, uti in phrasi עבד ארמה Gen. IV: 2. Prov. XII: 11. & cum שדה permiscetur, ut Eccles. V: 8. Vid. quoque Gen. XLVII: 19, 23 Job. XXXI: 18. Joel. I: 10. 2 Chron. XXVI: 10. Ceterum בעבור hic non est simpliciter *propter*, sed *propter quod*, *eo quod*, ut alibi: non enim verti potest *propter* terram confriatam, cum חתה sit verbum, & verti debeat, *confriata est*: nisi אשר ante חתה intelligatur, ut sit, *propter terram*, quae *confriata est*;

 quod

a Kuypers ad V. T. loca p. 28. *b* ad Job. & Prov.

quod forte rectius est, utique usitato magis vocula ישנה propter usui convenientius.

§. CCLXXXI. Exaggeratio fit per cervos & onagros, præ penuria aquæ & alimentorum deficientes: verf. 5, 6. De cerva in hæc verba loquitur propheta, verf. 5. Quia etiam (hunc enim sensum habet גם כי) cerva in agro parit, (cum alias in montibus & sylvis degat, nunc ad agros graminis ergo se vertens, ibi peperit,) & deserendo (mox deserendo deserit foetus: hæc enim subintelligenda sunt) quia non existit herba. Cerva, ut pote prolis amantissima, memoratur, in agro pariens, ad exaggerandam siccitatem. In quo nihil est difficilis. Additur altera exaggeratio ab onagris, verf. 6. Et onagri stant super collibus, hauriunt ventum instar draconum, defecerunt oculi ipsorum, quia non est gramen. h. e. sicut cervæ in agris, ita & onagri in collibus præ defectu cibi & potus deficiunt, in signum summæ siccitatis per omnia loca terræ, & humilia & excelsa. Onagri itaque adduntur, quod in collibus degant, & de gramine vivant. Illi autem dicuntur stare & auram captare, præ summo desiderio cibi & potus: id quod hic per captationem auræ intelligitur, ut recte Schmidius, adducto etiam Jer. II: 24. quo etiam defectio oculorum ducit, quæ usurpari solet de summo desiderio, quod expleri nequit. Sensus ergo est, onagros flagrantissimo desiderio cibi & potus adfectos, nihil nisi ventum captare, cum nusquam gramen adpareat, adeoque præ fame & siti deficere. Conferatur Bochartus. a

§. CCLXXXII. 2. Sequitur querula prophetæ intercessio, quæ alteram partem occasionis hujus revelationis præbuit, ut supra dixi, verf. 7-9. his verbis, quæ proferendo illustrabo. Si iniquitates nostræ testentur contra nos (tanquam earum reos, & dignos hoc malo, & omni favore ac liberatione indignos; testentur vero cum efficacia, cui nihil reponi possit: ענה respondere enim cum ב significat testari contra aliquem, instar testium in judicio, ad interrogata respondentium,

a Hieroz. p. 1. l. 3. c. 16.

tium, uti Ex. xx: 14. Job. xv: 6. Jes. lix: 12. Mich. vi: 3. & alibi. *Si* id faciant, ut revera faciunt uti mox subjungitur. Retinendus itaque est solitus usus particulæ conditionalis; nec tamen dubium involvit; sed ex mente prophetæ adfirmatio subintelligitur; ut sit: *si testentur*; ut vere faciunt. Notetur adliteratio in vocibus Hebræis, quæ dei styli elegantia testatur) *Jehova fac propter nomen tuum*, (*fac* quod petimus & desideramus; id quod subintelligitur, & facile suppletur; *propter nomen tuum*, scilicet, Jehovæ, quo te nobis manifestasti, ut mox additur: adeoque ob gratiam & veracitatem tuam, & ne male audiat nomen tuum inter gentes, acsi non posses nos liberare: ut seq. indicant,) *spissæ enim sunt aversiones nostræ* (a Te, foedere tuo & lege) *tibi peccavimus* (graviter, & tibi sub reatu sumus; omni jure ad bona foederis *destituti*. Quam vim sæpe exserit verbum ...). Urget mox has preces ex relatione Dei ad populum, & nominis Dei contumelia inter populos inde oritura, si Deus non succurrat; vers. 8, 9. *Desiderium & expectatio Israelis* (o Jehova! qui es spes Israelis, ad quem flagrante desiderio, tanquam unicum patronum, confluere solet, & recta linea tendere, Israel. Id enim dicit ... proprie *contorquere*, inde recta linea contendere, & sic *petere & exspectare*. De quo alias sæpe dixi) *Servator ejus tempore angustiæ*, (proprie laxator & eductor in latum & liberum campum, opposite *ad angustias* prementes & coarctantes: qualem Deus se sæpe ante præstiterat populo) *quare fores sicut peregrinus in hac terra, sicut viator, qui tendit* tentorium (id enim dicit ...) *ad pernoctandum? quare* te gereres, acsi talis esses, *quare* occasionem præberes tale quid de Te suspicandi vel statuendi? non videtur illud relationibus tuis ad populum consentaneum, nec nomini tuo gloriosum: cum foedere æterno te nobis adstrinxeris, & fixum habeas in medio nostrum domicilium, cujus etiam est hæc terra propria, & hic populus quoque tuus. Nec *peregrinus* itaque es, qui aliquandiu tantum in solo alieno moratur, multo mi-

nus *viator*, qui tentorium pro una nocte figit, cui terra est nec curæ nec cordi est. LXX, vocem גר reddentes *αὐτόχθων indigena*, legerunt אזרח & hoc exemplo, sicut mille aliis, quam vitiosum habuerint codicem prophetarum, & negligenter verterint, ostenderunt, cum *indigena* hic nullum reperiat locum.) *quare esses tanquam vir oppressus, sicut heros, qui servare nequit?* (sicut vir strenuus & bellicosus, qui malis vel hostibus cinctus & pressus evadere, & salutem adferre, nequit. *Vir* & *heros* sibi respondent; sicut *oppressus* & qui *servare nequit*. Nihil difficilis, nisi in verbo נדהם, quod varie solet reddi, cum nusquam alias occurrat; sed ex Arab. lingua expedivit Cl. Schultens a, qui docuit designari hoc verbo, vel calamitatibus & malis obrutum, vel multitudine hostium oppressum, & iis succumbentem. Quod utrumque huc unice & recte quadrat: uti facile intelligitur: addo, proprietatem esse in *omni mole graviore*, qua quid subito obruitur & eliditur.) *& tu in medio nostri Jehova, & nomen tuum super nobis proclamatum est, ne humi nos reclinare facias*; (longe alius es, quam nunc nobis esse videris, quare itaque alius es, alium te geris? non enim *es peregrinus* aut *viator*, sed in *medio nostri*, nobis arcte conjunctus, & inter nos tanquam supremus Dominus & rector habitans: quod hic, et alibi, est, habitare in medio populi, tanquam unum et præcipuum ejus, de cujus nomine etiam adpellati sumus, tanquam *populus* tuus peculiaris: quique etiam proprio nomine *Jehova* noster Deus es, nec is *infirmus*, *sed* omnipotens, quippe *Jehova* Deus solus. Emphatica est deprecatio, אל תנחנו *ne humi nos reclinare facias*, prostratos. Radix denotat, *sterni tendendo*, et ad animalia recubantia, fluctusve stratos in bonum refertur, sed et ad *dejectionem* et *prostrationem in terram*, in malum: uti Jes. XXVIII: 2. Ez. XVI. 39. Am. V: 7. Job. XVII: 16. ubi violentam mortem adfert, ut Lat. *procumbere* b. Nec alium usum habet vox מנוחה Jud. XX: 43. adjuncta verbo *procumbere*, dicit enim violentam

a ad h. l. b Vid. Schultens ad l. c.

dejectione & morte, quæ instar jumenti procumbere facit, proculcarunt. Qua ratione locus, in quo frustra desudatum est, facilem habet intellectum.

§. CCLXXXIII. Sequitur nunc ipsum *colloquium*, seu altera concionis pars, quæ proprie revelationem Dei, nunc prophetæ factam, continet. Cujus א. *prima* pars continet responsum Dei ad intercessionem prophetæ, vers. 10-12. quod duplex est, *alterum* de populo, pro quo intercedebat propheta, *alterum* ad Prophetam respectu intercessionis, quæ repellitur. *Prius*, vers. 10., ita sonat: *Sic dixit Jehova de populo hocce; ita amant concussi vagari: pedes suos non substrinxerunt: nec Jehova sibi in iis complacet: nunc recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata ipsorum.* h. e. ad querelas & intercessiones meas hoc responsum respectu populi tuli, quo Deus declaravit, miseriam hanc, qua mendicorum instar vagantur in media hac omnium rerum penuria, populum sibi sponte sua conciliasse, eamque videri *velle*, cum non apud Deum sese retineant, sed quaquaversum a Deo recedentes discurrant ad idola, & populos vicinos; adeoque cum populus sit incorrigibilis, se peremptoriam sententiam nunc incipere exsequi, cujus hæc siccitas & fames est indicium & initium: Jehovam enim in populo non amplius sibi complacere, & demonstraturum esse, se peccatorum ejus esse memorem, & visitaturum nunc suis judiciis, ad totale ejus excidium. Sequentia habeo notanda, 1. לעם recte vertitur *de*, vel & *contra*, ut vers. 15. על, & non *ad populum*, nam mox, vers. 11. alia phrasis occurrit, ubi responsum Prophetæ datur, & de populo hic in tertia persona fit sermo. 2. Vocula זה *de populo hocce* usum contemtus habet, & contemtim sumitur: uti c. v: 9. habuimus. 3. Verbum נוע *concussum vagari* aliquid trahit de ambiguo, & duplicem exserit potestatem, alteram *miseriæ* præsentis, alteram *culpæ* & peccati, ut sensus sit, *sic amant* instar mendicorum vagari cunctis bonis excussi; cum ament quaquaversum, me deserto, discurrere; pedibus non coercitis a

 pec-

pecgando. Verbum ni originem habet in *concussione tremula*, instar arboris a vento agitatæ, sed in specie adhibetur in *mendicante*, qui *concussus vagari* dicitur Ps. cix. Usurpatur quoque de homine irrequieto, qui per omnes vias auxilii ergo vagatur, nusquam consistens, nihilque fixi habens. Propheta studio hoc ambiguum captavit, ut & miseriam & causam ejus una comprehenderet. *Miseria* respectu dicit, populum eam voluisse, sicut peccator dicitur *mortem amare*, quatenus illud amat, quod cum ea connexum est. Verba hoc sensu, *sic amant mendicorum* instar *concussi vagari*, denotabunt, eos *sic* & non aliter voluisse; seu sua sponte sese in eam egestatem præcipitasse. Id quod adtribuendum est indoli eorum irrequietæ, qua Deo, fonte omnis boni deserto, vagari amarunt per omne genus idololatriæ & peccatorum. Quod præterea verbo ni comprehensum est, ut seq. docent, *pedes suos non subtrinxerunt*, seu coercuerunt, sed liberum iis concesserunt cursum in omnes *peccati* vias. Quod ab Interpretibus recte est explicitum. 4. Negligenda quoque non est emphasis voculæ ny *nunc*; quippe quæ indicat periodum exsecutionis sententiæ decretoriæ, jam tempore Manassis latæ, ut ex historia constat, & ex c. xv: 4. quoque eruitur, sed tempore Josiæ interceptæ ac dilatæ, jam ab hoc tempore incepisse fluere; quod experientia quoque confirmavit. Quo ipso, ut supra observavi, ducimur ad initium *Jojakimi*; a cujus anno 3tio incepit exilium Babylonicum, uti alibi disputatur. 5. Denique non sine ratione conjunguntur verba *recordari* & *visitare*; cum prius nos ad superiorum temporum peccata quoque ducat, quæ Deus nunc simul vindicaret; uti ex modo dictis patet, & c. xv: 4. diserte habetur.

§. CCLXXXIV. *Alterum* responsum Dei, ad prophetæ intercessionem spectans, habet, eam fore frustraneam, cum Deo fixum sedeat propositum populum per omne genus mala, ut *famem*, *pestem*, *gladium*, delendi, nullis mediis, nec jejunio & clamoribus populi, aut sacrificiis avertendum, verf

Vf, 11. *Et dixit Jehova ad me; ne preceris pro populo hocce in bonum* (ne ores sub spe boni pro hocce tam contemto populo impetrandi. Non tam vetat Deus intercessionem, quam frustraneum ejus effectum declarat, ita ut *ne ores* idem sit, ac ne illud facias, nisi frustra id facere velis, ne, te aliquid impetraturum esse, existimes: quam ob causam additur expresse לטובה *in* vel *ad bonum*; quod non dicit simpliciter, *bonum* petere pro populo, quippe verbo *precandi* per se jam involutum, sed precari, ut *bonum* impetretur; adeoque cum effectu salutari, ut judicia mea inhibeantur, & populus ab hac sterilitate, quæ nunc premit, non tantum, sed & reliquis malis ad excidium ejus tendentibus liberetur, & in terra degere pergat, ac prosperitate uti.) Rationem addit Deus, ab irrevocabili sententia decretoria petitam, vers. 12. *quando jejunaverint, non audiam clamorem eorum, nec quando obtulerint holocaustum ac munus, iis delectabor; quia gladio & fame & peste absumam eos* (quod dixi, frustraneas esse intercessiones tuas, illud eo nititur fundamento, & inde repetendum est, quod fixum stet propositum populum bello, fame & peste, delendi, absque ut per jejunia, clamores aut sacrificia, me ab eo dimoveri passurus sim.) Rationem itaque frustraneæ intercessionis suppeditant ultima verba, *quia absumam eos gladio & fame & peste:* quæ cum ad totale excidium manifeste spectent, *famem* præsentem hic non innui, sed futuram, in oculos incurrit, & ex sequent. ulterius firmatur. &c: & *priora* eo tantum tendunt, ut judicium illud nullis mediis a populo esse avertendum, declaretur; sive jejunaverint & clamaverint, sacrificia obtulerint, sive non, perinde est; stat manebitque firmum delendi propositum. Vocula itaque כי in prioribus verbis idem dicit, ac *quum* vel *quando*; & jejunia, clamores ac sacrificia, memorantur, tanquam ordinaria media ad mala averruncanda; quæ hic declarantur irrita futura, cum tempus longanimitatis exspiraverit, ita tamen, ut simul, sed tacite, insinuetur, illa media non nisi hypocritice a populo esse adhibenda, utique

 [illegible]

fine vera *resipiscentia* & *conversione*. Conf. Jes. LVIII. 1 In verbis praeterea nihil est obscuri, aut notandum: tantum observetur, *jejuniis* recte addi *clamores* seu *preces*, quibuscum conjuncta solent esse *jejunia*, & ad solenne *jejunium*, hac occasione indictum; Jer. XXXVI. respici.

§. CCLXXXV. 2. *Secunda* pars concionis collocutoriae continet novam prophetae instantiam ad Dei misericordiam provocandam, a deceptione populi per falsos prophetas, qui omnia prospera nomine Dei promittebant, desumtam; eo scopo, ut populus demonstraretur excusabilior, quippe per viros fraudulentos deceptus, vers. 13. *Et dixi, ah! Domine Jehova, ecce prophetas dicentes ipsis; non videbitis gladium, nec famis erit vobis, quia pacem veritatis dabo vobis in loco hoc.* In quibus nihil vel parum est difficilis, quod nostram desiderat curam. In verbis prophetarum illorum esse ellipsin, *sic dixit Jehova*, ex ultimo membro, *quia dabo pacem* &c: facile patescit. *Famem* vero eum negant *futuram*, non tam praesentem ex sterilitate oriundam, quam futuram quamcunque aliam intelligunt; ita tamen ut *illa* non penitus excludatur, adeoque, nullius momenti aut durationis futuram, declaretur. Cum vero *pestis*, modo memoratae, expressa non fiat mentio, eam generali *gladii* nomine comprehendere licet; cum *gladii* Jehovae nomine alibi veniat; uti 1 Chron. XXI: 12. ubi Angelus Jehovae *gladium* tenens quoque adparuit. Phrasis, *pacem veritatis* dabo, dicit & *in veritate*, seu vere & certe, & firmam ac stabilem *pacem*, & prosperitatem: cum *pacis* nomine omne bonum sit comprehensum: alibi *pax & veritas*, seu firmitas, dicitur, uti Jes. XXXIX. 8. Denique non sine ratione additur *in loco hocce*, scilicet, tam augusto & sacro; quam vim hic exserit vocula זה; uti supra c. VII: 16. habuimus, adeoque ad metropolin & sedem religionis, *Hierosolymam*, digitus intenditur, tanquam cui hoc promissum competat, & unde ad universum populum manaret; nec sine adlusione ad ipsum nomen *Hierosolyma*, ex ipsa voce שלם compositum. Sensus ergo est, Judaeos *gladium*

non esse experturos, quod est *videre*, *famem* non habituros extraordinariam, aut diuturnam; quia Hierosolyma erit, ut nomen habet, *possessio pacis*.

§. CCLXXXVI. 2. *Tertia* pars exponit *responsum* Dei ad hanc novam Prophetæ instantiam; quo Deus declarat, *a* falsos esse prophetas, & falsum prophetare, vers. 14. *Et dixit Jehova ad me: mendacium propheta isti prophetantes in nomine meo: non misi ipsos, nec præcepi ipsis, nec ad ipsos locutus sum: visionem falsam, & divinationem, & speciem vanam, & fraudulentiam perniciosam cordis sui, vaticinantur vobis.* h. e. Mendaces esse prophetas, qui nec missi sunt a Deo, nec ullam ab ipso nacti sunt revelationem, sed visiones, divinationes, species nocturnas, ac fraudes ex corde fictas, proferunt, Deus mihi declaravit; simul indicavit, nullo indicio constare eos aut veros esse prophetas, aut vera enunciare. Deus enim his verbis non simpliciter hoc notum facit prophetæ, ut cum populo communicaret; uti est vers. 17., sed insuper indicatum voluit, eos nulla verorum prophetarum signa in medium adtulisse, sed contraria potius; adeo ut populus, inter eos & veros prophetas comparatione instituta, haud difficulter potuisset de eo certior fieri; nisi ad deceptionem pronus fuisset. Eo enim hæc verba simul tendunt, ut, populum hac parte excusabilem non esse, secus ac prophetæ instantia habebat, evinceretur: quare vers. 16. Deus declarat, populum eodem exitio involvendum. Verba itaque *non misi eos*, &c: pariter innuunt, eos non esse missos &c: facile constare, & cognosci potuisse.

§. CCLXXXVII. Quoad phrases, & structuram orationis, notandum est, 1. שקר in principio & cum prophetis, & cum vaticinatione eorum, construi debere; ut sensus sit, *mendacium* esse prophetas istos, & *mendaciter* vaticinari, acsi haberetur, mendacium sunt prophetæ isti, & mendacia proferunt in nomine meo. *Prius* nisi voluisset propheta, non præmisisset שקר, ut recte Schmidius: *mendacium* vero adpellan-

tur pro *mendacibus*, ut fcelus pro fcelesto &c: fed repetendum eft idem nomen in verbo *prophetare*, ut facile adparet, & paffim acceperunt. Quod in feq. verfus parte clarius effertur. 2. Verba, *non misi*, *non præcepi*, non *locutus sum*, fine emphasi non funt adcumulata, aut tautologiam redolent, prophetæ noftro temere fubinde imputatam: fignificant enim, eos nec *munere* effe prophetas, qui a Deo dicuntur *missi*, nec ullum a Deo accepiffe *jussum*, ut ad populum loquerentur, nec denique ullam nactos effe a Deo infpirationem unquam, aut revelationem, ficut veri folebant prophetæ. Confer. c. 1. 7, 9. & ibi dicta. 3. Reliqua continent diverfos *modos* fictarum revelationum, quibus populo imponebant pfeudo-prophetæ, quod Ghislerium quoque non prætertiit, licet ex vocum emphafi non eruerit. *Primus* eft *visio exstatica*, חזון, quæ vigilantibus contingit: *secundus* eft *divinatio*, in fpecie per fagittas & fortes, βελομαντεία, quam vox קסם proprie comprehendit, ut obfervavit Cl. Schultens a: *tertius* eft imago & fpecies vana in fomniis, quam exhibet vox אליל; quæ proprie fignat *vibrationem*, *vibramen*, εἴδωλον, aliquid fpecie vibrante fefe oculis ingerens & commendans; unde ad *vanam speciem* tranfiit, in fpecie, ut hic, nocturnam, forte non fine adlufione ad ליל *noctem*: *quartus* eft fpontanea cordis fraudulentia, qua ex corde quid fingitur ad alios decipiendos, & in fraudem exitialem conjiciendos. Quod ultimo additur, ut, falfos vates partim & ipfos fuiffe deceptos per vanas fpecies diurnas, aut nocturnas, ac divinationes, partim fuiffe fraudulentos deceptores aliorum, inculcaretur. Interpretes in hisce verbis expediendis minus recte verfati funt, קסם quoque & אליל conjunxerunt, acfi *divinatio nihili* intelligeretur; licet per ו manifefte diftinguantur. 4 Denique notandum eft, lectionem להם quodammodo effe dubiam, fitne hæc vera? an potius להם *ipsis*, uti Junius legiffe videtur; quæ pofterior rectius fuit, uti facile adparet, & verf. 16. quoque occurrit. Communior lectio, uti quæ

a clav. p. 292.

vobis, quam antiquæ versiones confirmant, si admittatur, supplenda erit oratio ex vers. 17. *& dices ipsis verbum hoc*.

§. CCLXXXVIII. *β*. Altera pars responsi Dei continet judicium, & in pseudo vates, & in populum, *illos* qua deceptores, *hunc* quatenus se decipi passus sit, *a*. Ad illos speciatim pertinent verba, vers. 15. *Propterea sic dixit Jehova de prophetis istis, in nomine meo prophetantibus, & ego non misi ipsos, & ipsi, dicentes gladius & fames non erunt in hac terra, gladio & fame absumentur:* hic enim versus finiendus est, & reliqua verba, *propheta ipsi*, cum seq. conjungenda sunt; ut mox videbimus. In verbis nihil est difficilis: tantum ad structuram orationis aliquid observandum est. 1. Prior versus pars definit *objectum* prophetiæ, & his verbis comprehenditur, quæ cohærent: de *prophetis prophetantibus in nomine meo* (*falso* & mendaciter), *& ego non misi eos*; quod ultimum additur, ad prophetas eos characterizandos. 2. *Posterior* pars continet judicium in eos his verbis, quæ secum construenda sunt: *& illi, dicentes, gladius & fames non erunt in hac terra, gladio & fame absumentur*. Constructio ita est concinnanda, quod Interpretes non observarunt, ut *nom & illi* connectantur cum verbo *absumentur*; quando oratio recte fluit, & voces *gladio & fame* recte carent præfixo *&*, vel simili, verbum *dicentes* quoque recte in *participio*. Sensus ergo est, *ipsos illos, qui dicunt, non* fore *gladium & famem*, utroque judicio esse exstirpandos.

§. CCLXXXIX. *b*. Ad populum cum prophetis illis arcte conjunctum, eademque sorte gavisurum, hæc spectant, vers. 16. *Prophetæ isti ipsi, & populus, omnes, quibus isti prophetarunt, projecti erunt in plateis Hierosolymæ, præ fame & gladio, nec erit ipsis, qui sepeliat, illi*, inquam, *uxores eorum, & filii & filiæ ipsorum, & effundam in ipsos malitiam ipsorum: & dices ipsis hoc verbum.* Primæ voces, *propheta ipsi isti*, ab hoc versu male avulsæ sunt, cum alias

plac

plane superfluæ forent, hic emphasin habeant: repetitur enim *prophetarum* mentio, ut, populum ab iis deceptum eandem cum iis sortem subiturum esse, indicaretur. Recte autem cohæret sermo, ut facile intelligitur; *prophetæ ipsi* & *populus iste, cui ipsi prophetant:* vel, ut in Hebr. est, *quibus*, quia collective sumitur vox *populi*, & *omnes* significat de populo. Emphasin habet phrasis, *quibus ipsi vaticinantur*, nimirum lubenter audientibus & adsentientibus prophetant, adeoque cum fructu & efficacia. Unde patet, populum non esse excusabilem, cum lubentes audiant falsos vates, qui nullum divinæ missionis signum adferebant. De quo vid. ad c. v: 31. Præterea phrasis, *nec est qui sepeliat ipsis*, indicat, ipsis nullum talem adfuturum, adeoque nullum *ipsos* sepulturum, להם enim utrumque admittit. Ultima vox רעתם in phrasi, *effundam in eos malitiam ipsorum*, de ambiguo quid trahit, cum & *improbitatem*, & *confractionem* denotet, a primigenia *quassandi*, & *quassando frangendi*, potestate. Utrumque usum hic exserit, adeoque confractionem totalem signat, ex improbitate ortam, & in ejus vindictam. Subjungitur denique huic responso mandatum Dei de sententia hac decretoria coram populo pronuncianda, his verbis: *& dices ad ipsos hoc verbum*, quæ male cum seq. connexa sunt, ut post Sanctium quoque observavit Clericus, male a Schmidio repudiatum: cum præced. enim recte cohærent, non cum seq., ubi incipit nova prophetæ querela, & intercessio. *Neque enim versuum distinctio*, ut Calvini *a* verbis utar, *pondus habet; quisquis eos distinxerit, sæpe inscite pervertit sententias.* Quod semel magni viri verbis monuisse, sufficiat.

§. CCXC. ד. *Quarta* pars novam comprehendit prophetæ instantiam, post acerbas querelas super præsente calamitate, totalis excidii prænuncia, vers. 17-22. Cujus pericopæ duo *membra* sunt, quorum *alterum* continet gravem prophetæ *querelam*, *alterum* novam intercessionem pro salu-

a ad Jer. v: 3.

lue populi, ad ultimum excidium præveniendum. *a. Prius* occurrit, verſ. 17, 18. his verbis: *Oculi mei aquatum ibunt in lacrymas, noctu & interdiu, nec conſiſtent; quia ingente fractura confracta eſt virgo filia populi mei; plaga excoriante valde: ſi egreſſus fuero in agrum, & ecce confoſſos gladio! & ſi introiero urbem, & ecce excoriationes famis! quia etiam propheta, etiam ſacerdos vagantur ad terram, & nihil norunt.* Cum Interpretes calamitatem, ſuper qua queritur propheta, intelligere ſoleant, quam ſub finem reip. experti ſunt Judæi per Nebucadnezarem; ante omnia obſervandum eſt, ad illam quidem digitum quoque intendi, tanquam in quam exirent mala præſentia, quamque propheta ſimul ob oculos habuit, ſed mala præſentia, & proxime præterita, quibuscum incepit periodus exſecutionis ſententiæ decretoriæ, directe ſignificari autumaverim, adeoque partim ingentem cladem, cum morte Joſiæ conjunctam, partim ſubſecutam ſterilitatem & ſiccitatem terræ, indeque ortam famem. Rationes ſunt. 1. quod verbis præt. vel præſ. temporis utatur propheta, absque ut vel minimum occurrat indicium futuræ calamitatis. 2. Quod interceſſio prophetæ, quæ mox ſubjungitur, pro hypotheſi habeat, Deum nondum rejeciſſe populum, ſed tantum videri id facturum eſſe. 3. Denique quod propheta talem adflictionem intelligat, cujus ablationem hucusque fruſtra exſpectaverat, verſ. 19. 4. Tandem quod ſiccitatis præſentis diſertam fecerit mentionem, verſ. 22. 5. Addatur, liberam adhuc fuiſſe *vagationem* per terram.

§. CCXCI. Statuamus itaque, mala præſentia cæde Joſiæ & clade populi a rege Aegyptiorum illata, ut & ex ſiccitate & ſterilitate orta, prophetæ fuiſſe obverſata, & hanc querelam ei expreſſiſſe, non tantum quod mala illa fuerint graviſſima, ſed & quod graviorum malorum, continua ſerie nunc ſequendorum, usque ad totale excidium reip., ſigna eſſent & certiſſima indicia, ita ut & hæc ſibi jam ob oculos ponere potuerit. Ex hac hypotheſi relegamus & explicemus hanc querelam; *aquatum ibunt in lacrymas oculi mei,*

(eam enim emphasin habet vocabulum דמה & phrasis, ut supra ad c. XIII: 17. vidimus) *& ne conticeant*, vel conticescant, (proprie ne a fluendo & aquatum eundo abscissi & immobiles fiant oculi, sed libere fluant in posterum; cum mala non videantur cessatura. Radix דמה continet tenacissimam immobilitatem, unde ad *silentium* transiit, quum lingua immobilis haeret, & palato quasi adfixa est; & de mari tranquillo, aere silente sine tumultu ventorum, ac similibus usurpatur, ut hic de *oculis* sedatis & tranquillis) *quia confractione magna confracta est virgo filia populi mei, plaga excoriante valde* (quae generalis est descriptio calamitatis, quae populum nunc premebat, pressura esset magis in posterum; quaeque mox accuratius exponitur. Quare hic nihil observo, nisi 1. *virginis* epitheton nos ducere videri ad pulchritudinem reip. sub Josia; quando simul illibata & integra fuit, nullis malis aut cladibus contaminata. Sic sub Hizkia quoque illo epitheto ornatur Jes. XXXVII: 22. nec alio multum sensu Babel Jes. XLVII: 1. ad quae loca consulendus est Cl. Vitringa, qui tituli sensum latius exponit, & alia loca adtulit. 2. ultima verba vertenda esse, ut feci, & ad calamitatem adgravandam pertinere. Vid. ad c. X: 19.) *si egressus fuero in agrum, & ecce profanatos gladio: & si in urbem venero, & ecce excoriationes famis* (quocunque me vertero, mala ubique sese mihi offerunt, in agro jacent confossi, & in urbibus confecti fame. *Urbs* & *ager* conjunguntur, ut tota terra, ex urbibus & agris constans, intelligeretur, non enim sola *Hierosolyma*, sed quaecunque urbs significatur: ut ex *agri* oppositione facile liquet. Phrasis est elegans & emphatica, תחלואי רעב, quae proprie denotat *excoriationes famis*, seu statum corporis attriti & excarnificati per famem *a*. Respicitur ad gravissimam illam cladem sub Josia, quae & regis & plurimorum aliorum necem adtulit; Pharaone Hierosolymam usque cum exercitu tendente per terram; praeterea ad famem nunc grassantem, & utrumque malum esse ad finem reip.

pen-

a Vid. Schultens Orig. I. 1. c. 9.

usque continuatorum, indicatur) *quia etiam propheta, etiam sacerdos vagantur ad terram, & nihil sciunt* (quæ verba varie admodum ab Interpretibus capiuntur, nec satis expediri potuerunt. Ex mea opinione sensum fundunt, non plebem & populum terræ tantum, sed & peritiores ac honoratiores esse consilii inopes, nec exitum videre malorum, quo sese, ut malis succurrant, vertant, nescios. *Sacerdos* quoque, inquit, & *propheta*, vanus nimirum & falsus vates, qui populum semper inani spe lactarunt, eo etiam redacti sunt ipsi, ut per terram vagentur tanquam insani & desperabundi, ipso populo terræ nihil sapientiores: illud enim est *vagari ad terram*, & *nihil scire*. De usu *vagandi* in verbo סחר vid. Coccejus [a], & Clodius [b]: *vagari* vero *ad terram*, vel est ab una parte ad aliam, vel etiam *instar terræ*, seu populi terræ; quem usum particula אל *una cum*, *instar*, aliquando exserit: ut notavit Cl. Schultens [c]. *Terra vero* pro *populo terræ* nihil magis habet insoliti, quam ubi pro *reptilibus* terræ sumitur, Job. XII: 8., ex opinione etiam Cl. Schultens: erit itaque hic pro, ut alias solet plene, עם הארץ. Nec multum absimile est, quod *coelum* & *terra* haud infrequenter pro *incolis* eorum veniant: sed vox עם & alias per ellipsin deficit, ut mox c. XV: 8. videbimus in בחור pro בית vel עם *domo* vel *populo* selecto, & occurrit c. XLVIII: 7. in כמוש pro כמוש עם, uti vers. 46. plene. Ultima verba, *& nihil sciunt*, (לא enim sæpe *pro nihilo* sumitur, ut sæpe notatum est) significat, eos *nihil scire*, quo sibi aut aliis opem ferant, esse itaque *consilii inopes*. Quod est facillimum & huc apte quadrat, nec tamen, nisi a Calvino, observatum.

§. CCXCII. *β. Intercessio* Prophetæ pro populo duplex est, altera *indirecta*, altera *directa*: *prior* per modum alicujus expostulationis cum Deo, quod agere videatur cum populo, quem elegerat, & sibi arcte devinxerat, acsi animo esset in eum exulcerato, & fastidiret eum, planeque & absolute rejecisset, quod cum Dei veracitate, constantia & bonitate, vix

[a] in Lex. [b] Lex sel. [c] ad Job. XVI: 11.

vix conciliari posse videbatur, vers. 19. *An exulcerato animo abhorres a Juda? an Tsionem fastidit anima tua? quare percussisti nos, nec est nobis instauratio? exspectare pacem, & nihil boni est, tempus curationis, & ecce terrificam conquassationem.* h. e. Cum nos ita percusseris, & clade & fame, ut nulla hucusque spes cessationis malorum adfulserit nobis, nobisque videaris ultimum excidium adlaturus, & plane non exorabilis aut flectendus; quid inde aliud colligi potest, ac Te nos abhorrere & fastidire? Quod qua ratione cum tuis virtutibus conciliari poterit, vix perspicio. Cum itaque tale quid a Te exspectari non posse videatur; quare itaque non succurris nobis? Verba habent, ut dixi, conspectum expostulationis, sed piæ & modestæ, inde ortæ, quod Deus populum tractet, acsi abhorreret & respueret eum, adeoque contra promissum & foedus cum populo ageret, & alio nunc in eum esset animo, ac olim, quando populum sibi adsciivit, & continuo a plagis & malis, ipsi inflictis, liberavit. Interrogatio, *an abhorres a Juda, fastidit anima tua Tsionem?* eo tendit, ut tale quid non videri in Deum cadere posse, quippe constantem & bonum, ac veracem, insinuaretur. Quod ex parte verum erat; cum Deus animum suum, nisi per incorrigibilem populi corruptionem coactus, non mutet; quare *peccatorum* mox meminit propheta. Verba sunt emphatica, מאס proprie est *exulcerari*, ulceribus & tabe diffluere; animo adplicitum adfert *exulceratum*, & a re vehementer abhorrentem, ut sæpe alias notatum est. Alterum געל in origine forte dicit, *vertit*, *invertit*, & inde *aversationem*, vel potius *versationem stomachi*, qualis est *nauseantis* & *respuentis*. Addit propheta miserabilem populi statum, tanquam abhorrentis & respuentis Dei indicium, per modum etiam interrogationis: *quare percussisti nos*, &c. scilicet nisi tali erga nos sis animo. Loquitur de præsenti populi calamitate, supra descripta, & non de *futuro* excidio, nisi quatenus in illud exitura sit præsens adflictio. Dicit enim, Deum *percussisse populum*, nec hucusque *sa-*

nasse, aut initium instaurationis fecisse; *exspectationem* populi plane fuisse elusam. In quo nihil est, quod moras injicit. Tantum emphasis vocis בעתה non negligatur, quam *terrificam conquassationem* reddidi, ad radicis vim originariam & usum respiciens. Radicem بعت denotare *subito opprimere*, & inde *terrere*, verbo notavit Schultens *a*, & adoptavit Clodius *b*. Observo, solere apud Arab. teri proprie in *repentino* & præcipiti *lapsu*, quo quid opprimitur superne; quod adtenditur, Job. XIII: 11. & proprietatem habere in citiore pulsu, ac respondere Lat. *quatere*, unde & ad *subitaneum terrorem*, qui, ut Lat. loquuntur, mentem *quatit* & *impellit*, transiit. Quod supra *c* jam adtigi.

§. CCXCIII. *Directa* prophetæ intercessio, quæ sequitur, *a*. confessionem peccatorum & reatus populi continet, eo scopo factam, ut, populum dignum esse quem Deus aversetur & respuat, indicaret, & superiorem expostulationem molliret; acsi dixisset; cum, te nos non debere aversari, declaraverim, ad nos ipsos non respexi, cum simus aversatione tua digni, sed tui ipsius rationem habui; & propter nomen & foedus tuum id non debere fieri intendi: uti mox explicatius tradit. Verba habent, vers. 20. *novimus, Jehova, improbitatem nostram, iniquitatem Patrum nostrorum, quod peccavimus Tibi.* h. e. ego, omnesque in populo pii, & prudentes, probe *novimus*, agnoscimus & dolemus, omnes etiam alii deberent, nec negare poterunt, *novimus* & nostram improbitatem, & Patrum nostrorum iniquitatem, & quod Tibi peccaverimus graviter, & rei simus. Tria junguntur peccati nomina, quæ in gravis corruptionis descriptione sæpe copulari solent, & alibi exponuntur. *Patrum* quoque expressa fit mentio, quod Deus eorum iniquitates in posteris corruptis vindicare soleat, de *Manasse* expresse id in seq. c. XV. declaraverit. In ultimo membro repeti debet *novimus*, & stili diversitas tantum obtinet: ut sit, *novimus* iniquitatem nostram & *Patrum*, novimus quod *Tibi* peccavimus gra-

a ad Job. III: 5. *b* Lex sel. *c* ad c. VIII: 15.

viter, & propterea gravi reatu obstricti justitiæ tuæ; quod verbo ... quoque comprehensum est; ut supra habuimus.

§. CCXCIV. B. Ipsa intercessio, qua, non obstante reatu populi, deprecatur totale excidium, quo mala præsentia tendere videbantur, ita habet, vers. 21. *ne tumidus evibres propter nomen tuum, ne marcidum facias solium gloriæ tuæ: recordare, ne infringas foedus ... um nobiscum.* &c. Non nostri sed tui nominis, ne blasphemetur, causa, precamur, ne sedem regni & religionis, regnumque ac Ecclesiam, indignabundus, instar vehementissimi & irati hostis, rejicias & evibres, proculque a te removeas, ne in eum redigas statum, ut omni succo & vigore cassum, instar cadaveris emarcidi, jaceat, & flagitiose tractetur. Memento, & tibi in animo esse demonstra, *foedus tuum* nobiscum, ne illud plane dirumpas, & irritum reddas. *Intercessionis* duæ sunt partes, *altera* ad *thronum* gloriæ, *altera* ad *foedus* Dei spectat; *illa* deprecatur tumidam & hostilem ejus rejectionem, & profanationem, emphaticis verbis expressam, in versione aliquatenus expositam. Verbum נאץ proprietatem habet in *tumore vibrante*, vel *vibrantia tumida*, usu vero denotat contumacem ac efferatum nisum sese nexu aliquo exsolvendi, & rem extorquendi ac evibrandi, & usum quoque bellicum exserit de ferocia certantis ac prævalentis hostis. De quo pluribus egit J. W. Schroeder a. *Alterum* verbum נבל originem habet in *marcido*, omni succo vitali casso, unde ad *flagitiosum* sensu morali, & *cadaver* sensu physico, transfertur. De quo dixi ad Deut. XXXII. In Pih., ut hic, signat, aliquem vel aliquid tanquam emarcidum tractare, vel constituere & efficere. Utrumque vero illud verbum construendum est cum *solio gloriæ Dei*; uti vel ex eo liquet, quod נאץ nihil habeat ceteroquin, quod regat. Interpretes aliter instituunt, & varie supplent verbum נאץ; sed nihil facilius est, quam utrumque verbum ad *solium* gloriæ retulisse, cui recte convenit. Intelligitur & sedes regni ac religionis, Hierosolyma, &

a ad Ps. X.

& ipsum *regnum* ac *sacerdotium*; quod Deus habebat in medio populi, & ubi sese variis modis *gloriosum* præstiterat, etiam colebatur ac glorificabatur. Supplicat nunc propheta, ne Deus intumescat, & invincibili nisu sese efferat ac evibret hunc suum thronum, eumque omni succo & vigore privatum, tanquam cadaver & flagitiosum quid, projiciat. Quod, hoc ipso verbo נאץ adhibito, a Deo, *regis & sacerdotis* respectu, factum esse in excidio Babylonico, acerbe conquestus est Jeremias, Thr. II: 6.

§. CCXCV. *Altera* pars deprecationis habet, ne Deus *penitus confringat foedus cum populo, sed recordetur ejus*; adeoque populum cum throno gloriæ suæ non abjiciat, & in statum *non populi*, ut Script. loquitur, redigat. In quo nihil est obscuri. Urget autem totam hanc deprecationem, ratione a *nomine Dei* unice petita. Voces enim *propter nomen tuum*, ad utramque deprecationis partem pertinent, & rationem moventem continent, qua precum exauditio urgetur, opposite ad populum tali poena dignum, uti vers. 20. confessus erat. *Propter nomen tuum* itaque, & non propter nos, quippe indignos, & iram tuam meritos, quo non obstante ne nos ita tractes *propter nomen tuum*, ne quid ei contrarium videaris agere, & propterea *male audiat*; & ut te præstes *Jehovam Deum nostrum*, veracem & misericordem. Respicitur ad nomen *Jehovæ*, & Dei Israelis: nec habet aliquid difficilis. Vid. Num. XIV: 14. & Deut XXXII: 27. ac ibi dicta.

§. CCXCVI. *v.* Urget mox nova instantia deprecationem, relate ad præsentem calamitatem siccitatis, futuri excidii prænunciam. vers. 22. *An sunt inter vanitates Gentium pluviam* dantes? *& an coeli imbres dabunt? nonne Tu ipse? Jehova Deus noster, & expectabimus Te, quia Tu fecisti hæc omnia.* h. e. cum pluvia nec a fictis Gentium numinibus, nec a coelo solo & per se, oriri queat, sed a Te unice, qui verus & immutabilis Deus es, Jehova Deus noster! quorsum nisi ad Te confugiemus? Te itaque expectabimus, tuam-

que gratiam & benignitatem præstolabimur; *quia Tu fecisti* [illegible] *hæc omnia*, totum hoc universum, & quicquid in eo est. Removet, 1. falsas pluviæ causas, ficta numina ac *coelum* ipsum, non sine gradatione aliqua, cum *coelum* videatur pluviæ dandæ magis aptum, ac quodcunque fictum Gentium Numen, cum sit medium causale; sed non vera tamen causa, nec sine Dei providentia medium. Gentiles *Jovi* adtribuunt *pluviam*, coelum quoque intelligentes, unde Ζεὺς ὕειν *Jupiter pluere* dicitur a, & ὄμβριος, ὑέτιος b adpellatur. 2. Veram causam mox addit, quum dicit, *nonne Tu ipse?* scilicet & qui pluviam dat, & qui verus & summus Deus, semper idem. Quam emphasin habet vocula [illegible], uti alibi c, unde etiam pro nomine Dei usurpatur. Sed quis ille est? id quod, 3. verba, quæ sequuntur, indicant, *Jehova Deus noster*, quem hic adloquitur, & mox adpellaverat, *nonne Tu ipse?* adeoque idem est, ac *nonne Tu*, *Jehova Deus noster*, *ipse ille es?* non enim verti debent verba, quod nonnulli faciunt, *nonne Tu es Jehova ille Deus noster?* sed ut feci: *Tu* cum *Jehova Deo nostro* cohæret, & *ipse es* characterem veri Dei ducit, *qui dat pluviam.* 4. Subjungit, *& exspectabimus te*, quod idem est, ac, *ideo*, vel *adeoque*, Te præstolabimur, donec nobis opem feras: nimirum, cum Tu, Jehova Deus noster, solus is sis, qui pluviam dat, non numina ficta gentium, aut coeli, ad *Te solum respiciemus*, scilicet, donec nobis succurras. 5. Fundat denique hoc officium in eo, quod *Deus faciat hæc omnia*, vel *fecerit*, quod utrumque admitti potest; ut sensus sit, Deum hæc omnia, quasi digito quaquaversum misso monstrata, & coelum & terram, seu universum hoc, creasse, & adhuc conservare ac gubernare; adeoque *pluviam* & omnia dare. Vocula [illegible] *quia* rationem reddit partim superioris adserti, per interroga-

a Vid. eruditissimus Valckenaerius meus ad Herod. l. II. p. 109.
b Gatak. ad Marc. Anton. l. v. §. 7 Bergler. ad Alciphr. III: ep. 35. c Deut: XXXII: 30. Ps. XVIII: 32; XXIV. 10, & ad ea loca comm. noster.

gationem propositi, *nonne Tu es ipse?* quia fecisti hæc omnia, & facis etiamnum; *partim* officii exspectandi Deum, modo memorati, *exspectabimus Te, quia Tu hæc omnia fecisti & facis &c.*

Cap. XV.

1. *Et dixit Jehova ad me: si Moses & Samuel coram me staret, anima mea non est ad hunc istum populum; dimitte e conspectu meo & exeant.*
2. *Eritque, cum dixerint tibi, quorsum exibimus? dices ipsis; sic dixit Jehova; qui ad mortem, ad mortem; qui ad gladium, ad gladium; qui ad famem, ad famem; & qui ad captivitatem, ad captivitatem.*
3. *Et quatuor ipsis præficiam familias, inspiratum Jehovae, gladium ad occidendum, & canes ad raptandum, & volucres coelorum & bestias terrae ad devorandum & perdendum.*
4. *Et dabo eos in concussionem omnibus regnis terrae, propter Manassem, filium Hizkiae, regem Judae, ob id, quod Hierosolymae patravit.*
5. *Quia quis tibi indulgebit, Hierosolyma? & quis complorabit tibi? & quis ad rogandam pacem flecteret ad te?*
6. *Tu abjecisti me, inspiratum Jehovae, retrorsum itabis, & tendam manum meam super te, & disrumpam te, defatigatus sum pœnitendo.*
7. *Et ventilabo eos ventilabro in portis terræ; orbavi perdidi populum meum, a viis suis non recesserunt.*

8. *Multiplicatae mihi sunt viduae ipsorum prae arena marium: adduxi ipsis super matrem selecti vastatorem in meridie; super ipsam cadere feci subito alienationem mentis, & consternationes.*

9. *Flaccida est, quæ peperit septem, exspiravit anima ejus, occidit sol ejus, dum etiamnum dies erat, pudore confusa, & ignominia notata est, & residuum eorum gladio tradam coram hostibus eorum: Inspiratum Jehovæ.*

10. *Væ mihi! mater mea, quod peperisti me, virum litis & virum contentionis universæ huic terræ, nihil foenori dedi, nihil mihi dederunt; universitas ejus maledicens ipsa mihi.*

11. *Dixit Jehova, si non solverim te bene, si non in te incursare feci, tempore mali, & tempore angustiæ, hostem illum.*

12. *An confringetur ferrum, ferrum,* inquam, *e septentrione, & æs?*

13. *Opes tuas & thesauros tuos in prædam dabo sine pretio, & propter omnia peccata tua, & in omnibus terminis tuis.*

14. *Et hostem tuum transire faciam in terram, non nosti,*(inopinato) *quia ignis in nasum meum exsiliit, super vobis flagrabit.*

15. *Tu nosti, Jehova, recordare mei, & visita me, & ultionem mihi sumito de insectatoribus meis: ne sit longitudo nasi tui! adsumas me; agnosce, me propter te ferre opprobrium.*

16. *Inventa sunt verba tua, & comedi illa, fueruntque mihi verba tua gaudio & lætitiæ cordis mei, quum nomen tuum super me vocatum est, Jehova Deus exercituum.*

17. Non

17. *Non sedi in arcano coetu renidentium, & exsultavi; prae manu tua solitarius sedi, quum aestu efferve-scente me replevisti.*
18. *Quare factus est luror meus purus putus, & pla-ga mea desperata, renuit resarciri; existendo existes mihi, sicut subtractus, aquae infidae?*
19. *Propterea sic dixit Jehova, si reversus fueris, redire quoque te faciam, coram me stabis; & si eduxeris grave a dissoluto, sicut os meum e-ris; redibunt illi ad te, sed tu non redibis ad eos.*
20. *Et posui te huic populo murum aeneum munitum; & oppugnabunt te, sed non praevalebunt tibi, quia tecum ego ad servandum te, & eripiendum te; in-spiratum Jehovae.*
21. *Et eripiam te manui malorum, & redimam te e vola violentorum.*

§. CCXCVII.

A. Quinta pars, responsum Dei ad novas Prophetae instantias complexa, sententiae decretoriae irrevocabilitatem confirmat, vers. 1-9. Cujus sequentia sunt membra. *a. Primum* est, quo Deus declarat, omnes qualescunque intercessiones, a quibuscunque factas, esse irritas, & sententiam decretoriam certo dandam exsecutioni, vers. 1, 2: *Et dixit Jehova ad me; si staret Moses & Samuel coram me, anima mea non ad hunc populum: dimitte e conspectu meo, & exeant: eritque cum dixerint ad Te, quorsum exibimus? dices ipsis: sic dixit Jehova, qui ad mortem, ad mortem, qui ad gladium, ad gladium, qui ad famem, ad famem, & qui ad captivitatem, ad captivitatem.* Quae verba tam recte, inprimis a Schmidio, illustrata sunt, ut no-

bis nihil fere relictum sit. Hypothetica, seu conditionata, locutio, vers. 1. *si staret Moses* &c: pro hypothesi quidem habet rei possibilitatem, sed futuram esse non indicat; praeterea personas, quarum mentio fit, fuisse illustres & efficaces, dum in vivis erant, intercessores, indicatur, non autem nunc eo munere fungi, secus ac Pontificii volunt, *sanctorum intercessiones* post mortem hinc extundere conati; non enim dicitur, eos *stare*, sed si *starent*, nec de mortuorum, sed *vivorum* statione agitur, ita ut sensus sit, Mosen & Samuelem, si vel vivi nunc, ut olim, adessent, populum non liberaturos esse. De quo vid. Schmidius, qui Pontificios late refutavit. *Moses* vero & *Samuel* memorantur, uti & Ps. XCIX: 6. quia suo tempore potentissimi fuerunt intercessores, qui iram Dei in populum haud una vice averterunt, & eum a malis ingruentibus liberarunt. Vid. Ex. XXXII: 34. Num. XIV: 20. 1 Sam. VII: 9. *Stare* autem *ante faciem* Dei est officio mediatoris & intercessoris fungi, qui medii inter Deum iratum & populum *consistunt*, ad iram Dei placandam; & *stantes* etiam orabant: accedit, non nisi in Templo *stantes* officio precum &c. fuisse defunctos a. Sensus ergo est, nullam qualemcunque, & a quocunque factam, intercessionem aliquid valituram, cum adfectus Dei in populum plane cessaverit: *non anima mea* (h. e. adfectus & favor meus,) *ad populum istum hunc*, scilicet est, aut erit, seu nec est, nec erit per intercessionem: utroque enim modo suppleri potest, si *est* suppleatur, ratio reddetur, quare intercessio foret frustranea, & frustraneus effectus mente foret intelligendus membro praecedente, ut plene sit: *si staret Moses* &c: scilicet, nihil efficeret: si vero *erit* suppleatur; sensus est, animam Dei non fore flectendam in bonum populi per eam intercessionem.

§. CCXCVIII. Addit Deus, sententiam poenalem non esse revocandam, sed exsecutioni mandandam, *mitte*, dicens Prophetae, *a facie mea & exeant*, h. e. declara ipsis no-

a Vid. Cl. Mill. de Tabernaculo in Misc. p. 394.

mine meo, ipsos a me esse laxatos, omni mea cura & favore solutos, simul a facie mea ejiciendos, ut exeant in perniciem. *Mittere a facie Dei* populum dicit declarare, eum cura & favore Dei solutum, & sibi relictum esse; ut Prov. XXIX: 15. *puer dimissus*, pro sibi & libidini permissus. Proprietas verbi שלח est in *laxando:* præterea *mittere* etiam de uxore, quæ repudiatur, usurpatur, adeoque indicatur, populum a societate & communione Dei esse abalienandum: additur, & *exeant*, nimirum a me, & præsentia mea gratiosa, in perniciem, sive mortis, sive captivitatis: ut mox exponitur vers. 2. *Eritque cum dixerint tibi, quo exibimus?* sive queruli & lamentantes, sive illudentes, hoc regesserint prophetæ, quod Deus prævidit, eos facturos, vel & eos tale quid dicere posse. Si *querelæ* conspectum admittamus, sensus erit, quorsum exibimus, a Deo rejecti, ut evadamus, & auxilium inveniamus? si *illudentes* dixerint, dicet, *quorsum exiremus?* qui hic manebimus &c. Pergit Deus: *dices ad illos, sic dixit Jehova, qui ad mortem, ad mortem* &c: h. e. alius peste, (quæ hic, & alibi, per *mortem* intelligitur), alius gladio, alius fame peribit, alius denique in *captivitate* finem inveniet. Quod vero ad phrasin, *qui ad mortem, ad mortem* &c. sine dubio ellipticam, adtinet, duplici modo sumi potest, prout vel solum *exire* repetatur in utraque voce, vel in posteriore tantum, alio verbo in priore intellecto: *Priore* ratione plena erit oratio: *qui ad mortem exiverit, ad eam exeat*, h. e. cui mors, seu pestis in cursu suo obtigerit, is cedat morti; non curabo, aut liberabo: fere sicut Zach. XI. *non pascam vos amplius: quod moritur, moriatur* &c: Ita sumsit Schmidius. *Posteriore* ratione erit, acsi haberetur: *qui morti* destinatus, vel ad eam damnatus, fuerit a me, *is ad eam subeundam exibit*. Quo sensu passim accipi solet.

§. CCXCIX. β. *Secundum* membrum continet superioris declarationis & *confirmationem* & *expositionem*, cum malorum, tum caussæ meritoriæ respectu, vers. 3, 4. α. Cum *mala*, ipsa

ipsis immittenda, fuerint memorata duplicis generis, & cædis, & exilii, 1. ad *cadem* hæc pertinent verba vers. 3. *Et præficiam ipsis quatuor familias, dictum Jehovæ, gladium ad occidendum, & canes ad raptandum, & aves coelorum ac bestias terræ ad devorandum ac perdendum*, h. e. tradam eos in manus quadruplicis generis sævissimorum dominorum, *hostium*, *canum*, *avium rapacium* & *ferarum*, qui cum vivis & mortuis pro lubitu agent; ita ut occidendi non tantum sint, sed & insepulti projiciendi, ac contumeliose tractandi, ac discerpendi. Additur hoc ad superioris illustrationem & adgravationem; & declaratur, eos non tantum mala morte perituros, sed & post mortem male tractandos: quæ enim de *canibus*, *avibus* & *feris*, habentur, referri debent ad cadavera; ut recte Schmidius, nec difficulter cernitur. Conf. Deut. XXVIII: 26. *Quartuor familiæ* sunt totidem diversæ speciei *animata*, homines hostiles & truculenti, canes, aves & feræ, quæ *familiæ* adpellantur, quia animata sunt & viva, opposite ad pestem & famem. Quatuor hæ *familiæ* dicuntur ipsis *præficiendæ* instar dominorum, a quibus pro singulorum indole tractarentur. Eum enim hic usum habet, quem & alibi, verbum פקד; uti constat. Quatuor illi tyranni, ipsis præficiendi, in eos, & vivos, & mortuos, dominarentur: in *vivos* ad occidendum, in *mortuos* ad raptandum & devorandum, ac conculcandum: ad *vivos* pertinet, quod primo loco habetur; *gladium ad occidendum*, h. e. hostiles dominos, gladio grassantes, seu violenta morte adficientes. *Gladius* ex superioribus tantum repetitur, quia de *animatis dominis* agitur, & *pestis ac fames* inde potissimum orirentur, quod hostes in eos irruerent, & arcta premerent obsidione. Ad *mortuos* pertinet, quod de *canibus*, *avibus* & *feris*, traditur. In quibus nihil est difficilis.

§. CCC. 2. Ad malum exsilii pertinent hæc vers. 4. verba: *& dabo eos in concussionem omnibus regnis terræ*, scilicet, quo venerint dispersi; venient vero cum tempore qua-

qua-

quaversum per omnia regna terræ. Sensus est, Judæos, inter Gentes quaquaversum dispersos, non objectum fore commotionis populorum, super tanta calamitate stupentium, uti nonnulli ceperunt, sed ipsos esse *concutiendos* in medio populorum, cum quod in continuo fere terrore futuri sint, tum quod varie sint exagitandi, vexandi, & spoliandi, instar arboris, quæ concutitur: quæ vera est potestas verbi זוע & זעה apud Arab., unde & זועה & זעוה in Script. occurrit, regulariter, & non ex errore, uti putarunt Masorethæ. Ceterum conf. c. XXIV v. 9. Deut. XXVIII 19., ad explicationem datam confirmandam. Quo etiam facit, notasse, non de toto populo in exsilium mittendo, sed generatione prava ejus temporis, quo Hierosolyma exscinderetur, agi. De quo supra monui, & ex vers. 1. quoque constat. *b.* Causam meritoriam hujus tanti mali continent hæc verba, quæ subjunguntur: *propter Manassem, filium Hizkiæ, regem Judæ, ob id, quod Hierosolymæ patravit.* Quæ non ad *concussionem* tantum, sed omnia, supra memorata, mala, pertinent, uti recte observavit Schmidius, quem etiam non præteriit, ultima verba esse priorum explicationem: ut *propter Manassen* sit, *propter id, quod ipse fecit.* Sed quare *propter Manassem*, cum Judæi ipsi hoc tempore essent corruptissimi? Resp., Manassis crimina non considerari seorsim, & a populi corruptione separata, cum populus venerit in communionem horum scelerum, ut mox additur, & ex historia constat, nec alias propter impium regem, si innocens fuisset, tanta mala juste potuisset pati: sed *Manasses* expresse memoratur, 1. quod eo tempore insanabilis & summa populi corruptio adparuerit, & in nervos eruperit, 2. quod sententia decretoria tunc fuerit lata, sed exsecutio tantum dilata per intervenientem Manassis resipiscentiam, & Josiæ reformationem tentatam. 3. denique quod improbitas populi, tempore Manassis consummata, non fuerit deinceps sublata, sed, ad tempus sub Josia repressa, sese hoc tempore rursus in omni vigore ostentaverit. *Propter Manassem* itaque non est

prop-

propter personalia ejus crimina, sed facinora populi, ipso autore & incentore, patrata, nec deinceps per veram conversionem emendata.

§ CCCI. γ. *Tertium* membrum comprehendit justificationem sententiæ Dei decretoriæ, propter crimina Manassis latæ, & nunc exsequendæ, desumtam a deplorato populi statu, qui efficit, ut nemo ei parcere, aut condolere, aut pacem petere, amplius possit, Deo ipso poenitendo jam defatigato: vers. 5, 6. Qua in pericopa Deus ipse loquitur ad populum Hierosolymitanum, & 1. declarat, populum nulla amplius misericordia esse dignum, vers. 5. *quia quis indulgebit Tibi, Hierosolyma? & quis complorabit Tibi? & quis flecteret ad rogandum pacem ad Te?* h. e. Me tandem Te exitio dare, Hierosolyma! nemini, ad statum tuum adtendenti, mirum accidet, cum nemo sit, conditionis tuæ gnarus, & sanum ferens judicium, qui aliqua possit tui misericordia tangi, aut pacem tuam quærere. Vocula כי *quia* indicat, rationem hic reddi judicii Dei in populum, supra promulgati, adeoque illud justificari. Status vero populi corruptus hic non exprimitur, sed indicatur, & talis quidem, ut judicium Dei omnium adprobationem consequatur. Primum membrum, *quis indulgebit Tibi?* videtur ad Deum spectare, ut recte Schmidius, quippe cujus proprie est *indulgere*, originaliter *mollem se præbere*, quæ vis verbi חמל est, & constructionem cum על quoque faciliorem reddit, est enim, *mollem se erga aliquem* præstare. Sensus est, neminem esse tam mollem & misericordem, ut talem sese huic populo præbeat, cum Deus ipse, qui est omnium mollissimus, id non possit. *Quis indulgebit* Tibi? ne Deus quidem vel ego ipse, omnium indulgentissimus. Quis, qualis sit, tam indulgens est, ut Tibi parcat? nemo: non ipse ego. Phrasis non necessario infert, plures esse, qui populo indulgere cum effectu possint, sed hypothetice capi potest, *si vel essent*; vel simpliciter, indulgentiam talem non posse locum habere. *Secundum* membrum videtur referendum ad homines qualescunque; miseria aliorum tangi

solitos; *quis complorabit Tibi?* ne misericordissimus quidem hominum. Verbum נוד proprietatem habet in *quassando*, vel *quatiendo*, unde *caput quassare*, sive ad irridendum, sive ad *complorandum*, quod & Lat. dicitur *caput quassare*; quo & hic sensu sumitur. *Tertium* & ultimum membrum videtur ad *deprecatores* & *intercessores*, quorum unus erat propheta ipse, spectare; *& quis flectet ad rogandam pacem Tibi?* sive ad Te salutandum, & pacem dicendam, sive ad *quaerendam* & *petendam* pacem. Verbum סור proprie est *flectere*, hinc, pro varia structura, vel *recedere* ab aliquo, vel *accedere* ad aliquem, ut hic; modo לך in fine vers. cum hoc verbo etiam connectatur, uti potest; occurrit vero in fine, ut simul cum *petere pacem* construatur. Sensus est, neminem esse, qui in posterum aut id facturus sit, aut cum fiducia præstare ausus: sicut propheta quoque ab hac intercessione destitit.

§. CCCII. 2. Additur ratio, quare nemo id facere amplius queat, a desperata populi conditione petita, & Dei defatigatione in poenitendo, vers. 6. *Tu abjecisti me, dictum Jehovæ, retrorsum itabis: & tendam manum meam super Te, & disrumpam Te; defatigatus sum poenitendo.* Continent verba & corruptionem populi, & judicium Dei, certo infligendum. Depravatio populi sita est in præsenti abjectione Dei, & futura magis. Verba sunt emphatica; prius נטש proprie est *solvit*, sedemque habet in re, quæ nodis, quibus constricta est, exsolvitur; unde est negligere, abjicere, omni vinculo rupto. Sensus ergo est, Judæos Deum, ducem, Dominum & maritum suum, quocum arcto foedere juncti erant, plane deseruisse, & abjecisse. Altera phrasis, *retrorsum ire*, desertionem illam magis auget, dicitque, eos, se vinculo illo exsolventes, longius a Deo discessisse, & ipsum ducem suum deserendo retrocessisse ad idola, & quævis scelera; *retrorsum* itaque *ivisse*, longius & longius, sine animo revertendi. Quo etiam facit, quod non in præt. *retrocessisti*; ut modo *abjecisti me*; sed in fut. occurrat, *re-*

 trorsum

trorsum ibis, sicut nunc & antea, ita & in posterum, magis magisque; absque ut ulla spes ad me redeundi supersit. Vid. c. v: 2. Judicii descriptio, *& tendam manum meam &c*: nihil habet obscuri. Radix נטה proprie est *tendere cum inclinatione*, & de manu *extensa*, ut hic, ac *inclinata* ad feriendum adhibetur: cujus effectus foret totale excidium, uti additur, *& disrumpam te*, proprie *vellendo* & *radendo*; quae proprietas est verbi שחת. Ad certitudinem & necessitatem hujus judicii pertinet, quod additur, *defatigatus sum poenitendo*. h. e. saepe minas meas retraxi, vel temperavi, in gratiam populi, quod est *poenitere* Dei; sed nunc non amplius faciam, cum quasi *defatigatus sim*, ut non amplius id facere possim. Quod ἀνθρωποπαθῶς de Deo dici, nemini non in promtu est.

§. CCCII. δ. *Quartum* membrum continet *justificationis* praecedentis novam instantiam, qua necessitas judicii ulterius urgetur ex superioribus judiciis frustraneis, quae populum nihilo meliorem fecerunt; adeo ut ferri amplius non debeat, nec possit, vers. 7. *& ventilabo eos ventilabro in portis terrae; orbavi perdidi populum meum, a viis suis non recesserunt*. h e. ut magis elucescat, ultimum excidium esse necessarium & ipsis certo eventurum, publice declaro, me eos amplius ferre non posse, sed longe lateque esse extra terram suam dissipaturum; cum omnia mea superiora judicia frustra ceciderint, nec eos ad meliorem mentem redegerint. Sermo hic non ad populum, ut modo, dirigitur, sed de populo fit in tertia pers., quia Deus nova instantia judicium suum & justificat, & certo futurum declarat. Rectius flueret oratio, si ultima verba, *defatigatus sum poenitendo* cum nostro verbo connectantur, *versuum* distinctione mutata; quando recte non tantum per *&* junguntur verba, quae particula alias censeri posset frustranea, sed tenor orationis praeterea facilior & elegantior foret, si lectio Hebr. secundum versionem LXX Interpretum instituatur in verbo הנחם, punctis mutatis, & radice non נחם sed נוח admissa, unde Infin.

in Hiph. הניח, vel הניחם, *quiescere sinere & facere eos*, scilicet secure, instar gregis *potantis*, aut in *stabulo*. Quæ proprietas est verbi נוח. Verbum vero נלאה proprie est, *tortus*, *intortus fuit*, obhæsit, se expedire non valens; inde ἀτονεῖν & *defatigari*, ac *ad incitas* redigi, etiam cum adlusione sæpe ad *onus grave*, quod *torquet* & *elidit*. Phrasis vero, *tortus seu fatigatus sum*, *quiescere sinendo* vel *faciendo*, humano loquendi more de Deo, dicit, grave nec ferendum amplius onus esse Deo, populum in statu quietis & stabulationis ferre, & sinere, uti Jes. 1: 14. *defatigatus sum ferendo*, vel *ferre*. LXX nostro loco, rem exprimentes, habent οὐκέτι ἀνήσω αὐτούς. Commendat hunc sensum, quod subjungatur, *& dissipabo* vel *ventilabo eos*: quod τῷ *sinere quiescere* manifeste oppositum est, & indicat, tale quid præcessisse, cui hæc ventilatio opposita est: ceteroquin etiam vix ratio datur, quare hoc verbo usus fuerit propheta in judicio Dei in populum proferendo. Significatur vero phrasi, *ventilabo eos ventilabro in portis terræ*, populum magno nisu longe lateque esse extra terram dispergendum, met. a ventilante sumta, qui ventilabro frumentum longe lateque projigit; non *manu* simpliciter, sed *ventilabro*, ut longior & violentior dissipatio intelligatur. Sed quid sibi vult, *in portis terræ?* seu locis munitis, & limitaneis, quæ hic *portæ terræ* adpellantur, uti demonstravit Cl. Schultens *a*, sicut loca ad Granicum fluvium Plut. *b* adpellat *portas Asiæ*. Videtur respici ad Deum, tanquam ventilatorem in *portis terræ* stantem, & populum extra terram expellentem: ut recte Schmidius, qui videatur. Reliqua, *orbavi perdidi populum meum, a viis suis non recesserunt*, cum Interpretibus non ad sequentia & futura, sed præterita tempora retulerim, & de judiciis castigatoriis, quæ conversionem populi, quam intendebant, non produxerunt, intellexerim, eo scopo subjuncta, ut ratio reddatur plenarii excidii; quia populus sæpe a Deo punitus, novissime adhuc graviter, nihilo melior

 facta

a ad h. l. *b* in Alex. p. 672.

factus erat, adeoque nunc amplius non ferendus, sed dissipandus extra terram. Nititur hæc expositio verbis præt. temporis, quibus utitur Propheta, & nexu orationis, qui exigit, populum, licet orbatum & perditum, non recessisse a pravis suis viis, seu vitæ institutis. Phrasis vero, *orbavi perdidi populum meum* dicit, *orbando perdidi*, vel *perdendo orbavi*, magna strage populi facta; sicut sæpe antea, ita novissime in *Josia*; totalis excidii prænuncia, quo sublato *præsidium* populi censebatur ablatum, adeoque populus omni protectore *orbus*, nisi resipiscat; quod cum non factum sit, populum tradidi totali *perditioni*. De præterito Dei judicio etiam nobiscum intellexit Calvinus, & Ghislerius, sed ad illud in Ephraimitas præcipue retulit, quo Judæi debuissent ad meliorem mentem adducti fuisse. Sed sequentia repugnant, & de Judæis hic manifeste agitur, a Deo castigatis. 1. Cum prius membrum de Judæis intelligatur, posterius utique ad alios, nisi coacte, referri nequit. 2. Titulus עמי *populi mei*, absolute positus, Israeli, a Juda distincto, minus convenit. 3. Totalis destructio non describitur, sed castigatio severa excidii prænuncia, *a.* quia populi conversionem intendebat, quæ non secuta exstirpationem demum adferret. *b.* quia in virorum clade tantum ponitur, indeque orta consternatione. *c.* Superstitum excidium tanquam futurum mox subjungitur. 4. Calamitas hic depingitur subito & improviso facta: quod a regni Ephraimitarum destructione abhorret, in tempus Josiæ unice quadrat. 5. Denique exponi nequit, quid *mater*, in specie *selecti*, sibi velit; & quare ea in specie, ejusque consternatio memoretur. 6. Addere licet, calamitatem repræsentari, tanquam quæ in florentem populi statum ingrueret; quo *meridiei* emblema ducit: quod a tempore excidii Israelis alienum esse, constat; cum magna populi pars jam tum esset destructa, ac deportata, & omnia confusa ad finem vergerent.

§. CCCIV. *a. Quintum* membrum exhibet uberiorem deductionem *orbationis* populi modo memoratæ, tanquam ma-

joris, adhuc secururæ, prænunciæ, vers. 8, 9. *Multiplicatæ mihi sunt viduæ eorum præ arena maris: adduxi ipsis super matrem selecti vastatorem in meridie: cadere super ipsam feci subito alienationem mentis & consternationes; flaccida est quæ peperit septem, exspiravit anima ejus, occidit sol ejus, dum etiamnum dies erat, pudore confusa, & ignominia notata est; & residuum eorum gladio tradam coram hostibus eorum; inspiratum Jehovæ.* Quæ verba ut recte intelligantur, sunt enim haud facilia, & varie accipi solent, notandum est, 1. ea partim ad præterita, & præsentia, partim ad futura tempora respicere; cujus indicium est in verbis diversi temporis, quæ adhibentur: ultimum enim membrum occurrit in fut., *residuum tradam gladio*, cum reliqua in præt. sint. 2. Quæ in præt. efferuntur, *primo* quidem sensu de nece virorum jam proxime facta agunt, attamen sensu *secundo* simul respiciunt ad cladem longe graviorem, sub finem reip., cujus signum prænuncium erat clades accepta. Quæ ratio est, quare præsens clades vivis coloribus depingatur, quod de hyperbole nimium traheret; nisi simul comprehenderetur clades futura: quam itaque propheta in præsente calamitate, tanquam imagine, simul conspiciendam præbuit. 3. Clades, quam propheta directe & primo sensu in oculis habuit, in nece virorum sita, ea est, quam populus passus est a Pharaone Necho sub Josia, cujus, ut modo vidimus, proxime meminerat; quæ multas peperit viduas, & domum regiam maxime adflixit, Josia occiso, & Joachaso, seu Sallumo, a populo electo rege, in captivitatem abducto; quam calamitatem propheta quoque deflevit, c. XXII. 6, 7. 10, 11. Sicut vero ingens fuit illa clades, quæ multorum virorum, imprimis Josiæ, necem produxit, & Sallumi captivitatem, ita initium erat & præludium longe gravioris per regem Chaldæorum, quæ paulo post secuta est. De hac clade eo, quo dixi, sensu, hic agi, liquet. *a.* ex nexu cum præcedente versu, cujus hic datur amplificatio. *b.* quia alia clades hoc tempore non exstitit. *c.* in eam imprimis quadrat, quod de ma-

matre electi, & quæ *septem peperit*, habetur: uti mox patebit. 4. Denique notetur, quod ex dictis sponte sequitur, *viduas*, & *matrem* & *quæ septem peperit*, proprie & ad litteram capi debere; quo & voces ac phrases manifeste ducunt. Cum vero *viduæ*, proprie sic dictæ, intelligendæ sint, uti facile adparet, *mater* alium quoque sensum vix patitur. Nec tamen intercedo, quominus sensu penitiore simul digitus ad *metropolin* populi, seu Hierosolymam, intendatur, quam optime potuit expingere *vidua Josiæ*, directe intelligenda: ut nunc exponere incipio.

§. CCCV. Cum dixisset Deus, *multæ mihi sunt viduæ ipsorum præ arena maris*, h. e. me inspectante, permittente & dirigente, *viduæ* populi, modo adpellati *orbati* & *perditi*, valde auctæ sunt, & augebuntur magis, instar *arenæ maris*, hyperbolice scilicet, pro magno numero, nunc per cladem a rege Aegypti, deinceps a rege Chaldæorum: hoc, inquam, cum dixisset, in specie memorat unam illustrem viduam, uxorem Josiæ, nunc etiam occisi, quam appellat *matrem electi*, & mox *quæ peperit septem*; una enim & eadem est mater electi, & quæ septem peperit. Ejus vero in specie meminit propter domum regiam, sub Josia florentem & numerosam, sed nunc, partim desolatam, partim vastandam penitus. Sed quid sibi vult *mater* בחור *selecti?* hæ enim voces secum sunt construendæ: vox enim בחור cum *vastatore* conjuncta vix sensum commodum habet, sive de rege *juvene* vastatore, sive de *juventute* bellica interpreteris, cum ratio non adpareat, quare rex *juvenis* adpellaretur, nec etiam quare *juventutis* bellicæ hic mentio fieret, ne dicam, vocem, absolute positam, eum sensum vix admittere. Cum vero *mater* hic sit vidua Josiæ occisi, ut observavi; ea *mater selecti* adpellari poterit, quatenus est domus seu familia selectæ, & præstantissimæ inter Judæos, mater, vel etiam *populi selecti*, Judæi scilicet, *mater*, prout vel עם vel בית subintelligitur, quod æque potest ac *viri* aut *filii*, quemadmodum, licet ampliore sensu, Debora adpellatur *mater*

Israe-

Israelis Jud. v: 7. ut & urbs Abel 2 Sam. xx: 19. quia plena erat incolis sapientia & prudentia conspicuis, & consiliariis quasi Israelis. Super hanc *matrem* Deus *adduxit vastatorem*, nempe regem Aegypti, qui & maritum Josiam occidit, & filium, nuper *electum* regem, secum abduxit in Aegyptum, domumque regiam fecit sibi *subjectam*. Nec emphasi caret, quod dicitur, adduxi *ipsis* super *matrem*, quia in poenam & maximum damnum totius populi cedebat. Additur, adduxi vastatorem *in meridie*, ut indicaretur, hanc cladem improviso & cito accidisse, dum populus & domus regia in pleno vigore erat ac flore. Sicut enim *lux* & dies est gloriæ ac felicitatis emblema, ita *meridies* ejusdem firmæ ac summæ, uti notum & in omnibus linguis vulgatum est. Sed non possum, quin observem, simul forte adludi in phrasi שדד. *vastatoris* in *meridie*, ad urentem & pestilentem ventum, in *meridie* ibi maxime grassantem, hominesque improviso misere necantem, qui Ps. xci: 6. *venenata mixtio atra ac infausta meridiei* videtur adpellari. Eo enim ibi respici, non male observavit Cl. Harenberg *a*: ישור vero esse potest nomen rad. שור, quæ, ut Arab. שור, dicit *nigrum* & *tenebrosum* esse, figurate, *dirum* & *infaustum*; Hebr. quoque שור *linere*, *oblinere*, & סוד pro *arcano*, a nigredine; unde quoque שדד nostro loco repeti possit, ut sit Pih. radicis שד, & obscurandi, dirum reddendi, sensum adferat. Sequitur, explicationis ergo, *cadere feci super ipsam subito æstum* & *terrores*, seu æstum doloris, consternationis & horroris, proprie, secundum vim verbi בהל, *quassationis*, seu terroris animum ita *percellentis*, ut sibi quasi *excutiatur*, nec sui amplius sit compos. Vox vero עיר, quam varie capiunt Interpretes, nec *urbem*, nec *hostem* denotat, sed proprie *æstum*, inde *consternationem*, quæ animum exagitat, & effervescere facit. De quo vid., præter Schultens *b*, Schroeder *c*. LXX, τρόμον *trepidationem* vertentes, simile quid

in

a Bibl. Brem. cl. VIII. *b* ad h. l. [illegible]

in animo habuisse videntur. Orta vero hæc matris consternatio est ex subita clade domus in morte *viri*, & abductione Joachasi, ac metu ulterioris vastationis familiæ regiæ.

§. CCCVI. Exaggeratur, & plenius hæc consternatio matris regiæ deducitur, verf. 9. *Flaccida est, quæ peperit septem*, scilicet, eadem mater domus selectæ, multæ prolis mater: habuit enim Josia varios filios, & filias, florentem & numerosam sobolem, ut ex 1 Chron. & historia liquet: quod numero septenario indicari, satis est tritum: ipsa hæc phrasis eo sensu occurrit, 1 Sam. II: 5. a *Exspiravit anima ejus*, moerore confecta, & metu consternata, sive inde mortua, sive morti proxima. *Occidit sol ejus, dum etiamnum dies est*, h. e. in plena luce prosperitatis, domus ejus omni luce & splendore orbata est, & tenebris repleta; occiso in primis *marito* ejus Josia, vero domus *sole*. Sic Israeli *sol in meridie* dicitur *occidisse*, Am. VIII: 9. in *Zacharia*, filio Jeroboami, occiso, quando cuncta fuerunt confusa, & ad excidium regni spectarunt; nec non Judæis, circa tempus totalis excidii per Romanos, in *Agrippa seniore sol* quoque legitur Joel. III: 4. in *tenebras vertendus*. Solem præterea esse regiæ Majestatis emblema, tritum satis est. *Pudore confusa est* & *ignominia notata*; quod facile est intellectu. Additur, *& residuum eorum gladio tradam coram hostibus eorum*: *residuum*, scilicet, domus & prolis, non ejus tantum, sed & *eorum* seu Judæorum, gladio occidendum tradam hostibus *Chaldæis*; ut ex historia constat. Interpretes, qui de futuro excidio interpretantur, vix expedire potuerunt, quid sibi *hoc residuum* velit gladio delendum; sed ex nostra hypothesi faciles habet explicatus, ut ex dictis liquet. Quare plura non addo.

§. CCCVII. 1. *Sexta* pars continet querulam expostulationem prophetæ super acerba sua sorte inter Judæos, quod se-

a Vid. Doctiss. de Ori disp. Academ. erudita, ab ipso conscripta, me tantum præside defensa, ad 1 Sam. II: 5. &c.

cum rixarentur, et sibi maledicerent; licet nihil sibi cum ipsis negotii sit, propter quod homines soleant esse odio & maledictioni; tantum itaque, quod munere suo rite fungeretur, & propterea dura adnunciare debuerit. In quam expostulationem erumpit ex desperatione, quod nihil a Deo in favorem populi impetrare possit; adeoque nihil lucretur, quam ut ab omnibus pro viro litigioso haberetur, cuique omnes contradicant, & maledicent. Expostulat quidem cum *matre*, quod se pepererit, sed figura est oratoria & pathetica, quæ simpliciter miseram sortem exprimit, & tædium vitæ exponit. Quæ expostulatio, licet commotum & exulceratum Prophetæ animum aliqua ratione repræsentet, & eo conspectu aliquid vitii habeat conjunctum, ex infirmitate humana ortum; eo tamen præcipue tendit, ut Judæos acriter perstringat, tanquam hujus acerbæ sortis, indeque ortæ expostulationis, autores; præterea eos de judicio excidii, culpa propria provocato, magis redderet certiores: cum nihil prophetæ supersit, quam conqueri de sorte sua; nihil boni nunciare possit, nihil apud Deum aut populum proficere. Verba ita sonant, vers 10. *Va mihi! mater mea! quod peperisti me, virum litis & virum contentionis universæ huic terræ: nihil foenori dedi, nihil mihi dederunt; universitas ejus maledicens ipsa mihi*, vel *maledicentes mihi*. Argumentum querulæ expostulationis est, cum quod continuis rixis & contentionibus litigiosis exerceatur per totam vitam apud omnes, tum quod cunctis odio sit, & maledictioni, ut injusti & duri solent esse foeneratores ac debitores, absque ut aliquid ipsi cum ullo eorum fuerit commercii, ulla alia causa, quam quæ ex munere, divinitus imposito, nascitur. Nihil hic in verbis & phrasibus difficile, quod non est ab Interpretibus expeditum. Tantum not., vocem מקללוני esse part., vel plur. pro מקללים, est enim plur. antiquum מקללין vel מקללון, vel sing. compositum ex מקלל ני, ut sit, vel *maledicentes mihi*, vel *maledicens ipse mihi* a. Ceterum, cum hanc litis & maledic-

a Vid. Schultens Gr. p. 309. 499.

tionis solitam caussam tantum a se removeat, dominans scilicet fuisse inter Judæos vitium, quo opibus corradendis inhiabant, tacite insinuatum voluit, & perstringere: uti c. VI: 13. VIII: 10. & alibi palam fecit. LXX, ut illud verbo addam, reddentes ἡ ἰσχύς μου ἐξέλιπεν *vis mea defecit*, respexerunt ad verbum כלה *consumi, deficere*, & per ellipsin נפש vel רוח *animam* vel *spiritum*, quibuscum vocibus subinde construitur, addiderunt. Verbum כלה & alibi ita verterunt. Præterea cum hic verser, obiter observo, quod alias a scopo nostro in hoc commentario alienum est, pro ἀφίλησα & ἀφίλησε, in accuratioribus exemplaribus, teste Origene a, legi ἀφίλλησα & ἀφίλλησε: quod inter variantes lectiones non vidi relatum, sed ad Hebr. textum propius accedit. Capellus, & eum secutus Clericus, ἀφῆκα emendat, uti Syrus, teste Theodoreto, habet.

§. CCCVIII. 1. *Septima* pars pergit in judicio destructionis populi describendo, ut adpareat, Deum nec intercessione prophetæ, nec querula ejus expostulatione, quæ *proxime* præcesserat, dimoveri a sententia decretoria, mox exsequenda. Hic conspectus est & nexus pericopæ, vers. 11-14. Quæ quid ambigui habere videtur, cui subjecto sit adplicanda, cum ejus expressa non fiat mentio. Interpretes, vers. 11 & 12. passim ad Prophetam adplicare solent, & in bonum capiunt; alii tamen, ut Schmidius, priorem partem vers. 11. tantum ad Prophetam respicere autumant, reliqua omnia ad populum Judæum; quod sine dubio rectius est, cum sequentia, vers. 13, 14. sine controversia contineant mala Judæis infligenda; nullum vero personæ mutatæ indicium occurrat, phrases quoque nos ducant ad malum infligendum per totam pericopam. Sed illæ rationes debuissent eos quoque permovere, ut priorem partem vers. 11. ad Judæos quoque adplicarent, & in malum sumerent, cum oratio uno tenore decurrat, & continuum sit ad eandem personam, quæ non nominatur, adloquium. Nec dubium est, quin id

a Hom. XIV. ad Jer.

fecissent, si verba in malum accipi posse perspexissent. Quod recte fieri, mox patebit. Deus itaque Prophetam hic non adloquitur, sed populum Judæum, ut ex vers. 13 & 14. manifestum est, nec consolando prophetam respondet ad querulam ejus expostulationem, quod postea demum fit, sed declarat, Prophetam nec intercedendo, nec querelas ciendo, aliquid proficere posse, cum Deus a judicio exsequendo nihil sit remissurus: habebat enim querula illa expostulatio speciem aliquam intercessionis, ut Deus permoveretur rerum faciem ita immutare, ut rixæ illæ & maledictiones populi, respectu prophetæ, cessarent. Præterea Deus tacite respondet ad illas contentiosas & maledicas populi cum propheta rixas, & contradictiones, eas retundens, declarando, prophetæ minas, nomine Dei prolatas, veritatem & effectum habituras, & Jeremiam tanquam verum prophetam esse ipso facto demonstrandum.

§. CCCIX. Relegamus, hac jacta hypothesi, hos versus, & verum eorum sensum exhibeamus & illustremus. *Dixit Jehova, si non solverim te bene*, h. e. omni vinculo, quo mihi es, adligatus, omni mea cura & ope, exsolverim, & solutum projecerim, valde & omni modo: hoc ni fecerim, verus non ero & verax Deus; adeoque certissime faciam. Habet enim speciem juramenti, & oratio elliptica, ita ut feci, supplenda, ac intelligenda est. Quod ab Interpretibus jam est observatum. *Jurat* autem Deus, ut rixas illas populi cum Jeremia finiat, & rem fortissime adseveret. Interpretes in errorem duxit in primis vocis לטוב usus in malum non observatus, præterquam quod plures verbum שריתך quoque non recte perceperint. Vox טוב & לטוב adverbialiter subinde sumitur pro *valde* & *vehementer*, ac *perfecte*; æque in *malum* ac bonum; ut Mich. I: 12. טוב 1 Reg. X: 7. *addidisti sapientiam* טוב *etiam valde*, uti verti debet, & indicatur 2 Chron. X: 6. & verbum היטיב Hos. X: 1. Mich. VII: 3. Ps. XXXVI: 4. ubi vide dicta. Sic et Lat. in *bene*, ut *bene stulti* pro valde, admodum. Verbum vero שריתך, quæ vera est lectio, radi-

cem habet רמה vel רמ *solvit*, nec non vinculis suis solutum projecit, unde ad *sagittam* et *telum* factus est transitus a. Sensus itaque est, Deum jurare; se populum, omni vinculo secum solutum, projicere valde & perfecte. Sequitur, *si non incursare in te feci, tempore mali & tempore angustiæ, hostem illum*; fortem nimirum & terribilem, emphatice sic dictum. Verbum הפגיע cum *hoste* construendum est, & hostilem incursationem comprehendit, ut recte a *Schmidio*, post alios nonnullos, observatum est. Adhibetur de *incursatione gravioris* alicujus calamitatis b.

§. CCCX. Sequens versus 12*mus*, *an confringetur ferrum, ferrum*, inquam, *ex Septentrione, & æs?* incursationem hostis, modo memoratam, declarat fore invincibilem, & ex Septentrione orituram; quæ tantum abest ut retundi possit, ut per omnia perruptura sit, & omnia claustra sit confractura. Versum in hunc sensum recte illustravit Schmidius, quare nihil addo, nisi alludi ad *ferrum chalibaum*, quod a Grotio & Clerico jam notatum est, quod est omnium firmissimum. Accedit, arma in regionibus Septentrionalibus fabricata, præstantissima fuisse censita c. Subjiciuntur mox tristia incursationis, & ferri impactionis, effecta, vers. 13. *Opes tuas & thesauros tuos in prædam dabo sine pretio* (non vendam, sed spoliandos dabo), *& propter omnia peccata tua, & in omnibus terminis tuis*: quibus & *causa* meritoria deprædationis, & ejus *amplitudo*, per omnia loca indicatur: uti etiam recte a Schmidio est observatum. Tandem subjungitur, vers. 14. *& transire faciam*, (instar fluvii tumidi & exundantis) *hostem tuum in terram, non nosti, quia ignis exsiliit in nasum meum, super vobis flagrabit.* Nihil hic impediti, nisi in vocibus *non nosti*, quæ interpretes ad valde aliena, etiam nonnullos ad lectionem verbi והעברתי mutandam in והעבדתי compulerunt. Lectio mutata, cui autoritatem aliquam conciliant LXX & Chald., non foret rejicula

a Vid. Schmidt. ad Job. XXI: 17. b Schultens ad Hiob. V. 19. c Vid. Bochart. Phal. L. I. 3 C. 13.

legeretur, הֶעֱבַדְתִּיךָ, ut c. XVII: 4. *servire te faciam hostibus tuis in terra, quam non nosti*, sed cum a lectione Masorethica non sit facile recedendum, nec, ut modo dixi, occurrat הֶעֱבַדְתִּיךָ, desit quoque אשר ante *non nosti*, secus ac c. XVII: 4., lectio recepta est retinenda, quæ egregium fundit & facilem sensum, in versione expressum, nec aliquid habet, quod turbat, modo sensus & usus phraseos, passim ignotus, *non nosti*, recte advertatur. *Non nosti* non cohæret cum *terra*, ut acceperunt, quod commodam non admittit explicationem, ut ex diversis interpretum conatibus quoque intelligitur; sed per se stat, & nihil aliud denotat, ac *subito necopinato*, de *improviso*; ut habuimus supra c. XI: 19. & ibi demonstravimus. Quando cuncta sunt facilia, & egregium fundunt sensum. Ultima verba reddidi, *quia ignis exsiliit in nasum meum, super vobis flagrabit*, secutus veram emphasin verbi קדח & vocis אף; de quo jam dixi ad Deut. XXXII: 22. quare nihil addo, nisi verbo יקד, & phrasi *super vobis* יֵקָד, comprehendi ideam foci vehementissime *flagrantis*, exurentis & consumentis omnia [a]. Primaria vero, quod observo, vis conspiciendam sese præbet in radicibus قدّ & قدح *secare, conscindere*, & diverberare cum scissura longiore, ut Gr. καίω a κάω *scindo*, *seco*.

§. CCCXI. n. *Octava* pars continet preces Prophetæ ex impatientia, & inde orto tædio vitæ, fusas ad Deum omniscium & justum judicem ac patronum, quibus orat, ut, cum nec Deus in bonum populi flecti, nec populus a propheta ad necem quærendo dimoveri possit, ut, inquam, Deus finem huic suæ miseræ & adflictæ conditioni, non amplius ferendæ, imponat, sive vindictam ab hostibus suis sumendo, sive se e medio ipsorum, morte placida & beata, auferendo. Quas preces vers. 15. proponit, & dein, vers. 16, 18., ex munere fideliter peracto, ac præsente intolerabili sua conditione, urget. Occasionem harum precum dedit, quod propheta nec apud Deum nec apud populum aliquid impe-

[a] Vid. Rev. Hackman præcid. I. ad Lev. VI: 2.

trare potuerit, quodque hostes non cessarent ipsius necem omni modo quærere; adeo ut prophetæ nihil amplius in vita restare videatur agendum, & sicut tædium vitæ supra significaverat, vers. 10., nunc magis adfectui commoto indulgens, a Deo petit, ut tandem huic rei finem imponat, vel hostes illos persecutores reprimendo, vel prophetam morte placida ad sedes beatas transferendo; fere sicut olim Elias simili in casu precatus est, 1 Reg. XIX: 4. Hic verus conspectus est hujus pericopæ, minus recte perceptus. *Preces* ita sonant, vers. 15. *Tu nosti, Jehova! recordare mei, & visita me, & ultionem mihi sumito de insectatoribus meis: ne sit longitudo nasi tui! adsumas me; agnosce, me propter Te ferre opprobrium*, h. e. cum Tu omnia noveris, meumque etiam statum miserum & ejus causam, quod propter Te feram opprobrium, & ad necem quærar, probe perspectum habeas, res ad summum pervenerit, ita ut finem imponere debeas huic rei, nec amplius longanimitate uti, cujus locus non est, alterutrum quæso facias, vel me in gratia Tua visites, & ad Te adsumas, vel hostes meos repellas, ut a me persequendo absterreantur. Relegamus secundum hanc hypothesin & paraphrasin verba, &, ubi opus fuerit, luce aliqua perfundamus. *Tu nosti, Jehova!* (scilicet, sicut omnia, ita & præsentem meam conditionem miseram, ejusque causam;) *recordare mei* (demonstra, Tibi hæc omnia nota, & cordi curæque esse;) *&, aut, visita me, &, aut, ultionem mihi sumito de persecutoribus meis* (h. e. *aut* me in gratia tua visita, tanquam Judex, vindex & patronus meus, *aut* hostes & persecutores meos ulciscere, eos, si aliter fieri nequeat, puniendo, utique a me persequendo absterrendo. Duplex *&* hic alterutrum fieri debere indicat, adeoque recte per *aut* vertitur, quod & alibi obtinet, ut c. XX: 10, 16, 17.) *ne longitudo nasi tui* (scilicet, amplius sit, ne patienter & longanimiter hanc conditionem meam & hostium adspicias ac feras. Verba seorsim stant, nec cum seq. verbo *adsumes me* construenda sunt, ut fecerunt Interpretes, qui va-

rie instituunt, nec sensum commodum extundere potuerunt: phrasis quoque prorsus est sine exemplo, & insolens. Ex nostra vero sententia valde emphatica est phrasis, *ne longitudo nasi tui* sit, pro absit hoc, abrumpe patientiam: quem usum negandi emphaticum haud infrequenter habet אל, uti ad Ps. XXXIV: 6. & LVII. 1. observavi. Potest vero ל in לארך redundare cum emphasi, uti sæpe in nom. & accus., vel vocula אל hic exserere veram suam vim originalem; est enim imperat. in Pih. radicis אלה, unde אלה contracte אל, habetque originaliter vim *constringendi*, secundario *arcendi*, *prohibendi*, *inculcandi* serio, *cave facias*. Verti ergo poterit, *constringe longitudinem nasi tui*. Quod valde elegans est & emphaticum. Ceterum concinit dictum viri sapientis Sirach. XXXII: 18. Dominus οὐ μὴ βραδύνῃ, οὐδὲ μὴ μακροθυμήσει ἐπ' αὐτοῖς *non tardabit, nec longanimus erit super eos*. Ex quo effatum Domini nostri, Luc. XVIII: 7. illustrari possit, maxime si legeretur, καὶ μὴ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς, quum rectius subjungitur, *vindictam faciet* ἐν τάχει *subito*. Addit, *adsumas me*, ut, quod modo dixerat, *visita me*, explicaret, & quid potius haberet expectoraret. Cum modo alterutrum petierat, aut *visita me*, aut *ultionem sume* de hostibus; nunc se potius *visitationem* velle declarat, hostibus misericordiæ vel justitiæ Dei relictis; verbum vero לקח hic retinet usum, satis notum, quo mortem vel adsumtionem placidam & beatam denotat. Proprietatem habet in *carpendo*, *decerpendo*, unde ad usus *capiendi* varios transiit, in bonum & malum; aliquando cum insigni emphasi, ut Gen. V. de Henocho, *Deus carpsit eum*, h. e. decerpsit de reliqua massa mortalium in beatam immortalitatem. Sic & de adsumtione per mortem beatam in coelum Jes. LIII. Ps. LXXIII: 24. quod Elias dixit 1 Reg. XIX: *adsumere animam meam*. Subjungit instantiam petitionis, *scito*, *ferre me propter Te opprobrium*; adeoque tuum esse, me liberare, & causam meam vindicare. In quo nihil est impediti.

§. CCCXII. Urget preces *partim* ab animi adfectione,

vel læta vel tristi, pro diversitate revelationis, vel prosperæ vel malæ, sibi factæ respectu populi, quam hucusque in munere prophetico præstiterat, adeoque amorem, non odium & infestationem, populi meruerat, *partim* a gravitate insectationis non amplius ferendæ, ne Deus videatur minus verax &c. *Prius* his verbis; vers. 16, 17. *Inventa sunt verba tua, & comedi illa, fueruntque mihi verba tua gaudio & lætitiæ cordis mei, quum nomen Tuum super me vocatum est, Jehova Deus exercituum. Non sedi in coetu renidentium, & exsultavi; propter manum tuam solitarius sedi, quum æstu efferverscente implevisti me.* h. e. cum læta & prospera populo mihi revelasti, lætatus sum summopere, cum vero tristitiæ & indignationis tuæ plena, tantum abest, ut in sinu fuerim gavisus, vel socius in occulto renidentium & exsultantium, ac si male voluissem populo meo, ut solus & tristis sederim; adeoque flagrantem semper erga populum spiravi adfectum, nihilque merui, quare odio omnibus sim, & ad necem me quærant, meque habeant virum contentiosum & rixosum; ut vers. 10. dixerat. Hic verus est horum verborum sensus, & scopus, quem cum Interpretes non observarunt, in devia abrepti sunt, sive de præterito, sive de futuro, ut Schmidius, interpretati sint. Quibus refutandis immorari non licet; nec opus est, cum sensus, quem dedi, sese sponte sua commendat. Diversum suum adfectum propheta exponit, pro diversa revelationis materia, ex amore populi ortum, & de eo testantem, *lætum*, si prospera esset revelatio, sed *tristem*, si improspera. Ad *priorem* pertinet vers. 16., ad *posteriorem* vers. 17. *Priorem* hæc verba exhibent, *inventa sunt verba tua* (si consolantia, & jucunda ac pacifica mihi contigerunt verba tua, quæ mihi revelasti, & ut proferrem in mandatis dedisti. Not. usus verbi דבר pro verbis solantibus adloqui, quod alias dicitur *loqui ad cor*, unde דבר verbum consolatorium, pacificum & lætum. De quo dixi ad c. v. 13. & recurret c. XXIII: 34. ne nunc alia proferam. Hinc unice dependet verus hujus vers. intellectus), *& comedi illa*

(avi

(avide & cum delectatione recepi, & in succum ac sanguinem verti: ut Plautus alibi, *nimium libenter edi sermonem tuum*. Conf. etiam. Ez. III: 1. Ap. x. & alibi.) *& fuerunt verba tua mihi gaudio & lætitiæ cordis mei* (intus & in animo gavisus sum, lætitiamque oculis limulis, gaudioque natantibus, quæ propria vis est vocis שׂשׂון, ut alibi observatum, & aliis signis prodidi) *quia*, rectius *quum*, *nomen tuum super me vocatum est* (ex quo me prophetam tuum vocasti: quod recte jam est observatum: sed כי hic est non *quia*, sed *quum*, *quando*, ut alibi. Sensus est, se talem semper præstitisse, a quo ad propheticum munus vocatus est.) *Posteriorem*, seu contrarium adfectum, si tristis contigisset prophetia, hæc verba sistunt, vers. 17. *Non sedi in arcano coetu residentium & exsultavi* (socius non fui eorum, qui in sinu & occulto secum gaudent & exsultant, de aliorum malis & calamitatibus lætantes; longe ab eo absfui semper adfectu, sed e contra) *præ manu tua solitarius sedi* (manu tua gravi mihi incumbente & plagam judicialem minitante, gravi adfectus tristitia secessum quæsivi, & tristitiæ indulsi. In quo nihil est difficilis. Vid. supra c. XIII: 17. Tantum observetur, *manum* Jehovæ, prophetæ incumbentem, non esse simpliciter vim divinam, ipsum ad prophetandum quasi cogentem, uti c. XX: 7, 9. & *manus* sumitur Ez. I: 4. III: 14. pro raptu exstatico, sed & duram prophetiam ipsi injungentem, uti mox sequitur; sicut *manus* frequenter *plagam* expingit. Vid. supra vers. 6. & ad Ps. XXXIX: 11. Admitti hunc in sensum quoque *impetus* notio in voce מפני, *præ facie manus tuæ*, quam subinde habet *a*, potest. Verbum *sedere* pro lugentium habitu sumi notum est. De quo supra *b* dixi. Quo vox בדד etiam ducit, est enim subinde desolatorum & lugentium: uti Thr. I: 1. III: 28.,) *quum* (id enim hic rursus כי significat) *æstu effervescente me replevisti* (scilicet, prophetia terribili & severa de excandescentia tua, nobis incumbente, testante. Quod nonnulli jam recte observarunt. Vid. c. VI: 11.

Hhh §. CCCXIII.

a Vid. ad c. IX: 6. *b* ad c. XIII: 18.

§. CCCXIII. *Posterior* ratio, qua preces urget, ab intoleranda hostium insectatione desumta; ita habet, vers. 18. *Quare factus est luror meus purus putus?* (tristitia mea, quam *luror faciei* designat, vox enim נצח *luridum colorem* proprie exprimit, quare facta est, ut nunc est, pura puta, sine ullo temperamento, & plane victrix? quae emphasis est vocis נצח) *plaga mea*, (animo inflicta,) *desperata, renuit resarciri?* (adfectio itaque animi tristis plane desperabunda & non amplius ferenda; cui nulla superest medela. Indicat propheta, se adeo esse immersum tristitiae, ut vitae taedium conceperit, & a Deo e medio tolli desideret; ut supra habuimus.) Addit, *existendo existes mihi sicut subtractus, aqua infida?* (tune, qui me in hanc profundam conjecisti tristitiam, manum tuam mihi plane subtrahes, & mala morte perire sines? ut videris, nisi mihi cito succurras; quare enim alias in hunc statum, tam miserum & deploratum, praecipitasti? idne bonitati & veracitati tuae convenit? Verba sunt interrogative capienda, & eo, quo dixi, spectant. Nihil hic nota habeo, praeter ambiguum quid in voce מו, quae & pro particula *sicut*, ad *speciem* externam, sumi potest, & pro voce composita ex מו *aqua* & כ *sicut*. Est enim מו sing. constr., cujus absolutum est מו *aqua*, apud Hebr. מי. Utique studio fuisse hanc particulam captatam, ut simul ad *aquam* respiceretur, probabile sit. Vox vero אכזב proprie dicit *subtractum*, succo & vigore consumto; unde est *mentiri*, quo veritati detrahitur, & spes fallitur, & verba *succo* carent. Quod huc recte quadrat. Nec *mendacium aquarum* phrasis ignota est, uti Jes. LVIII: 11. ubi aquae memorantur, *quae non* יכזבו *fallunt*, se subtrahentes, opposite ad *aquas fidas*, perennes, quod mox sequitur; sic & Jes. XXXIII: 16. Indicatur itaque spei prostitutio, cum stagno facile *siccando* comparari solita, quale Arabes غدير adpellare solent, a radice غدر *perfide egit*. a.

§. CCCXIV. ט. *Nona* pars sistit responsum Dei ad desperabundam Prophetae quiritationem, qua muneri visus fuerat

a Vid. Schultens ad Job. VI: 15.

lit renunciasse, & vitæ finem desiderare; quod partim est *instructorium*, partim *consolatorium. Prius*, quo Prophetam instruit de via & ratione favorem Dei recuperandi, & in munere confirmandi, ita sonat, vers. 19. *Propterea sic dixit Jehova; si reversus fueris, redire quoque te faciam, coram me stabis: & si eduxeris grave a dissoluto, sicut os meum eris; redibunt illi ad Te, sed Tu non redibis ad illos.* h. e. cum indecenter te geras, animo succumbendo, & munus Tibi impositum mutatum cupiendo, scias, si tam honorificum munus tibi cum dedecore & indignatione mea ereptum nolis, animum Tibi resumendum esse, & quicquid Tibi dixero, sive bonum sive malum, fideliter promulgandum, gravi ac pretioso a dissoluto & vili separato: quod si feceris, restituam Te, & os meum eris ad populum; ita ut, si salvos se velint, ad Te, tanquam verum prophetam, se adpliciturі sint; tu vero ad eorum societatem & mores non sis te adcommodaturus. Verba pro hypothesi habent, prophetam, nimio moerore confectum, vel *munus* mutatum, ut non tristia sed læta adnunciaret, vel e vita ereptum voluisse: quemadmodum c. xx: 9. simile quid insinuat. Eo autem tendunt, ut propheta edoceatur, quid agere, & qua ratione instituere debeat, si in munere mansurus, & Deo gratus, ac populo utilis, futurus sit. Si *redieris* (ad animum sedatum, & compositum, ad munus recipiendum, & omnem metum deponendum, & ita ad mihi inserviendum. Verbum absolute positum ex antecedente & consequente est restringendum; ita ut feci.) *& reducam Te, coram me stabis* (tunc te recipiam, restituam, & in munere prophetico firmiter te consistere faciam, mihique gratus eris ac acceptus; nihilque metuendum habebis. *Stare coram Dei facie* est, intimioris admissionis ministrum Dei esse, & verba ex ore ejus haurire; Vid. 2 Reg. III: 14. Prov. XXII: 29.) *& si eduxeris grave a dissoluto* (h. e. si verbum meum, quod grave & pretiosum est, a verbo hominum, quod leve, & fluxum est, probe separaveris, fideliterque illud & pure enunciaveris;

piis quoque & resipiscentibus læta, improbis & obduratis tristia, adnunciaveris. *Grave* & *pretiosum*, sicut vile & fluxum, vel ad *verbum* promulgandum, ut c. XXIII: 28., vel ad *homines* referri potest. *Priore* sensu dicit, verbum Dei pure & fideliter, sine admixtione humanarum cogitationum & adfectionum, esse promulgandum; *posteriore* vero, distinguendum inter probos & improbos, ita ut non promiscue bona & mala, sed illis bona, his mala adnuncientur; uti est c. XVII. & Jes. III: 10, 11 & alibi. Ceterum radices זלל & זלל proprietatem habent in *laxitate* pendula & profusa, unde & *vilitatis*, quæ nullum habet pondus, & laxo impetu profunditur, & *epulonis*, qui laxus, dissolutus, ac in omnem nequitiam pronus est, notio fluxit. Hic itaque egregie opponitur יקר proprie *grave*, ponderosum, inde pretiosum a.) *sicut os meum eris*, vel *secundum os meum eris* (verum & fidelem te præstabis prophetam, qui mea verba pure & recte profert,) *redibunt illi ad Te* (ad tuam communionem & societatem tanquam veri prophetæ; scilicet, *si salvi esse velint*; quod reticetur, sed mente intelligendum est:) *& tu non redibis ad eos* (ut eorum favorem & amicitiam captes, ne eorum manu pereas; ego enim Te salvum præstabo: ut mox sequitur.) Sensus ergo ultimi membri est, eos, si salvi esse cupiant, ad prophetæ societatem & amicitiam quærendam sese conferre debere; non e contra prophetam, ut salvus sit, nec manibus eorum pereat, ad eorum amicitiam, cum Deus eum sit tutaturus. Plura non addo, cum peti possint ab Interpretibus.

§. CCCXV. *Posterior* pars responsi est tota consolatoria, ad metum prophetæ eripiendum directa, & ut intrepide in munere pergat, nulla ratione sese ad populum adcommodans; ut modo dictum. Verba ita habent, vers. 20, 21. *Et posui Te huic populo murum aeneum præruptum; & oppugnabunt Te, sed non prævalebunt Tibi; quia Tecum ego ad servandum Te, & eripiendum te, inspiratum Jehova, & eripiam*

a Vid. ad Ps. XLIX: 8.

piam Te manui malorum, & redimam Te e vola violentorum. Respicitur manifeste ad promissum Dei, prophetæ in inauguratione factum c. 1: 18., quod hic repetitur & executioni mandandum, sicut hactenus factum fuerat, etiam in posterum, inculcatur: quo tendunt verba, vers. 21., quæ promisso repetito subjunguntur; & utrumque tempus, præt., ac fut., involvunt, ut sit; sicut Te hucusque eripui, ita faciam in posterum. Nihil hic difficile. Tantum notetur, בצורה hic non tam *munitum*, quam *præruptum*, quod arduum est ad *scandendum*, denotare, adeo ut duo distincta de *muro* efferantur, eum esse & *aneum*, qui dejici aut *frangi*, & *præruptum*, qui conscendi & superari nequit. Radix בצר habet *præcidendi* potestatem, unde ad arcem *præcisam* & præruptam, quæ ad scandendum est ardua, transfertur, uti Gr. ἀπότομος & Lat., *cautes abscissa.* Præterea observari velim, vers. 21. crescere orationem, &, quod modo in genere de propheta Judæorum insultationibus eripiendo dictum erat, extendi, & in specie referri ad rectores & potentes eorum, magis metuendos, uti c. XII: 5. qui hic רעים & *mali* & *pastores*, pro diversa punctatura, uti c. XII: 10. quoque observavi, nec non עריצים *terrifici* & *concussores*, de quo alibi [a] egi, adpellantur.

CONCIO SEPTIMA.

CAP. XVI.

1. *Et factum est verbum Jehovæ ad me, dicendo.*
2. *Non sumes tibi uxorem, nec erunt tibi filii aut filiæ in hoc loco.*
3. *Quia sic dixit Jehova de filiis & filiabus, in hoc*

[a] ad PS. X: 14.

loco natis, deque matribus, quæ eos pepererunt, &
de patribus, qui eos genuerunt, in hac terra.

4. *Mortibus excoriatorum morientur, non plangentur*
nec sepelientur, in fimum super facie terræ erunt,
& gladio & fame absumentur, eritque cadaver
eorum pastui avibus coeli, & feris terræ.

5. *Quia sic dixit Jehova; non intrabis domum luctus,*
nec ibis ad plangendum, nec complorabis ipsis: quia
collegi pacem meam ab hocce populo, inspiratum Je-
hovæ, benignitatem & misericordias.

6. *Et morientur magni & parvi in terra hac, non*
sepelientur, nec plangent eos, neque calvities prop-
ter eos inducetur.

7. *Nec frangent iis cibum propter luctum, ad conso-*
landum eos super mortuo, neque potabunt eos calice
consolationum super patre ejus, aut super matre
ejus.

8. *Nec domum convivii ingredieris, ut cum illis sedeas*
ad edendum & bibendum.

9. *Quia sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis;*
ecce me cessare facientem de hoc loco coram oculis
vestris & diebus vestris vocem gaudii, & vocem
lætitiæ, vocem sponsi & vocem sponsæ.

10. *Et erit, quum omnia hæc verba nunciaveris isti*
populo, & illi dixerint tibi; cur Jehova de nobis
& in nos omne hoc ingens malum dixit? & quæ-
nam iniquitas nostra, & quodnam peccatum nos-
trum, quod commisimus in Jehovam Deum nos-
trum?

11. *Et dices ipsis; propterea quod me patres vestri de-*
seruerunt, inspiratum Jehovæ, & iverunt post
deos

deos alios, quos coluerunt & adorarunt; & me deseruerunt, nec legem meam observarunt,

12. *& vos pejora fecistis patribus vestris; & ecce vos ambulantes, quemque post umbilicationem cordis vestri pravi, ne me audiatis.*

13. *Et longe projiciam vos ex hac terra in terram, quam non nostis, vos & patres vestri; ibique diis peregrinis servietis interdiu & noctu, quia non dabo vobis gratiam.*

14. *Propterea ecce dies venient, inspiratum Jehovæ, quibus non amplius dicetur, vivit Jehova, qui filios Israelis e terra Aegypti eduxit.*

15. *Sed, vivit Jehova, qui filios Israelis reduxit e terra Septentrionis, exque omnibus terris, in quas eos expulerat. Etenim redire eos faciam in terram ipsorum, quam Patribus ipsorum dedi.*

16. *Ecce me piscatores mittentem multos, inspiratum Jehovæ, & piscabuntur eos, & postea multos mittam venatores, qui eos venabuntur ex omni monte, & omni colle, & fissuris petrarum.*

17. *Quia oculi mei super omnes vias ipsorum, quæ non sunt coram facie mea obvelatæ, nec a coram oculis meis abscondita est iniquitas eorum.*

18. *Et rependam prius duplum iniquitati ipsorum, & peccato ipsorum, propterea quod terram meam prophanarunt cadavere abominationum ipsorum, & sorditiebus suis hæreditatem meam repleverunt.*

19. *Jehova robur meum, arx mea & perfugium meum! ad te gentes venient ab extremitatibus terræ, dicentque, tantummodo mendacium creverunt hæreditatem patres nostri, vanitatem, in quibus nihil est, quod asylum præstet.*

20. *An*

20. *An faciet sibi homo deos, & illi non dii sunt?*
21. *Propterea ecce me exemplariter punientem eos hac vice: notam ipsis faciam manum meam & fortitudinem meam, cognoscentque, nomen meum esse Jehovam.*

§. CCCXVI.

Septima concio, hoc & sequente cap. comprehensa, cum c. XVIII. novæ concionis indicium in ipso titulo ferat, de quo postea, nec res dubia sit, aut controversa; *hæc*, inquam, concio, *occasione* incredibilis populi socordiæ & securitatis carnalis, cum omnium minarum Prophetæ contemtu, & ipsius prophetæ acerba infestatione, conjuncta, prolata, *confirmationem* continet judicii Divini populo incumbentis, & mox executioni mandandi, ejusque *justificationem* ex obstinata perseverantia in peccatis contra omnia monita ad resipiscentiam; adeoque eo *tendit*, ut populus tandem evigilaret, & res suas rectius instituere disceret; ut ultimam calamitatem, brevi secuturam, præveniret & salutaria monita reciperet, specimine in sabbati observantia dato. De qua *occasione* & *scopo* ex ipsa concione haud obscure constat. *Securitatis* carnalis quoque manifestum est indicium 1. in eo, quod nuptiarum, epulorum funebrium, & aliorum conviviorum respectu, populus tanquam in summa rerum securitate & tranquillitate ageret, ut ex *prima* concionis pericopa colligitur. 2. quod Judæi declaraverint, nullam esse rationem tam severi judicii c. XVI: 10. 3. denique, quod ausi fuerint provocare festinationem judicii Dei c. XVII: 15.

§. CCCXVII. Quod ad *tempus* habitæ concionis adtinet; communior quidem est opinio, in primordiis muneris prophetici eam esse promulgatam, adeoque tempore Josiæ, cum adhuc juvenis esset propheta, vel modo justam adtigisset ætatem, qua matrimonium solebat apud Judæos iniri; cujus

uni-

unicum fundamentum est, quod Deus hic dicatur ipsi interdixisse conjugio, vers. 2. Sed hinc nihil aliud colligi potest, ac prophetam hoc tempore fuisse coelibem, sive antea habuerit uxorem, sine liberis mortuam, sive propter muneris rationem, & per Dei directionem singularem, animum diu ad conjugium non adplicuerit: quod posterius est vero propinquius, cum Judaei hic videantur introduci tanquam admirabundi, & sciscitantes, quare a matrimonio tam diu abstinuerit; unde natum est responsum prophetae, quo *rationem* ejus rei patefacit. Nec est praeterea improbabile, hoc interdictum Jehovae jam diu antea fuisse prophetae factum, nunc demum ab ipso promulgatum, quando mandatum accepit, per novam revelationem, *rationem* reddendi, quare coelebs maneret. Distinguit enim mandatum Jehovae de non ducenda uxore a revelatione ipsi nunc data. De quo mox.

§. CCCXVIII. Concionem vero fuisse habitam tempore Jojakimi, & post mortem Josiae, quod Ligtfotus [a] jam vidit, & Kalinsky [b] nonnullis argumentis confirmavit, mihi dubium non est, ob has rationes. 1. Quia populus Judaicus hic sistitur incorrigibiliter, & prae patribus, corruptus respectu idololatriae publice grassantis, & legis violationis, ita ut ne Sabbatum Hierosolymis observaretur: c. XVI: 12. XVII: 1, 23. & ubique. 2. Quia propheta publice ab hostibus infestabatur. c. XVII: 18. 3. Quia prophetae interdicitur *lugere* super mortuis, c. XVI: 5. cum tamen id causa necis Josiae fecerit, uti constat. 4. Quia tempus longanimitatis jam finitum erat, c. XVI: 5. & judicium instabat, huic ipsi aetati, & hoc tempore, infligendum, c. XVI: 9, 13. & alibi. 5. Accedit convenientia hujus concionis & superioris, quae utraque est ejusdem argumenti, ita ut nostra sit superioris confirmatio, & ulterior deductio. Quod collatio facile docebit.

§. CCCXIX. *Prima* concionis pars continet judicium ple-

a in Chron: temporum V. T. b ad vaticinia Nah. & Hab. p. 172.

nerii excidii, jam-jam exsequendum, per externa signa, in Propheta, jussu Dei, conspicua, confirmatum, & coram omnium oculis expositum, vers. 1-9. Quæ signa memorantur tria, vita coelebs, abstinentia ab omnibus signis luctus super mortuis, nec non lætitiæ publicæ, ut in specie tempore nuptiarum. Inter quæ signa hoc interest, quod *primum* jam antea fuerit injunctum, nunc demum promulgatum, reliqua duo hoc demum tempore ipsi præcepta: vitam coelibem jam antea egerat, sed nunc jubetur ejus rationem publicare, & ea occasione reliqua ipsi sunt imposita signa, abstinentiæ, scilicet, a signis luctus & lætæ festivitatis. Quæ etiam ratio est, quare *primum* signum sibi dicat directe præceptum, reliqua inter rationes occurrant, quare Deus hoc injunxerit promulgari hoc tempore: uti ex vers. 5., de quo mox, colligitur. α. *Primum* signum in vita coelibe situm, α. proponitur, vers. 1, 2. β. explicatur, seu ejus ratio datur, & significatio, vers. 3, 4. α. Proponitur his verbis, vers. 1, 2. *Et factum est verbum Jehovæ ad me, dicendo: non sumes tibi uxorem, nec erunt Tibi filii aut filiæ in hoc loco.* h. e. interdixit mihi Jehova, expresso mandato, uxorem ducere, ac liberos procreare, quamdiu in hac terra fuerim versatus. Hoc enim est, in hoc *loco*; non enim aut Anathoth, cujus civis erat, ut Abarbanel, qui ad Anathotæos hoc judicium inepte restringit, aut Hierosolyma, ubi nunc docebat, ut alii, sed terra Judæa in genere indicatur; uti a Schmidio recte est observatum, & ex vers. 3., ubi *hæc terra* adpellatur, confirmatum. Fueritne hoc interdictum ipsi nunc factum, an antea, ex verbis non potest colligi; cum antea potuerit esse datum, & nunc demum, tempore opportuno, cum populo communicatum, ut populus non tantum desineret mirari, quare tanto tempore a conjugio abstinuerit, sed & sciret, hoc ipsis in signum sibi esse injunctum, cum tempus nunc sit, quo omnes prudentes a liberis procreandis abstineant: ut mox exponitur. *Verbum Jehovæ ad me factum est*, dicit propheta, non nunc, sed diu antea; quod vobis

nunc

nune significo, cum ne miremini hoc, tum ut *rationem* sciatis, & quo tendat, quod Deus me coelibem voluerit manere. Ceterum coelibatus prophetæ nec ex voto, nec ex muneris ratione erat, sed in signum calamitatis, populo incumbentis, adeoque erat quid insolitum & extraordinarium, nec tam prophetæ causa, cum Deus ipsum cum familia facile liberare, & communi clade eripere potuisset, sed *populi*, ut inde certior fieret de terribili clade, sibi incumbente. De quo ex addita explicatione facile constat.

§. CCCXX. β. Explicatio interdicti, modo memorati, tanquam signi, populo dati, qua significatio ejus traditur & scopus exponitur, ita habet, vers. 3, 4. *Quia sic dixit Jehova de filiis & filiabus in hoc loco natis, deque matribus, quæ eos pepererunt, & de patribus eorum, qui eos genuerunt, in hac terra: mortibus excoriatorum morientur, non plangentur nec sepelientur, in fimum super facie terræ erunt, & gladio & fame absumentur; eritque cadaver ipsorum pastui avibus coeli & feris terræ.* h. e. Quod Deus mihi præscripserit coelibatum, illud portendit, & eo tendit, ut intelligeretur, quanta clades populo immineat; ita ut inter felices numerandi sint, qui coelibes & sine liberis fuerint; peste enim, gladio & fame, absumentur, nec solenniter plangentur præ copia & communi plaga, nec sepelientur, sed in stercus redigentur, aut avibus & feris in escam cedent. Quæ plane conveniunt dictis c. xv: 2, 3. Nihil hic difficilis: tantum not. 1. *mortes excoriatorum*, quæ vis est verbi מַחֲלֻאִים, ut c. xiv: 18. vidimus, hic videri posse restringi ad *pestem*, ut Schmidius, cum a *gladio* & *fame* distinguatur: sed cum ad *fame* absumtos quoque referatur, c. xiv: 18., rectius, *gladii* voce *pestem* quoque comprehendi, statuitur; uti c. xiv: 13. 2. *Non plangi* pertinere ad solennem luctum, ut sequentia docent. 3. Verba, & *gladio* & *fame absumentur*, cum superioribus ita cohærere, ut distributio significetur, sensusque sit, alii peste, alii gladio, alii fame &c, quem usum voculæ ו repetita alibi subinde habet, licet minus sæpe animad-

versum, uti Jos. xi: 8. *& occiderunt eos & persecuti sunt*, partim occiderunt, partim persecuti sunt. Jos. xviii: 15. 2 Sam. xii: 31. Jer. xx: 4. xxiv: 9, 10. xliii: 3, 12. & alibi.

§. CCCXXI. *Secundum* signum, prophetæ nunc injunctum, ad confirmandum in primis, quod modo de *planctus* & *sepultura* negatione dictum erat, *a*. proponit, his verbis, vers. 5. *Quia sic dixit Jehova, non intrabis domum luctus, nec ibis ad plangendum, nec complorabis ipsis.* h. e. ut illud de negata sepultura & comploratione solenni altius in animos populi infigatur; Deus mihi interdixit omnibus signis planctus, alias usitatis occasione mortui alicujus; noluit, ut domum luctus intrarem, aut irem ad plangendum & complorandum. Vocula כי *quia* hic habet vim *confirmandi* superius dictum de planctus & sepulturæ negatione, & exponit rationem, quare Deus novum hoc signum imposuerit: situm vero in eo est, ut propheta ab omnibus ritibus luctus super mortuo abstineat. Prohibet *intrare* domum *luctus.* Radix enim מרז proprie habere censetur vim *tabescendi*, unde transiit ad luctum graviorem *tabefacientem* animum & corpus *a*, & convenit רזה, Arab. مرزح & رذي. Nec alium vox sensum habet Am. vi: 7. sive vertantur voces, *& computrescent tabe luxuriantes* (סור enim de vino usurpatum dicit *recessit*, in vappam degeneravit, ut ad Ps. xiv: 3. observavi, & Chald. ac Syr. סרא, סרח & סר est *foetuit*, *computruit*. Construi tunc debet cum סרוחים non obstante num. differentia, usitata enim satis est verbi sing. cum nomine plur. constructio) vel, *& contumax* erit adflictio *emaciens* luxuriantium; uti Cl. Schultens *b* instituit, מרזח a מר & רזח derivans. Errant itaque, qui ex hoc loco notionem compotationis & *epularum* confirmare volunt. Additur, *nec ibis ad plangendum*, explicationis ergo, ut indicaretur talem introitum in domum luctus ipsi vetitum esse, qualis solet esse *plangentium*, & qui eo scopo fit, ut solennia planctus peragan-

a Vid. Lette anim. ad V. T. p. 179. *b* Vid. Docta disputatio D. Herwerden, sub auspiciis Cl. Schultens, ad V. T. loca,

gantur: quæ qualia tunc fuerint, ex seq. patescit. Prohibet insuper Deus ipsam complorationem, ex misericordia oriri solitam: quod est נוד; ut c. XV: 5. habuimus.

§. CCCXXII. β. Signum propositum exponitur respectu significationis & scopi, doceturque, eo collineare, ut populus inde colligat, se *partim* nulla misericordia, nullius comploratione, fore dignum, *partim*, in eam miserrimam esse conjiciendum calamitatem, qua cuncta luctus solennia plane cessarent. Ad *prius* hæc verba pertinent, vers. 5. *quia collegi pacem meam ab hocce populo, dictum Jehovæ, benignitatem & misericordias.* h. e. Propterea omnem planctum & complorationem super mortuo Tibi prohibui, ut populus hoc publico signo sciat, se omni mea gratia & misericordia privatum esse, adeoque nullius comploratione amplius dignum. Convenit plane, quod c. XV: 5. habuimus, & ibi expositum est: quare nihil addo, nisi in verbo אסף, cujus primigenia vis est in *tractatione verrente*, respici ad solem, radios suos colligentem & intercipientem, cum obscuratur, uti Jes. LX: 20. Joel. II: 10. adeoque sensum esse, Deum benignos & salutiferos radios, quibus hactenus eos foverat, proxime etiam sub Josia, quique de benignitate & misericordia Dei multiplice testati erant, recondidisse & intercepisse; ita ut hoc tempore nil nisi mala sint exspectanda, & periodus judicii Dei jam inceperit: non enim in fut. dicit *colligam*, sed in præt. vel præs. *collegi* vel *colligo*. Errant itaque, qui de fut. capiunt, & *colligam* vertunt. Reliqua sunt facilia.

§. CCCXXIII. Ad posterius, seu calamitatem futuram depingendam, quæ tanta foret, ut solennibus luctus ritibus nullus locus foret, hæc spectant verba, vers. 6, 7. *Et morientur magni & parvi in terra hac, non sepelientur, neque plangent illos, nec fiet incisura, neque calvities inducetur propter illos: nec frangent eis* cibum *propter luctum, ad consolandum eos super mortuo, neque potabunt eos calice consolationum super patre ejus & super matre ejus.* h. e. sicut tu

meo jussu ab omnibus solennibus luctus & planctus nunc abstines; ita & illis continget, cum tanta erit mortuorum copia, tanta calamitas, ut cadavera sint insepulta projicienda, cunctaque planctus solennia inter ipsos cessatura. Enumerantur hic omnes fere ritus in solenni planctu usitati, sive boni & liciti, sive vetiti fuerint in lege, & idololatrici, inter Judæos idololatriæ deditos nunc quoque in usu: qui omnes a Sanctio, Clerico, Kirchmanno, Gejero & aliis satis illustrati sunt. Defungar itaque, cum nihil fere nobis relictum sit, unico observato, ad diversitatem temporum in verbis ... & reliquis, ne quis ad eam obhærescat, elucidandam. Cum enim reliqua omnia sint fut. temp, unicum ... est præt., cujus rei ratio est, quod in re fut. sit præteriti temporis respectu reliquorum verborum: ut sit, ac si haberetur, *& mortui* cum fuerint, *non sepelientur* &c. Diversitas quoque in *numeris* quidem est, ut, *non frangent ipsis ad consolandum eum, & non potabunt eos propter patrem & matrem ejus;* sed ea faciles habet explicatus, cum *unumquemque* eorum designet; quod jam est occupatum.

§. CCCXXIV. *Tertium* signum est abstinentia prophetæ ab epulis nuptialibus, & genialibus, aliisque similibus, ut ipsis portenderetur, omnia ejusmodi epula, cum omni *lætitia*, esse inter ipsos abolenda, terra desolata, & populo partim occiso, partim in exilium abducto, partim in occulto sedente & lugente: vers. 8, 9. *nec ingredieris domum convivii, ut sedeas cum illis ad edendum & bibendum: quia sic dicit Jehova exercituum Deus Israelis; ecce me cessare facientem de hoc loco, coram oculis vestris, & in diebus vestris, vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem sponsi & vocem sponsæ.* Quæ omnia plana sunt & facilia, nec nostra indigent opera. Tantum not., structura orationis significari, calamitatem hanc ante fores esse, huic ipsi ætati hominum infligendam, quo illud *ecce* non tantum ducit, sed inprimis phrasis, *coram oculis vestris* & *diebus vestris:* ut facile adparet.

§. CCCXXV. *Secunda* concionis pars *justificationem* su-

pra memorati judicii continet, in corruptione & defectione populi insanabili a Deo & lege ejus ad idololatriam & quævis scelera sitam, & cum populo, si in rationes judicii inquisiverit, communicandam, vers. 10. *Et erit, quum nunciaveris populo isti omnia hæc verba, & illi dixerint tibi, cur dixit Jehova de nobis & in nos omne hoc ingens malum? & quænam iniquitas nostra, & quodnam peccatum nostrum, quod commisimus in Jehovam Deum nostrum?* Quorum sensus non est, populum hoc certo esse rogaturum, sed verosimile esse id facturum, & poni hunc casum a Deo, adeoque *conditionate* loqui Deum, *si id rogaverint:* structura enim sermonis ita est concinnanda, ut vocula כי *quum* repetatur ante *& illi dixerint Tibi*, secus ac interpretes instituerunt, reddentes, *& dicent tibi.* Casus itaque positio hic occurrit duplicis, alterius certi, alterius dubii, sed verisimilis: *prior* est, *quum hæc locutus fueris*, quod certo fieret, *posterior* est, *quum dixerint Tibi*, quod in incerto relinquitur; sed additur, quod plusquam verosimile sit, Judæos rogaturos esse prophetam, vel, si non fecerint, eos debuisse id facere; & prophetam nihilominus, acsi rogassent, rationes efferre debere. Ceterum Judæi sistuntur rogaturi vel bono vel malo animo & scopo, vel ut informarentur a propheta, vel ut cum eo litigarent, & ei contradicerent, minasque ejus a se sperni indicarent, quod nulla ratio dari possit tam severi judicii. *Prius* hic omnino locum quoque habere, cum ex titulo Jehovæ *Dei nostri*, quo usuri sistuntur, tum ex promisso restitutionis, vers. 14. & seq. iis facto, recte colligitur.

§. CCCXXVI. 2. Hoc casu posito, propheta jubetur populo horrendam depravationem & defectionem ob oculos ponere, ut os impiis obstrueretur, & judicii divini justitia in animos defigeretur. Quæ defectio *a.* patribus eorum imputatur, ut indicaretur, peccata parentum hoc tempore simul esse vindicanda, his verbis, vers. 11. *Et dices ipsis, propterea quod me deseruerunt Patres vestri, dictum Jehovæ,*

va, & iverunt post Deos alios, quos coluerunt, & adoraverunt. Quæ nihil habent obscuri. *b.* Ipsis hoc tempore viventibus non tantum eadem, sed major & obstinatior imputatur defectio; quæ in causa erat, quod parentum peccata in ipsis sint punienda, nec poena amplius differenda sit; his verbis, vers. 11, 12. *& me deseruerunt, nec legem meam observarunt, & vos pejora fecistis Patribus vestris: & ecce vos ambulantes quemque post umbilicationem cordis sui pravi, ne me audiatis.* h. e. Sicut a me patres vestri & a lege mea desciverunt, ita vos & pejus & pertinacius; aures vestras plane claudentes meis verbis per prophetam ad vos delatis. Ultima verba, vers. 11. ad patrum defectionem pertinentia, connectenda sunt cum seq., prava versuum distinctione inde avulsa, & ita accipienda, ut in paraphrasi feci. Repetitur enim defectio patrum, ut, comparatione instituta, filiorum apostasia declararetur gravior. Particula ו *&* repetita significat nexum & comparationem: ut sit, *& patres & vos defecistis*, vel sicut illi, ita & vos. Hac ratione repetitio defectionis Patrum emphasin habebit, alias plane superflua. Additur, *ecce vos ambulantes &c:* ut significetur, eos defectioni addidisse invincibilem obstinationem, nullis mediis superandam. De phrasi, *ire post umbilicationem cordis*, supra suis locis satis dixi.

§. CCCXXVII. *Tertia* concionis pars filum denunciationis judicii, per insertam justificationem ejus abruptum, repetit, & ulterius pertexit, addito superioribus malis exsilio, quo in terram peregrinam longe lateque a Deo projicerentur residui populi Judæi, & idololatriæ in terra peregrina traderentur, absque ut ullum inde commodum consequerentur, quia Deus gratiam & favorem suum iis subtraheret; vers. 13. his verbis: *& longe projiciam vos ex hac terra in terram, quam non nostis, vos & Patres vestri, & servietis ibi Diis peregrinis interdiu & noctu, quia non dabo vobis gratiam.* Cohærent verba cum superioribus, ea, qua dixi, ratione; quatenus superioris judicii filum, per insertam justificationem

jam

judicii interceptum, pertexunt, & novam calamitatem, superioribus malis additam, continent, in exsilio Babylonico sitam. De eo enim hic agi, & non de Romano, ex nexu seq. manifestum est, ut & ex eo, quod idololatriæ exercitium expresse memoretur, terræ Babylonicæ & exsilii criterium. Describitur vero terra Babylonica 1. tanquam *peregrina* Judæis & patribus eorum *ignota*, quod ibi nunquam fuissent versati, & cum ea nihil antea habuissent commercii; præterea tanquam *remotior*, quo respicit verbum הטיל, a rad. טול proprie *elongavit*, in *longum projecit*, ansa sumta a glomere, quod projectum tenditur in longitudinem. Dicit enim, sicut in Pih., litteris geminatis, Jes. XXIII: 17. מטלטל *longe projecit*, طال apud Arab. *longus fuit* & *longinquus*, quo ipso, vel adfini verbo utuntur exsules in exilio Babylonico Ps. CXXXVII: 3. de hostibus suis, qui in captivitatem & exilium abduxerunt, dum eos adpellant שובינו non tantum, sed & תוללינו, *qui longe nos projecerunt:* uti verti debet. Est enim in Pih. radicis non הלל, sed תול, quæ eadem est ac טול, litteris ת & ט secum permutatis, uti in תירה & טירה, חתף & חטף, & aliis. 2. Tanquam terra valde *idololatrica*, cui rectius conveniat idololatriæ exercitium, ac terræ Cananææ; quare additur, ibi Judæos spiritum suum idololatricum abunde effundere posse: quod & facerent initio *interdiu* & *noctu*; sed simul, eos id sine ullo suo *fructu* facturos esse, innuitur. Denique subjungitur horum omnium ratio, *quod Deus ipsis gratiam suam negaturus sit:* ubi notetur, voculam אשר recte verti *quia*, ut & alibi, & pertinere ad totum versum, & exsilium & frustraneum cultum idolorum, cui traderentur.

§. CCCXXVIII. *Quarta* concionis pars complectitur luculentam prædictionem liberationis & instaurationis populi, in exsilium missi, per varios gradus perficiendæ, prophetæ seorsim factam, & ab ipso cum populo communicatam ad piorum consolationem; vers. 14-21. Quæ pericopa conspectum præbet colloquii Dei cum propheta, quo Deus ipsi revelat lætam rerum catastrophen, quæ grave illud judi-

cium exciperet, cujus indicium est in eo, quod, cum antea de Judæis in secunda persona, nunc in *tertia* fiat mentio, quodque propheta introducatur Deo respondere, vers. 19, 20. Cohæret autem cum superioribus, quibus severum Dei judicium erat prænunciatum, partim tanquam ejus confirmatio, partim moderatio, quatenus judicium exiret in populi instaurationem, ne ex ultimis verbis, *non dabo vobis gratiam*, colligeretur, Deum populum ira plane & absolute abjecisse, ut nunquam cum eo in gratiam rediturus sit. Prophetæ autem hæc fit revelatio, in sui & piorum, super statu populi lugentium, solatium, ne animis despondeant, & propheta in eam veniret opinionem, intercessionem suam omni plane cituram in perpetuum effectu. Continet vero pericopa *a.* generalem instaurationis populi propositionem, quæ superiorem prædictionem exsilii simul confirmat, vers. 14, 15. *Propterea ecce dies veniunt, insperatum Jehova, quibus non amplius dicetur, vivit Jehova, qui eduxit filios Israelis e terra Aegypti: sed, vivit Jehova, qui reduxit filios Israelis e terra septentrionis, exque omnibus terris, in quas eos expulerat: etenim restituam eos super terram ipsorum, quam patribus ipsorum dedi.* Nihil in verbis cum sit obscuri, uno alterove defungar observato: 1. Quum Deus dicit, illos non amplius eo tempore juraturos per Jehovam, qui eos ab Aegypto liberavit, sensus non est, illos Deum non amplius, qua talem, celebraturos, sed non solum, nec præcipue, verum simul & in primis tanquam liberatorem ab exsilio Babylonico: non tantum quod recens, & prioris beneficii confirmatio foret, & complementum, sed & magis mirandum, partim quod populus esset a Deo abjectus, partim regnum Chaldæorum videretur insuperabile, nec in favorem Judæorum flectendum. Facit itaque simul ad statum in exsilio Babylonico adgravandum, uti Calvinus quoque observavit: insuper addi potest, novum hoc beneficium fore superiore excellentius respectu consequentium, regni Messiæ nimirum tunc suo tempore manifestandi. Quo

in-

infra c. XXIII: 7., ut recte advertit Cl. Vitringa a, digitus omnino intenditur. 2. Ultima verba, *& reducam eos &c*: superioribus adduntur in confirmationem, & explicationem: acsi haberetur, quod de Judæis dixi, eos tali formula juramenti usuros, verum est, & fiet, nam *eos reducam*, &c: imo e terra Septentrionis non tantum educam, ut formula juramenti habebat, sed & reducam in terram promissam; adeo ut cuncta sim in statum pristinum restituturus, quod *eductionem* e terra exsilii uberius illustrat. Quo etiam facit, quod non אל vel ב, sed על *super* terra restituere habeatur: comprehendit enim una *inhabitationem* terræ & rerum collapsarum instaurationem, verbo שוב quoque involutam, uti Job. XLII: 10. 3. Verba eo, quo dixi, collineant, ut *partim* confirmaretur denunciatio judicii Divini in Judæos, cum suo tempore celebraturi sint beneficium reductionis, quod exsilium instans pro hypothesi habet, *partim* judicii istius exitus lætus prænunciaretur in solatium piorum, & ultima verba, vers. 13. *non dabo vobis gratiam*, restringerentur, ne inde colligeretur, id in perpetuum duraturum. Cui duplici *scopo* inservit vocula לכן, *propterea*, quæ nexum alias reddit difficiliorem. *Propterea* est, *cum*, ut constet, populum esse in exsilium mittendum, formula juramenti, suo tempore introducenda, habebit, Deum populum reduxisse, *tum* ut populus informetur, me gratiam non in perpetuum esse subtracturum, & pii animis non despondeant; *propterea*, propter hoc unum & alterum declaro, me aliquando a populo esse celebrandum tanquam liberatorem ab exsilio Babylonico: Quæ si minus satisfaciant, adsumendus est usus voculæ לכן, quo adseverationem denotat, & *profecto*, *pro certo*, vertitur, sicut & על־כן, vi quoque etymi, cum כן *firmum* & certum dicat, & ל ac על, *pro*, secundum b, vel potius, quod Gatakerus jam observavit, quo idem dicit ac *attamen*, veruntamen, hoc non obstante, proprie *ad sic*, vel *sit*; de quo ad c. VI 8. dixi: ut sensus sit; licet ipsis gratiam me non

a ad Jes. XLIII: 18. b Vid. ad Ps. I: 4.

facturum declaraverim, *attamen ecce dies veniunt*, &c. Videatur quoque de hoc particulæ usu Noldius *a*, qui locum nostrum etiam non neglexit; sed non omnia recte adtulit.

§. CCCXXIX. β. Generalis propositio dein specialius illustratur & deducitur, *a.* respectu *modi* reductionis ac instaurationis, quatenus Deus suscitaret viros fortes & prudentes, qui populum variis vicibus, & ex variis locis, ad sedes suas reducerent, instar piscatorum & venatorum, vers. 16. *ecce me mittentem piscatores multos, inspiratum Jehovæ, & piscabuntur eos, & postea mittam multos venatores, qui venabuntur eos ex omni monte & omni colle, & fissuris petrarum.* Quæ verba dubium est, in bonum an malum sint capienda; num de hostibus, qui Judæos qua arte qua marte in potestatem redigerent, ac in terras suas in exsilium transferrent; an de viris præstantibus & strenuis, qui eos exsules, & dispersos, recolligerent, & in novam societatem in terra sua redunirent. Scinduntur Interpretes in partes; quod in dubiis facilius contingit. Nobis magis arridet, in bonum accipi hæc emblemata, non quidem de regibus Persarum, Judæos in terram suam restituturis, a quibus nimium abhorrent emblemata, sed de viris præstantibus, & peritia præditis, inter *Judæos*, qui exsules & quaquaversum dispersos partim permoverent, ut in terram Cananæam redeant, partim in unam societatem & communionem religiosam redunirent, a commercio cum gentibus & idololatria abstractos; quod Judæorum Doctores & rectores inciperent, & dein Apostoli ac doctores euangelii perficerent ulterius. Cum iis enim non facio, qui Doctores euangelicos directe & primo sensu intelligunt, cum series orationis non permittat, nec ullum sit characteristicum indicium doctorum euangelicorum. Rationes vero, quare in bonum sumiendum esse, eo quo dixi modo, censeam, sunt sequentes. 1. Quia in proxime præcedente de reductione Judæorum in terram suam actum erat, & hæc oratio per *ecce*, ud

a de particulis.

bti inceperat verſ. 14., etiam continuatur. Cui nexui convenientius eſt, ut de eadem hac reſtitutione & hic tractetur, ejusque modus explicetur. 2. *Chaldæos* ſi intelligas, vix exponere poteris, quare emblema generale piscatorum & venatorum adhibeatur, & quo ſenſu primum piſcatores, dein poſt demum venatores ſint mittendi, nec non de *omni monte & colle* ſint venaturi; quæ phraſis latior eſt, quam ut de Judæis per Cananæam latitantibus capi poſſit; ducit vero nos ad Judæos & Iſraelitas, quaquaverſum per orbem diſperſos. 3. Denique, quia, quid verſ. 18. ſibi tunc velit illud *prius* in phraſi, *rependam prius duplum iniquitati ipſorum*, plane explicari nequit, ſed facile, ſi *bonum* fuiſſe in præcedente promiſſum ſtatuas; ut ſenſus ſit, Deum illud beneficium non eſſe conceſſurum, niſi poſteaquam eos propter peccata ſevere caſtigaſſet: de quo mox.

§. CCCXXX. Explicemus ſecundum hanc hypotheſin verba, tanquam quæ *modum* inſtaurationis populi, modo memoratæ, exponunt. *Ecce me*, dicit Deus, *mittentem* (ſcilicet, illo tempore, quo populum reſtituam, ut ex ſuperioribus conſtat) *piscatores multos, & piscabuntur eos*, h. e. multos peritos & ſtrenuos viros inter ipſos ſuſcitabo, qui ipſos in uno loco, ſed in exſilio Babylonico, verſantes, & ei jam adſuetos, ut ibi bene & ſecure vivere videantur, ſicut pisces in aquis, omni ope permovebunt, ut loca illa deſerant, & ſeſe viris illis ducendos tradant in patriam, a vetere illa conſuetudine vivendi inter Chaldæos abſtractos, & Deo ac piis piscatoribus in uſum verſos. *Pisces* itaque ſunt Judæi, in aquis Babylonicis viventes, & diu verſati, ita ut pro ſedibus propriis ea loca habuerint, & mores quoque gentiles contraxerint, præterea una ibi & junctim degentes, ſicut *pisces* in aquis, non quaquaverſum diſperſi, ut reliqui tribules, ſeu Iſraelitæ. *Piscatores* ſunt viri inter Judæos egregii, ſtrenui, & legis periti doctores & rectores; quales cum piscatoribus comparantur in euangelio Matt. XIII. & alibi. *Piscatio*, per *ſagenam* fieri ſolita, denotat Judæorum

collectionem in unum, & ex aquis extractionem ac in vasa congregationem, seu Ecclesiam & societatem, ut Deo & piis in usum cedant. Quod factum est per Zerubbabelem, Josuam, Ezram, prophetas & alios viros egregios, qui populum instruxerunt, & permoverunt, ut locum exsilii moresque pravos cum patria & vera religione commutarent, & in unam societatem coadunarentur. Pertinet itaque emblema ad Judæos non dispersos, sed una viventes in exsilio Babylonico, juxta Chaboram & Euphratem, & beneficium liberationis ac restitutionis per Doctores & rectores repræsentat sub Cyro, cum civitatis tum religionis respectu, omni commercio cum gentibus & idololatria abrupto.

§. CCCXXXI. Reliqua verba, *& postea mittam multos venatores* &c., referenda existimo ad Israelitas, quaquaversum dispersos inter gentes, & eo tendere, ut, quod vers. 15. dictum erat de Judæis *ex omnibus terris* reducendis, explicatius traderetur; adeoque sensum fundere, *Judæos non* tantum, qui instar *piscium* vivebant conjunctim *in exsilio*, quorum modo mentio fuit facta, sed & reliquos exsules, longius remotos, & per varia loca dissipatos, & vagantes, aut latitantes, esse in unam & eandem societatem per *venatores*, seu doctores & rectores, compingendos, ac ad *Deum* & veram religionem, seu Ecclesiæ Dei communionem, reducendos, sive ad terram Cananæam redierint, sive in terris peregrinis manserint, sed animis & religione cum Judæis in Cananæa uniti fuerint. *Venatores* vero adpellantur, quia Israelitas, instar ferarum vagantes & dispersos, recolligerent, sicut *piscatores*, qui Judæos, junctim habitantes in exsilio, congregarent. Fuisse autem Israelitas hac ratione ad Deum & Ecclesiam reductos, ex verbo Prophetico, & historia satis constat. *Montes* vero, *colles* & *fissuræ* petrarum, sunt quævis regna & loca, in quibus Israelitæ degebant dispersi, vel latitabant.

§. CCCXXXII. *b*. Exponitur præterea propositio respectu *rationis*, & *temporis*: quum subjungitur, Deo esse statum

pos

populi sui curæ cordique, sicut & *peccata* ejus, nec illud bonum esse repræsentandum, nisi postquam ob crimina fuerit severe punitus. vers. 17, 18. *Quia oculi mei super omnes vias ipsorum, quæ non sunt coram facie mea obvelatæ; nec iniquitas eorum abscondita est a coram oculis meis: & rependam prius duplum iniquitati ipsorum & peccato ipsorum, propterea quod prophanarunt terram meam cadavere abominationum ipsorum, & sordities suis repleverunt hæreditatem meam.* Quorum sensus est, Deum populum suum, in exsilium abductum, esse restituturum, quia status ejus in exsilio Deo non est non ignotus tantum, sed nec curæ ejus exemtus; sicut nec peccata ejus Deum latent, aut ab eo negliguntur, quum Deus propterea eum ante sit puniturus; quia abominationibus repleverunt & contaminarunt terram & hæreditatem Dei. *Primum* itaque membrum, vers. 17., pertinet ad præcedens beneficium, & causam reddit restitutionis populi; cui subjungitur, Deum antea eos puniturum esse, cum peccata eorum Deo quoque non lateant &c. Qua ratione cuncta recte cohærent. In verbis parum est difficultatis, quod nostram requirit operam. 1. *Oculi Dei super vias populi* expingunt curam Dei erga populum, in quocunque loco & statu, in bonum. 2. *Prius*, in phrasi *prius rependam*, omnino & unice respicit ad superius beneficium, ante quod Deus vindicaret scelera populi: nec alium sensum fert, quicquid etiam Interpretes conati fuerint. 3. *Duplum iniquitatis* rependere est copiose & abundanter id facere, adeoque *graviter* punire: vid. c. XVII: 18. Quod ab aliis jam est observatum. 4. Idola & cultus idololatricus epitheto נבלת *cadaveris*, seu morticinii, in quo omnis vitæ vigor exstinctus est, emphatice admodum insignitur, non, uti plurimis visum, quod cadavera foetida, immunda animalia, etiam homines iis immolarentur, quod a re alienum est, nec hic memoratur, sed quod partim non *vivi* essent Dii, verum *mortui*, ut Scriptura loquitur, *partim* omni succo & virtute carerent, quæ propria est vocis Hebr. potestas; sicut supra c. II: 13.

cum

cum puteis, aqua carentibus, opposite ad Jehovam *fontem aquarum vivarum* comparata sunt, *partim*, denique instar *cadaveris* polluerint terram sanctam, Dei vivi hæreditatem; ut hic additur.

§. CCCXXXIII. 1. Propositio de instauratione Judæorum exposita animum prophetæ adeo adfecit, ut ei luculentam expresserit confessionem fidei ac lætæ spei in mediis calamitatibus, quæ sibi & populo acciderent, etiam respectu conversionis gentium, populi restitutionem secuturæ suo tempore, in primis sub Messia: vers. 19. *Jehova robur meum, arx mea & perfugium meum! ad te gentes venient ab extremitatibus terræ, dicentque, tantummodo mendacium creverunt hæreditatem patres nostri, vanitatem, in quibus nihil est, quod asylum præstet.* Verba sunt prophetæ, ut facile patet, & ab Interpretibus etiam observatum est; sed verba sunt, quibus interrumpit sermonem Dei de populi instauratione, post gravissimum de eo sumtum judicium, ejus itaque occasione a propheta prolata & eo spectantia, ut lætitiam & fiduciam suam in Jehova, non obstantibus illis malis, quæ evenirent, exprimeret, non tantum, quod Jehova populum instauraret, ut modo promiserat, sed insuper gentes suo tempore ad communionem ejus per conversionem ab Idololatria, paterna licet & inveterata, accederent. Adloquitur Jehovam, tanquam *robur suum, arcem & refugium suum tempore angustiæ*, ut fidem & fiduciam suam in Jehovam, omni tempore angustiarum, qualiumcunque etiam, testificaretur, certo persuasus, Jehovam sese talem sibi & populo & nunc & postea in angustiis præstiturum; sicut Deus modo promiserat. Tria epitheta accumulat, ejusdem fere significationis, sive emphasios ergo, sive respectu trium fere periodorum angustiæ, & præsentis, & in exsilio, & denique in adflictione Epiphanica. Declarat vero, *gentes* ad *Jehovam*, cum sese talem exhibuerit populo suo, *venturas*, ut, missa idololatria, cui a longo erant adsuetæ, Deum Israelis venerarentur, & colerent; eo ipso significans, non dignum tan-

tum

tum esse Jehovam, qui a Gentibus ita adoretur, ut est cap. x; sed suo tempore futurum esse, ut ab Israele non tantum, ab omni idololatria post instaurationem purgato, sed & gentibus, quaquaversum dissitis, idololatriæ nuncio misso, colendus sit. Quod quoque factum novimus, partim post exsilium Babylonicum, & temporibus Maccabaicis, partim & præcipue sub Messia. Ceterum in verbis, quæ Gentibus in ore dantur, nihil est difficilis, nobis relictum; tantum notetur emphasis voculæ אך in phrasi אך שקר, qua purum putum denotat, & *tantum*, vel *tantummodo* verti debet; ut habuimus supra, c. v:4. declarantur itaque idola purum *putum mendacium*, ipsa *vanitas*, unde nulla utilitas. 2. Verbum נחל quoque non caret emphasi, denotat enim cernere hæreditatem, tanquam quid proprium & eximium; uti docuit Cl. Schultens *a*. Denique 3. מועיל non est simpliciter *proficiens*, sed asylum præstans, præsidium insuperabile, & omni commoditate plenum *b*, quod de idolis negatur relate ad Jehovam, modo *arcem* & perfugium dictum.

§. CCCXXXIV. 1. Hac confessione Prophetæ inserta, sermo Dei, per eam interceptus, continuatur, quo cum indignum Judæorum facinus reprehenditur, tum severum judicium repetitur, sed & illud secutura instauratio, cum agnitione Dei ab iis conjuncta; vers. 20, 21. *a*. Indignum & detestandum Judæorum commissum esse, cujus mentio vers. 18. facta fuerat, his verbis declarat Deus vers. 20. *an faciet sibi homo Deos, & illi non Dii sunt?* seu nihil minus quam Dii, secundum usum voculæ לא *non* emphaticum, quem ejusmodi in constructione aliquando habet, uti constat. Sensus est, absurdum simul infructuosum & criminosum esse, quod 1. *homo* Deum sibi constituat idolum, quod ipse *fabricavit*: uti c. x. habuimus. 2. Deos falsos pro vero habeat, & colat, seu a vero ad falsos desciscat. Vid. c. 11: 13. 3. sibi jus & potestatem de *divinitate* alicujus, vel objecto & modo cultus religiosi, disponendi pro arbitrio

a ad Prov. III: 35. *b* Id. ib. c. X: 2.

adroget. Habeo autem pro verbis Dei, ſicut Deus verſ. ſeq. ſine dubio loquitur, quibus prophetæ confeſſionem laudat, & Judæos graviſſime peccaſſe, idololatriam exercendo, declarat: quare merito a Deo graviſſime punirentur. De Judæis vero agi ex ſeq. inprimis manifeſtum eſt. β. Subjungit Deus & judicium in eos & beneficium inſtaurationis, cujus utriusque quoque ſupra meminerat, verſ. 21. *propterea ecce me exemplariter punientem ipſos hac vice, notam ipſis faciam manum meam & fortitudinem meam, cognoſcentque, nomen meum eſſe Jehovam.* h. e. propterea, quod tam indignum & mihi injurioſum facinus commiſerunt Judæi, Deos ſibi faciendo, a quo nullis monitis aut caſtigationibus abſtrahi potuerunt, exemplari eos adficio hac una vice poena; & dein manum & fortitudinem meam in ipſis reſtituendis tam clare ipſis manifeſtabo, ut, me eſſe Jehovam, Deum juſtum, & bonum ac veracem, tandem ſint agnituri. Exſerit verbum ידע *cognoſcere*, quod unice hic obſervandum eſt, duplicem ſuum uſum, quem & alibi habet, *alterum*, quo poenam continet exemplarem, *alterum*, quo claram & evidentem demonſtrationem denotat; *prius* in malum, *poſterius* in bonum, prius mox futurum, poſterius deinceps: quare de *priore* habetur, *ecce me cognoſcere eos facientem*, de *poſteriore*, *notum ipſis faciam*, in fut. Verba vero in eadem orationis ſerie diverſo modo capi, non eſt inſolitum. Habuimus jam ſupra c. I: 17. & recurret poſtea, ut c. XXXI: 18, 19, 21. fin. ſic & Gen. XLIX: 4. in עלה Prov. III: 24. in שכב, IV: 15. in עבר, ubi vid. Schultens, Ez. XIV: 21, 22 in בוא, XVI: 34. in הפך, XVII: 13. in לקח, & alibi. *Prius* itaque membrum habet, *ecce me exemplariter eos punientem hac vice*, ſcilicet, cum antea eos caſtigaverim, nunc hac una vice eos graviter *punire*, incipio. Vid. c. X: 18. Frequentatur enim הודיע *noſcere, ſentire, experiri facere*, in poenis gravioribus & exemplaribus, ut Hoſ. V: 9. & alibi *a*. *Poſterius* membrum non eſt prioris explicatio, ut putatur, ſed beneficium continet, quod

a Vid. ad Pſ. IX: 17. XIV: 4.

quod illud judicium exciperet, manu & potentia Dei repræsentandum, cum clara ejus demonstratione, *manifestam ipsis faciam manum & fortitudinem meam*, scilicet, in ipsis liberandis & instaurandis. Utriusque, & judicii & beneficii, effectum hæc verba continent, & *cognoscent nomen meum esse Jehovam*. In quo nihil obscuri.



CAP. XVII.

1. *Peccatum Judæ stylo ferreo scriptum est, scalpro smiridis, insculptum tabulæ cordis ipsorum, & cornibus altarium vestrorum.*
2. *Sicut filii ipsorum recordantur altarium ipsorum & simulacrorum ipsorum, ad frondosas arbores in editis collibus.*
3. *In monte in agro opes tuas omnes, omnes thesauros tuos, in prædam dabo propter excelsa tua, propter peccatum tuum in omnibus terminis tuis.*
4. *Et laxabis etiam te ipsum ab hæreditate tua, quam dedi tibi, & servire te faciam hosti tuo in terra, quam non nosti, quia in nasum meum insilire fecistis ignem, ardebit in seculum.*
5. *Sic dixit Jehova; maledictus vir ille, qui confiderit homini, & carnem ponit brachium suum, cujusque cor a Jehova recesserit.*
6. *Et erit sicut nudatissimus in solitudine, nec videbit cum venerit bonum, & qui habitat candentia loca in deserto, terram salsuginosam, quæ non incolitur.*
7. *Benedictus vir ille, qui confiderit Jehovæ, cujusque fiducia fuerit Jehova.*

8. *Et erit sicut arbor plantata juxta aquas; quaeque ad fluentem radices emittit, nec aestum sentiet, cum venerit; eritque ramus ejus patulus, nec tempore siccitatis horrescet, nec fructum proferre cessabit.*

9. *Lacunosum est cor prae mensurare*, vel, *quis mensurabit? conquassatum illud, quis cognoscet?*

10. *Ego, Jehova, scrutans cor, explorans renes, idque ut cuique secundum vias ejus, & sicut fructum operis ejus, rependam.*

11. *Kore*, (perdix rustica) *incubat, & non peperit, faciens divitias sine jure, mediis suis diebus relinquet eas, & in extremo suo Nabal*, vel *marcidus, erit.*

12. *Thronus gloriae, locus editus ab anteriore, locus sanctuarii nostri,*

13. *exspectatio Israëlis, Jehova! omnes deserentes te pudefient, & alienati in terra scribentur, quia deseruerunt fontem aquae vivae: inspiratum Jehovae.*

14. *Sana me, Jehova, & sanabor, serva me & servabor, quia laus mea Tu.*

15. *Ecce! ad me dicunt isti, ubi est verbum Jehovae? veniat quaeso! veniat quaeso!*

16. *At ego non institi prae pastore post te, nec diem conquassationis cupivi, tu nosti, pronunciatum enim labiorum meorum coram facie tua fuit.*

17. *Ne sis mihi in contritionem, refugium meum tu in die mali.*

18. *Pudore confundantur persecutores mei, & ne erubescam ego, conterantur ipsi, & ne conterar ego, in ipsos adducito diem mali, & duplice confractione confringe eos.*

19. Sic

19. *Sic dixit mihi Jehova. Ito & consistito ad portam populi hujus, per quam intrant & exeunt reges Judæ, & ad omnes portas Hierosolymæ,*
20. *Ipsisque dicas. Audite verbum Jehovæ reges Judæ & universus Juda, & omnes incolæ Hierosolymæ, qui has ingrediuntur portas.*
21. *Sic dixit Jehova: Substricti estote animis vestris, & ne ferte onus die sabbati, nec per portas Hierosolymæ inferatis.*
22. *Etenim non efferetis onus e domibus vestris die sabbati, nec ullum opus facietis, ut sanctificetis diem sabbati, sicut præcepi patribus vestris.*
23. *Qui tamen non audiverunt, nec aurem suam inclinarunt, sed cervicem suam obdurarunt, ne obediant, neve disciplinam vincientem recipiant.*
24. *Eritque, si probe auscultaveritis mihi, inspiratum Jehovæ! ne opus per portas hujus urbis inferatis die sabbati, utique sanctificetis diem sabbati, ne ullum opus eo faciatis,*
25. *Ut per portas hujus urbis ingressui sint reges & principes, insidentes throno Davidis, vecti curribus & equis, illi & principes eorum, viri Judæ & incolæ Hierosolymæ, sedebitque hæc urbs in perpetuum:*
26. *Et venient ex urbibus Judæ, & locis circum Hierosolymam, & e terra Benjaminis, & e planitie, & montano, & a meridie, adducentes holocaustum & sacrificium, & munus & thus, etiam adferentes confessionem in domum Jehovæ*
27. *Sed, si me non audiveritis, ut sanctificetis diem sabbati, neque onus feratis ingredientes portas Hierosolymæ die sabbati, ignem promicare faciam*

in portis ejus, & consumet palatia Hierosolymae; nec exstinguetur.

§. CCCXXXV.

Q*uinta* concionis parte redit Deus ad alte infixae & late diffusae idololatriae, nec non totalis reip. destructionis, hinc orturae, descriptionem, vers. 1-4. Ubi *a.* idololatriam Judaeorum declaratur ita esse stabilitam, & fixam, ut nullis mediis aboleri possit, vers. 1, 2. *Peccatum Judae scriptum est stylo ferreo, scalpro smiridis, insculptum tabulae cordis ipsorum, & cornibus altarium vestrorum, sicut recordantur filii ipsorum altarium ipsorum, & simulacrorum ipsorum, ad frondosas arbores, in editis collibus.* Quorum sensus est, idololatriam & publicis legibus in aeternum duraturis esse sancitam, & animis omnium altissime infixam, & cornibus altarium publice propositam, nec parentes, sed & filios ei arctissime esse adfixos, ut continuo in animo habeant & altaria & simulacra, juxta frondosas arbores & in collibus editis. Verba varie admodum exponuntur; cujus rei rationem hic dare non licet. Dubium mihi non est, quin 1. de crimine idololatriae hic agatur, & non de judicio Dei, quod Schmidius praeter alios censet, cum quod judicium Dei in seq. demum tradatur, tum quod verba sint praet. temporis. 2. de Judaeis tempore Jeremiae sermo sit, & non, ut Coccejus, ante excidium Romanum, quia hujus non tantum nullus character adest, sed illius satis manifestus, inprimis in crimine idololatriae. Sublestum vero fundamentum est in eo, quod ignis irae Dei *in aeternum* dicatur arsurus; ut mox patebit. Crimen vero idololatriae hic repraesentatur, *a.* tanquam firmissime stabilitum, vers. 1., quatenus 1. legibus publicis & aere perennioribus est sancitum: quo primum pertinet membrum, *peccatum Judae scriptum est stylo ferreo, scalpro smiridis*, non a Deo, acsi de notitia & decreto Dei ageretur, ut Schmidius autumat sine ulla ratione, sed ab

ab ipſo Juda, ſeu primoribus & legislatoribus ejus, quatenus immortali & perenni lege idololatriam ſanciverint. Reſpicitur ad leges, quæ in æs inciduntur, aut tabulis materiæ durabilis. Etſi enim ſubjecta materia, cui fit inſcriptio, non memoretur expreſſe; ejus tamen cogitatio ſponte ſua ex *ſtyli ferri* mentione ſubnaſcitur. Interpretes paſſim ad *tabulas* cordis referunt, ſed male, cum *inſculptio* in *corde* diſtincta ſit ab hac inſcriptione; uti nexus orationis docet; quod recte notavit Schmidius. Agitur itaque de legum latoribus, & doctoribus, qui leges idololatricas condunt, & eas publice legendas proponunt, *tabulis* inſcribendo, ut de *viſione* jubetur Propheta Hab. II. ſic & *decernentes decreta iniqua, & ſcribæ moleſtiam ſcribentes*, memorantur Jeſ. X. Sed hoc ſatis notum eſt. Inſcriptio vero cum *ſtylo ferreo*, & *ſcalpro ſmiridis*, dicitur facta, perennitas legis manifeſte indicatur; ut facile cernitur. Quo etiam facit, *adamantinum* dici Græcis & Lat. quicquid durum, firmum & perenne eſt a, oraculum quoque ἔπος ἀδάμαντι πελάσσας *dictum adamantinum* b, ſicut frons quoque *duriſſimi lapidis*, שמיר, memoratur Ez. III: 6. Majoris vero emphaſios ergo additur *ſtylo ferreo ſcalprum ſmiridis*, inſtrumentum quoque inſcriptionis, ſed *durius* adhuc & *firmius*; non enim tabula, cui inſcribitur, ſed inſtrumentum ſcriptionis intelligitur, ut phraſis facile docet. Vox צפרן, a צפור *alite* in ſpecie *paſſere*, adſcito *nun* ſervili, proprie deſignat *unguem alitis*, inde *ſcalprum*, vel quid ſimile, *unguem* talem referens; שמיר vero deſignat lapidem duriſſimum, quo gemmæ & vitra ſculpebantur, & arma expoliebantur, qui σμυρις adpellatur c, a duritie ſua, quatenus firmiter compactus eſt, a rad. שמר proprie *conſtringere*, conſtringendo compingere; unde שמיר firmiter *compactus*.

§. CCCXXXVI.

a Vid. Rittersh. ad Oppian. cyneg. l. III: p. 107. Perizon. & Kuhn. ad Ael. V. H. l. VI: c. 12. b Herod l. VII: p. 425. c Vid. Bochart. H. p. II. l. VI. c. II. & Harenberg in Mus. Brem. vol. II. p. II. p. 287.

§. CCCXXXVI. 2. Additur, *insculptum tabulis cordis*, ut, crimen idololatriæ non tantum legibus perennibus sanctum, sed & ipsis civium animis esse insculptum, indicaretur, adeo ut in leges eas, earumque observantiam, fuerint pronissimi; opposite ad leges Dei, tabulis lapideis quidem, sed non *cordibus* populi insculptas. In quo nihil est difficilis. 3. Longe difficilius est, quod subjungitur, *& cornibus altarium vestrorum*, per mutationem personæ pro *altarium ipsorum*, in Script. non inusitatam: capi possunt voces, vel ut cum *insculptione* construantur, vel ut seorsim sumantur. *Priore* modo, qui facilior videtur propter nexum sermonis, sensus erit, peccatum Judæ *cornibus altaris quoque insculptum* fuisse; non acsi moris fuisset, Deorum nomina *cornibus* altaris inscribi, ut Grotius putat, *lateribus* basis altarium quidem id apud Græcos fiebat, at *non cornibus*, sed ut phrasi metaph. indicaretur, peccati Judæ publicum & firmissimum monumentum esse quoque in *cornibus* altarium, sanguine victimarum conspergi solitis; præferre itaque *illa eorum* manifestum indicium publicæ, & firmiter constitutæ, idololatriæ. Si vero seorsim sumantur, verti poterunt, *& sicut cornua altarium vestrorum*, scilicet, peccatum Judæ est, tam firmiter stabilitum, tam eminens & publicum, ac manifestum, denique tam firmissimum securitatis & fiduciæ fundamentum, &c: quæ & quorum similia suppeditat comparatio peccati cum *cornibus* altaris, ut facile intelligitur. Quo sensu etiam sumi possunt *cornua altaris*, Ps. CXVIII: 27. *usque sint cornua altaris*, ad *festi*, modo memorati, perennitatem depingendam. Particula vero ל usum *similitudinis* sæpe habet, & per *instar*, *sicut*, recte vertitur, ut Job. XVIII: 14. XXIX: 16. & aliis in locis *a*.

§. CCCXXXVII. *β* Additur ad horum illustrationem & confirmationem, parentes non tantum, sed & liberos æque in hoc peccatum pronos esse, & ei firmiter adligatos, vers. 2. sicut *recordantur filii ipsorum altarium eorum &c:* quæ eo-

a Vid. Noldius de particulis.

quæ dixi, spectant, nec multum difficultatis, hoc modo accepta, habent. Not. 1. subjectum esse *Filios eorum*, & de illis prædicari quod *recordentur*; secus ac alii volunt, qui *filios* pro objecto recordationis habent, ut sit, vel Deum, vel parentes, recordari *filiorum*, quod varie explicant. Sed nec Dei, nec parentum, fit mentio, & structura orationis requirit, ut *filii* occurrant, tanquam *recordantes altarium* &c. 2. Filios dici *recordari altarium*, ut significetur, ea filiis, æque ac parentibus, esse grata ac usitata, ita ut in animo semper habeant, & in eo cultu sint assidui. Quod non est difficile. 3. Voce אשרים non *lucos*, sed *simulacra* denotari, vel ex eo facile colligitur, quod *juxta arborem frondosam* addatur; solent etiam simulacra passim ea voce, in plur. occurrente, exprimi; uti a Doctis abunde est evictum. Convenit quoque primæva potestate æque *simulacris*, ac *lucis*; sita enim est in *coruscatione* seu tremula micatione, quæ notam relinquit; unde orta est notio *vestigii impressi* a pede coruscante, nec non *luci* a tremula coruscatione ramorum; ut & *simulacrorum* coruscantium, seu in *lucis* poni solitorum. 4. Denique על duplicem hic exserit usum, quo & *juxta* dicit, & *super*; *prior* enim obtinet in phrasi, *juxta* arborem frondosam, *posterior* in seq. *super collibus editis*: quod tralatitium est.

§. CCCXXXVIII. β. Altera pericopæ pars repræsentat judicium Dei in populum, quo totali vastationi & deprædationi traderetur, & in exsilium mitteretur; vers. 3, 4. *Prius* his verbis vers. 3. proponitur, *in monte, in agro, opes tuas, omnes thesauros tuos, in prædam dabo propter excelsa tua, propter peccatum tuum in omnibus terminis tuis*. Malum deprædationis & vastationis populi & terræ hic exponi omnes viderunt, nec difficile est, sed in primis verbis & ultimis explicandis rem acu non tetigerunt. Alii volunt sermonem dirigi ad *montem in agro*, alii *montem* cum agro & opibus volunt in prædam esse dandum declarari: sed *prius* sicut insolitum & nimis abruptum est, ita ex seq. versu refutatur,

 ubi

ubi ad populum sermo clare fit: *posterius* quoque phrasin non admittunt, nec sensum fundit facilem. Mihi dubium non est, quin 1. primæ voces vel vertendæ sint, ut feci, præf. ב. subintellecto in הררי, ex seq. voce facile supplendo, licet hac ellipsi nihil sit usitatius, י vero in הררי est paragogicum; adeoque sensus est, *in monte & agro* omnia esse spolianda, seu in *montibus* & *agris*, ut sing. qualemcunque montem & agrum denotet, seu montem & agrum in *omnibus limitibus* populi, ut in fin. habetur. Conf. c. IX: & Ez. VI: 2. vel reddantur, *o maledicte mihi tu in agro!* uti Deut. XXVIII: 16. ut הררי sit pro הארורי, littera א deficiente, uti haud infrequenter alias in vocibus aut verbis; ut ואזרני 2 Sam. XXII: pro ותאזרני Ps. XVIII: 40, ubi alia exempla produxi; quibus addantur a Cl. Hillero alibi a excitata. Præf. vero ה vim *mirandi*, vel *adfirmandi*, haud raro habet; uti supra c. VI: 2. sic & Ez. VIII. 17. in הנקל, & XVII: 20. in הנמצא, & alibi b. 2. Ultimum membrum deprædationis & *caussam* & *amplitudinem* continet, ut versio nostra indicat, & ex c. XV: 13. illustrandum est: observanda itaque est eadem ellipsis litteræ ב in חילך, quam modo notavi, quæ eo facilius hic admittitur propter primam litteram vocis בחטאת, quæ, ne bis occurreret, omissa est, ut sæpe alias. Sensus ergo est, malum hoc eventurum propter *excelsa, propter peccatum.* h. e. peccatum idololatriæ *in excelsis*, & per totam terram diffundendum esse, ut ad c. XV: 13. observavimus.

§. CCCXXXIX. *Posterius*, seu exsilium, hæc verba exhibent, vers. 4. *& laxabis etiam te ipsum ab hereditate tua, quam dedi tibi, & servire te faciam hosti tuo in terra, quam non nosti, quia ignem insilire fecistis in nasum meum, ardebit in seculum.* Nihil hic difficile, ad c. XV: 13, non explicitum, nisi in primo membro, quoad structuram maxime; voce enim עולם non *æternitatem*, sed longum tempus usque ad statutum terminum, significari, tralatitium est; sed addi meretur, *in æternum* simul significare ignem illum con-

a Syntagm. hermen. de nomine Schilo c. IV. p. 240.
b Schultens ad Job l. c.

tinuo sine interruptione arsurum esse, donec ætas illa prava fuerit absumta: quod c. VII: 20. dicitur, *ardebit nec extinguetur:* ut ibi exposui. In primo membro digitum intendi ad annum sabbathicum *intermissionis*, nomen dictum, quo terram cura sua laxatam ferri sinebant, nec serendo nec metendo, Interpretes quoque non fugit, & ex ipso verbo facile elucescit. Sed hic habetur, eos non terram ea ratione esse missam facturos, verum se ipsos hæreditate sua soluturos, ita ut eam non amplius in potestate habeant, vel hæreditas eos non amplius teneat, sed ea excussi in terra peregrina sint versaturi. Verbum שמט, ut ex Arab. patet, proprie est, *ferri sivit suo arbitrio*, e manibus elabi permisit, quod antea constrictum tenebas, laxare & liberum dimittere. Qui usus etiam in Script. S. prostat, uti 2 Reg. IX: 37. Ps. CXLI: 6 *dimissi sunt in manus petræ judicum ipsorum* h. e. laxati, promiscui juris facti, traditi potestati rigidorum & insuperabilium judicum; nec aliter sumitur, 2 Sam. VI: 6. ubi de bobus arcam vehentibus dicitur, quod שמטו eos, h. e. *laxassent*, & suo arbitrio ferri permisissent. *Terram* vero hac ratione *laxare* est eam sibi permittere, non curare aut colere. *Se* vero ipsum ferri *sinere ab hæreditate* est, se ipsum solvere possessione sua hæreditaria, ita ut eam non amplius teneas, aut ab ea tenearis; facere, ut excidas ea possessione. Vox בך *in te* hic denotat *te* ipsum laxabis, est enim ב periphrasticum, seu abundat cum emphasi, ut sæpe alias, sive nominat. sive accus. præfigatur.

§. CCCCXL. *Sexta* concionis pars *generalem* continet instructionem salutarem, qua diversa admodum sors inculcatur eorum, qui homini aut Deo confidunt, *illorum* misera etiam in ipsa temporum felicitate, *horum* felix, etiam in ipsa temporum calamitate, a Deo distribuenda singulis secundum intimam adfectionum occultarum cuivis hominum scientiam & exactam justitiam, qua cuique rependit secundum opera. Quæ instructio licet ex statu populi hujus temporis, quo Aegyptiis fidebat magis quam Deo, vel spreto Deo,

uti ex historia & verbo prophetico, Jes. XXXI. & alibi, constat, fuerit nata, adeoque & eo tendat, ut hæc fiducia dissuadeatur, ac ea in Deo commendetur; attamen latius sese porrigit, & ad singulos quocunque in statu & tempore dirigitur, eoque collineat, ut singuli discerent, felicem vel infelicem sortem eorum inde dependere, quod Deo vel hominibus fidant; Jeremias in specie & pii Israelitæ, Deo fidentes, consolationem tempore calamitatis acciperent; quia Jehovæ fidentibus fructus non perirent, & omnia mala in bonum cederent. Quales instructiones generales & alibi verbo prophetico reperimus insertas, ut ex. gr. Jes. II:22. III: 10, 11., & alibi. Esse autem hanc instructionem generalem, ad singulos, & per omnia tempora, pertinentem, ex ipsa pericopa facile elucescit: quæ etiam clavis est eam recte explicandi.

§. CCCXLI. Partes instructionis *duæ* sunt, quarum *altera* ipsam instructionem, vers. 6-8., *altera* ejus *fundamentum*, vers. 9, 10. comprehendit. א. Instructio est duplex, altera *comminatoria*, altera *consolatoria*. *a*. *Prior*, vers. 5, 6. continet, *a*. pravæ dispositionis cordis descriptionem, vers. 5, *b*. ejus sortem infelicem ob oculos ponit, vers. 6. *a*. *Prior* ita sonat, vers. 5. *Sic dixit Jehova: maledictus vir ille, qui confiderit homini, & carnem ponit brachium suum, cujusque cor a Jehova recesserit.* Exhibent verba propositionem instructionis comminatoriæ, & in specie pravæ dispositionis expositionem, quæ in *carnali* sita est fiducia, qua quis homini fidit, & robur suum in *carne* ponit, relicto Deo; qui maledictus pronunciatur, quantus quoque *vir* sibi videatur. Relegamus verba, & brevi paraphrasi illustremus, cum nihil obscuri habeant. *Maledictus* (sit vel erit, dignus, cui mala contingant, sicut & evenient, & in hac & in futura vita) *vir ille* (quis qualisve sit, quam fortis etiam & potens, ut sibi videtur; quam emphasin habet גבר, uti notum est) *qui confidet* (confiderit, vel fidere solet,) *homini* (mortali & imbecillo ex Adamo nato, in *cujus naribus est spiritus ejus*

Jes.

Jes. 11: 22.) & *ponet carnem in brachium suum* (carnalem seu fragilem hominem pro robore suo constituet, sive meritis ejus, sive opibus, sive dignitati & potentiae ejus fidat, ita ut inde salutem, liberationem seu felicitatem, exspectet. Ea enim omnia adfert emblema *brachii* a) *cujusque cor a Jehova recesserit* (homini & carni non tantum magis quam Deo fidens, sed & Jehova, ejusque favore & cultu, minoris habito, aut spreto & abjecto in animo suo. *Cordis*, a Jehova recedentis, non sine ratione & emphasi fit mentio, ut de *hypocritis* cogitaremus, qui ore *&* *labiis* ad Deum accedunt, sed *animo* alieni sunt *ab eo*, Jes. XXIX: 13.)

§. CCCXLII. *b.* Maledictionis deductionem hæc verba sistunt, Vers. 6. *Et erit sicut nudatissimus in solitudine, nec videbit quum venerit bonum, & qui habitat candentia loca in deserto, terram salsuginosam, quae non incolitur.* h. e. omni vero bono & auxilio erit privatus instar illius, qui omnibus rebus destitutus desertum incolit, omni praeterea malo & calamitati obnoxius, sicut qui urentia & salsuginosa loca inhabitat. Comparatio instituitur non cum arbore quadam in deserto, ut ex voce ערער, & sequente vers. 8. communiter statuunt Interpretes, sed *partim* cum homine nudatissimo in deserto, *partim* cum incola locorum candentium & salsuginosorum, ut inculcetur, virum, in homine & brachio carneo fiduciam habentem, vero auxilio & bono cariturum, & omni malo premendum esse, haud secus acsi in deserto nudatissimus, & in loco urente ac sterili, versaretur. Comparatio duplex est, *altera* cum homine nudato in deserto, *altera* cum incola loci urentis: repeti enim debet ante שכן ex superiore *& erit sicut qui habitat* &c: quando cuncta sunt facilia. Interpretes in arbore ערער definienda valde laborant, dum alii certam volunt esse arboris speciem, sive *myricem*, aut *tamiricem*, sive *ericem*, sive *juniperum*, sed sine fundamento, ut recte demonstravit Hillerus *b*; alii pro-

a Vid. comm. ad Dan. XI: 6. & Schultens ad Job. XXII: 9.
b Hierophyt. p. 1. c. 10.

adjuncto arboris in genere habent, & varie exponunt, sed sine ratione & emphasi, nec usui hujus vocis in Script. convenienter, cum bis adhuc occurrat, Ps. CII: 18. & Jer. XLVIII: sed nusquam pro arbore sumitur, verum homine omni auxilio & bono nudato, ut diserte Ps. CII. De comparatione cum arbore quoque vetat cogitare verbum שכן *habitare*, quod in seq. membro occurrit, & *viro*, seu homini, unice convenit. Reliqua sunt facilia, vel ab Interpretibus satis explicita. Tantum notetur emphasis vocis חררים, quæ denotat loca *candentia*, in quibus *æstus* simul & *sitis* candent, & candescere faciunt eum, qui ibi versatur. Sensus ergo est, hypocritas, Deum ore & externo cultu colentes, corde ab ipso alienos, homini & robori carneo fidentes ac addictos, suo tempore, cum Deus unicuique reddet secundum opera, experturos esse omnis veri boni & consolationis carentiam, etiam cum Deus felicitatem sit distributurus, & omnis mali sensum tristem; sicut Judæi hypocritæ in exsilio Bab. ex parte senserunt; hypocritæ per omnia quoque tempora experiuntur, in primis in ultimo judicio.

§. CCCXLIII. β. Instructio consolatoria *a*. proponitur, vers. 7. *Benedictus vir ille! qui confiderit Jehova, cujusque fiducia fuerit Jehova*. h. e. Bona quævis, temporalia & æterna, contingent e contra cuicunque *viro*, qui *vir fortis & strenuus* merito adpellatur, qui fiduciam in Jehova legitime & solido fundamento posuerit; ita ut Jehova solus & omni tempore ipsius *fiducia* sit; absque ut aut homini aut rei alicui præter ipsum fidat, aut fiduciam ullo casu ac tempore repudiet, aut intermittat. Hanc enim emphasin videtur habere quod additur, *& cujus fiducia erit Jehova*; frustra enim non fuit additum. Possent quoque membra ita capi, ut *prius* animi Deo fidentis adfectionem exprimat, *posterius* vero *statum* hominis designet, Deo fidentis, quo Deus sese ipsi præbet objectum fiduciæ, eum in tutelam suam admittit, & securitatem præstat. *b*. Deductio propositionis

re-

respectu felicitatis inde oriundæ, vers. 8. his verbis repræsentatur: *& erit sicut arbor plantata juxta aquas, quæque ad fluentem radices emittet, nec æstum sentiet, cum venerit; eritque ramus ejus patulus, nec tempore securitatis horrescet, nec fructum proferre cessabit.* Quæ similitudo, per se satis plana, hominem pingit, & nihil timentem mali, ipso tempore calamitatis securum, & felici statu semper gaudentem ac florentem, & prospero actionum successu fruentem. De quo plura dixi ad Ps. I. ubi eadem occurrit imago, & de voce רענן ad Ps. XXXVII: 37., quare hic plura non addo.

§. CCCXLIV. 2. Instructionis utriusque *fundamentum*, in Dei omniscientia, & justitia ac æquitate, situm, his verbis exponitur, vers. 9, 10. *Lacunosum est cor, præ mensurare*, vel, *quis mensurabit? conquassatum illud, quis cognoscet? Ego Jehova, scrutans cor, explorans renes; idque ut cuique secundum vias ejus, & sicut fructum operum ejus, rependam.* Verba continent *objectionem*, contra supra dicta de infelici & felici sorte hominum, vel brachio carneo vel Deo fidentium, & ejus *solutionem: illam* sine autore, *hanc* a Deo ipso prolatam. Ex quo colligendum arbitror, objectionem tantum fieri, ut occasio eam solvendi detur: acsi Deus diceret, licet cor hypocritæ lacunosum sit immensurabile, & conquassatum hominis pii incurabile; sicut illud sibi hypocritæ, hoc vero pii profunda tristitia oppressi, imaginantur, & hominis respectu etiam verum sit; ego tamen *Jehova* utrumque possum; adeo ut, si quis quærat, *cor lacunosum* quis mensurabit, cor *contritum* quis cognoscet, vel curabit? respondeam, *ego Jehova*, qui cor & renes scrutor, & cuique rependo secundum instituta & opera sua. Interpretes in vers. 9. exponendo minus feliciter versati sunt. Solent vertere, *perversum* vel *fraudulentum est cor præ omni, desperate marcidum* vel *corruptum est illud, quis noscet illud?* Interpretantur itaque passim de summa cordis fraudulentia, & corruptione morali imperceptibili; licet varie in verbis expla-

nandis instituant. Sed obstat 1. quod vox מכל *præ omni* vix commodam admittat explicationem. Quid enim erit *præ omni?* an præ *omni corde?* sed agitur de corde hominis in genere; an præ omni *fraudulento*, repetita voce עקב, ut Schmidius, sed sine exemplo & emphasi. 2. quod אנש non soleat de corruptione morali usurpari, sed *conquassationem*, & profundam miseriam, significet; ut mox dicam. 3. quod corruptionis moralis mentio ad scopum nihil faciat. Ex nostra hypothesi verba ad hypocritas & pios, supra memoratos, referenda sunt, & duplicem continent difficultatem contra modo dicta de infelici hypocritarum, & felici piorum sorte, *alteram* a corde inscrutabili, *alteram* ab incurabili cordis contritione petitam, illam ad *hypocritas*, hanc ad *pios* adflictos spectantem. *Prior* his verbis comprehensa est, *lacunosum cor præ mensurare*, vel, *quis mensurat?* ut מכל sit pro מי כל, quemadmodum mox מי ידענו *quis cognoscet illud?* quale quid etiam occurrit Num. XXIII: 10. in מכפר pro מי כפר, ut ex præced. liquet, & alibi a nobis *a* observatum est: כל vero non est nomen, sed verbum a rad. כול proprie *continere*, & intra se *convolvere*; inde *mensurare*, quod fit rem in sinu aliquo cavo continendo & convolvendo. Sic Jes. XL: 12. *quis* כל *mensus est pugillo suo aquas?* tetigit obiter jam hunc nostri loci sensum Cl. Schultens *b*. Recte quoque convenit *cordi lacunoso*, non facile *mensurando*, præ lacunis, cavitatibus profundis & salebris, qualis est animus hypocritæ profundis adfectionibus & intentionibus pravis repletus, nec oculis aliorum pervius. *Sic consilium in corde viri* dicitur *aqua profunda*, Prov. XX: 5. Opponuntur propterea *lacunosa* & *plana* Jes. XL: 4. ubi vid. Cl. Vitringa. LXX non male *βαθεῖα ἡ καρδία profundum cor*. Sensus est, hypocritam a viro sincero & pio propter profundas & inæquales illas animi adfectiones vix distingui posse; ut fieri debet, si sors illa misera, modo depicta, ipsi eventura sit. *Posterior* difficultas, ad pios & Deo fidentes, sed adflictos & profunda

a ad Mal. I: 13. *b* ad Job. IV: 17.

tristitia oppressos, pertinent, quod jam vidit Cl. Altingius *a*, ita habet: *& conquassatum illud*, scilicet *cor*, *quis cognoscet illud*, nempe curando & erigendo. *Cognoscere* enim hic est practice cognoscere pro *curare*, ut Nah 1: 7. Ps. 1: 6., ubi vid. dicta, & alibi. Verbum vero אנש, ut & נוש, originalem potestatem habet in *conquassatione* & *confractione*, ad summam debilitatem usque; & de animo *fracto*, pendulo, ultro citroque moticato, qualis est hominis tristis & desperabundi fere, usurpatur. Sic Ps. LXIX: 21. *Opprobrium fregit cor meum*, ואנושה & *conquassatus pendeo*, nunc huc nunc illuc agitatus, *& exspecto consolari*, *sed non est* &c. Idem fere est, ac quod occurrit, Prov. XVIII: 14. *animum consauciatum quis relevabit eum?* Sensus itaque est, animum Deo unice adfixum, tam profunda tristitia & solicitudine oppressum aliquando esse, ut erigi vix posse videatur; quomodo itaque *felix ejus* erit sors? Quod si minus satisfaciat, licet in eo acquiescere malim, nihil superest, quam ut pro אנש, litteris transpositis, quod sine exemplo non est, de quo postea suo loco plura, legatur נאש *desperatum est*, & non ad *cor*, sed ad ejus *mensurationem* referatur, ut sensus sit, *lacunosum est cor præ mensurare*, *desperatum* hoc est, scilicet, ut mensuretur, *quis cognoscet illud?* Pertinebit itaque totus versus ad *cordis* inperscrutabilitatem.

§. CCCXLV. Responsum Dei, *ego Jehova* &c: nihil habet, quod nobis relictum est, nisi illud unum, priores voces, *ego Jehova*, a seq. esse sejungendas, & ad præced. referendas, ut sensus sit: *ego Jehova* cor lacunosum mensuro, & cor conquassatum cognosco, curando & reficiendo; quando subjungitur descriptio Jehovæ, tanquam *omniscii* & *justi*, ut ratio reddatur, Jehovam posse utrumque, quod modo dictum erat. *Ego Jehova* utrumque illud facio, cum sim *scrutans cor & probans renes*, seu intimas cogitationes, & adfectiones, mihi probe notas, *idque ut rependam* &c: Insuper observetur, ultimas voces, כפרי מעלליו, non esse vertendas,

a ad h. l.

ctas, *secundum fructus moliminum* ejus, ut solet, quod vix commodum admittit sensum, cum Deus non det *secundum fructus*, sed *ipsos fructus*, quemadmodum simili pericopa Jes. III: 10. verum *sicut fructus*, vel *tanquam fructus*, adeoque ut Dei retributionem contineant, tanquam *fructus* operum.

§. CCCXLVI. *Septima* concionis pars comprehendit orationem Prophetæ, occasione instructionis Divinæ modo prolatæ, qua *partim* adprobat & confirmat eam, *partim* ejus implementum in se & piis implorat, vers. 14--18. Sunt itaque pericopæ duæ *partes*, ad duplicem instructionem superiorem respicientes. Quarum א. *prior* ad instructionem comminatoriam spectat, quam veram, & mox illustri exemplo in rege & impiis, qui homini, & divitiis injuste corrasis, fidunt, demonstrandam esse declarat propheta, vers. 11--13. Qui versus cum secum cohæreant, & vers. 12 ac 13. Propheta manifeste loquatur, sermo quoque Dei vers. 10. apte esset terminatus; Prophetæ sermonem vers. 11. incipere, existimamus, eumque ea, qua dixi, ratione cohærere cum superioribus, ut instructio Divina respectu partis comminatoriæ confirmetur, & illustri exemplo comprobanda repræsentetur, his versibus: quibus *a.* maledictio injusti divitis ob oculos ponitur, vers. 11. *Kore incubat & non peperit, faciens divitias sine jure; mediis suis diebus relinquet eas, & in extremo suo Nabal erit.* h. e. avi Kore, ovis alienis incubanti, haud absimilis est injustus divitiarum possessor, opibus totus incubans, & fidens; qui media & florente sua ætate iis privabitur, & finem accipiet Nabali similem, qui opibus suis securè incubans, & hilariter agens, subita morte e medio est sublatus: demonstrabit itaque suo exemplo, quam verum sit effatum Jehovæ, *maledictum esse*, qui personæ aut rei fidit præter Jehovam. Videtur propheta digitum in primis tetendisse in Jojakimum, ut recte observavit Schmidius, citato etiam cap. XXII. Deus supra de fidentibus homini & carneo brachio quidem locutus erat, sed propheta eorum hominum classi adjungit injustum

opum

opum possessorem, & iis fidentem, misso Jehova; ut regem vel impium fidentem magis characterizaret. Simile petitur ab ave קרא *Kore*; quae qualis sit, in incerto est: *perdicem* vel *coturnicem* communiter intelligunt, sed Bochartus *a*, *rusticula*, vel rusticae perdicis, aut *gallinaginis* speciem, in Europa ignotam, sed Arabibus notam, disputat esse; a קרא trabe, vel *palo* acuto, ex quo fiunt sepes, propter *rostri* magnitudinem, cui resp. Gr. σκολόπαξ; *cornicem* denique mavult esse Hasaeus *b*. De quo quicquid sit, avem intelligi, sufficit, quae *alienis ovis excludendis incubat*; unde similitudo trahitur: hic enim sensus est vocum, Kore דגר ולא ילד *incubat & non peperit*, adeoque *ovis*, non suis, quae peperit, sed *alienis*: verbum דגר dicit *incubare ovis*, ut recte Bochartus *c*. Sed primigenia notio est in *pressione gravi*, qua aliquid convolvitur, & propius vel manu, vel pectore, comprimitur; unde *incubare*, ovis sponte sua fluit. Convenit Arab. دغر, cui cum violentae ablationis, & rapinae, quoque insit notio; nec ea ab hoc loco aliena est, ovis enim alienis & raptis haec avis incubat, & ea comprimit. Nec multum abit אגר, cujus usus est in colligendis frugibus, & in vicinis linguis vim habet *contractionis*: ילד vero de ovorum partu solet usurpari, & non, nisi subinde in non *oviparis*, uti c. XIV: 5. & Job. XXXIX: 4. de foetus *exclusione*, quae verbo בקע *rumpere* exprimitur. Errant itaque, qui de ave, ova non excludente, capiunt: quod nec verbum, nec scopus permittit; similitudo enim exigit, ut sint ova, quibus incubat, aliena. Cum tali avicula comparatur qui *divitias colligit*; id enim est עשה *facere*, ut notum est, *sed sine jure*, adeoque alienas rapit per fas ac nefas; qua arte qua vi corradit aliena bona: quibus etiam incubat, & laetus fruitur, quod etiam עשה, proprie *texit*, *operuit*, involvit. Quod non est difficile. De tali divite declarat propheta, ut eum ad superiorem maledictionem pertinere demonstret, 1. eum mediis *diebus* *suis*

a Hieroz. p. II: l. I: c. 12. *b* Bibl. Brem. cl. III: fasc. 3. *c* l. c.

suis opes esse deserturum, sive ipsi rursus eripiantur, sive eas deserere cogatur. Num vero simile avis kore, alienis ovis incubantis, eo etiam usque sit extendendum, non est adeo certum: licet admitti possit, cum aliena ova exclusa aves dissimiles proferre possint, quæ a putatitia matre avolant: at, quæ nonnulli de perdice tradunt, fabulam sapiunt, ut demonstravit Bochartus, & ex hoc loco forte desumta sunt. 2. Additur, injustum divitem *in extremo suo* insuper *fore Nabalem*, non stultum simpliciter, sed instar *Nabalis* moriturum; inter medias delicias subito perculsum, esse instar canis auferendum. Respicitur enim ad casum *Nabalis* in libro Sam. notissimum. Solent vero Prophetæ ad casus antiqui temporis subinde alludere, etiam ad *Nabalem*, uti Ps. XXXIX: sicut supra c. IV: 30. ad Jezabelem, & habet tunc sermo egregiam emphasin; quæ in Jojakimi fato etiam eluxit: uti constat.

§. CCCXLVII. β. Extenditur mox maledictio ad omnes, a Deo discedentes, non obstante, quod thronum gloriæ constituant, & sanctuarium Dei secum habeant, quia *Jehovam*, fontem vitæ & verum gloriæ solium, ac locum sanctuarii Israelis, deseruerunt, vers. 12, 13. *Thronus gloriæ, locus editus ab anteriore, locus sanctuarii nostri, exspectatio Israelis, Jehova! omnes deserentes te pudefient, & alienati in terra scribentur, quia deseruerunt fontem aquæ vivæ Jehovam.* h. e. quantopere fidant peccatores suis prærogativis, quod thronum gloriæ & locum sanctuarii secum habeant, cum tu solus, Jehova! sis noster gloriæ thronus, & locus editus ab antiquo, sanctuarium quoque nostrum, & exspectatio Israelis, nihil ipsis ea privilegia proderunt, si a te defecerint, sed spe sua cum pudore excident, & terræ ac pulveri adgregabuntur. Propheta prærogativas populi, quibus fidebant & gloriabantur, ad unum Deum refert, qui rex Israelis & ejus sanctuarium est; sine quo regnum & Templum nihili sunt; ut inculcaret, in solo Deo esse omne illud situm, quod gloriosum & potens erat in Israele, non in domo Davidis, aut Templo; adeoque, cum Deum deseruerant, verum

suum

ſuum thronum gloriæ, & locum ſanctuarii, deprehenſuros, ſe vanam ſpem aluiſſe, & in terram eſſe lapſuros. Pertinent itaque *thronus gloriæ*, *locus editus*, & *locus ſanctuarii*, ad Jehovam, qui eſt *exſpectatio Israelis*, ſecus ac Interpretibus paſſim viſum eſt, qui in varia abeunt, & ſe valde torquent: nexus orationis clare docet, hæc omnia cum Jehova eſſe connectenda. Reſpicit autem propheta ad regnum Davidis & Templum, quibus Judæi fidebant, contra omnes prophetarum minas, & intendit populo perſuadere, hæc omnia nihil eſſe, ſi a Deo receſſerint, cum Deus proprie ſit thronus gloriæ populi, & ſanctuarium ejus, ſine quo, & cujus favore & præſentia, nomen illud non merebantur, nec ipſis aliquid prodeſſent. Hæc ſola clavis eſt verſus hosce reſerandi, qui ex hac hypotheſi faciles admittunt explicatus. In *throno gloriæ* reſpicitur ad regnum Davidicum, ſed quod erat *Dei* regnum, in *loco edito ab anteriore*, ſcilicet tempore, (ſic enim voces vertendæ & capiendæ ſunt) ad ſublimem & tutum populi ſtatum, in Deo quoque unice ſitum, denique in *loco ſanctuarii* ad Templum, quod etiam Dei erat, & in Dei communione unice poſitum. Illud omne itaque erat *Deus ſolus*, qui *exſpectatio Israelis* eſt, מקוה, proprie locus *confluxus*, ad quem recta linea ſpe & votis contenditur, in ſpecie confluxus *aquarum*; quare mox *fons aquarum vivarum* adpellatur. Radix enim קוה proprie eſt, recta linea tendere. A quo ſi deſciverint, pudore neceſſe eſt confundantur, ſeu, vi verbi בוש & יבש, *areſcent*, & conſternatione confuſi: quod huc recte quadrat, cum Deus *fons aquarum vivarum adpelletur*, & ab eo *alienati*, ac degeneres facti, terræ adfigerentur: quod eſt *ſcribi in terra*, judicio Dei, & ſententia ejus *judiciali*, quæ ſcribi ſolet, ad terræ communionem, ſeu ſtatum vilem, abjectum, & omni ſolatio orbum, condemnari. Poſſet etiam propria vis radicis כתב in *conſerendo*, *connectendo*, proprie trajecto filo, ſeu *infilando*, ſita, adtendi; ut ſenſus ſit, eos terræ, ſeu pulveri, eſſe *infilandos*, catervatim inſerendos. Quod vero ad vocem

יסורי adtinet, vel, ut marginalis lectio habet, וסורי, quæ utraque se tueri potest, cum יסורי referri possit ad nomina per י aucta, סור est pro סורים, per defectum litteræ ם, ut sæpe alias: sunt itaque, ut recte LXX, ἀφεστηκότες alienati & degeneres, qui simul omnem saporem, bonam mentem & rationem, perdiderunt. Quam vim adfert subinde סור, uti supra c. II: 21. & Ps. XIV: 3. ubi vid. dicta: sicut & alibi a totalem apostasiam a Jehova, ejusque lege & foedere, denotat. Plura non necesse est addam.

§. CCCXLVIII. ב. *Posterior* sermonis prophetæ pars, ad instructionem consolatoriam superiorem respiciens, est *precatoria*, qua α. consolationem & benedictionem, Deo fidenti promissam, in se impleri petit, ut & in summa tristitia erigatur, & a malo, sibi a Judæis, & reip. ab hostibus, imminente, liberetur, vers. 14. *Sana me Jehova & sanabor, serva me & servabor, quia laus mea Tu.* h. e. cum tu modo dixeris, Te esse Jehovam, qui *conquassatum* resarcit, & Deo fidentem in tuto collocat; ecce me, *Jehova*, & lethaliter ægrum animo! uti c. XV: 18. *confessus erat*, & gravibus in periculis constitutum, partim a Judæis, partim ab hostibus reip.; in te mea salus est: erige itaque animum adflictum & salvum præsta me; tu solus potes, &, si velis, sequetur etiam effectus; *sana me*, scilicet, moerore confractum, אנוש, ut vers. 9. habetur, *serva me*, nimirum periculo mortis expositum, & *sanabor* & *salvabor:* quod unice a Te potero, &, si velis, certissime ero sanatus & liberatus: *quia tu laus mea* h. e. tibi soli competit laus meæ sanationis & liberationis, tu solus es salvator ac liberator, *laudis meæ* objectum: uti recte Cl. Vitringa b. Interpretes hic varie instituunt, & in nexu ac scopo horum verborum & in sensu. Quibus inmorari nihil adtinet; cum omnia ex dictis clara sint. β. Liberationem a persecutoribus suis Judæis in specie supplicat, ea quoque ratione, ut, cum sese plane obduratos demonstrent, judicium Dei in eos plane adprobet. In qua pericopa *a*. obstinatam eorum corruptionem proponit, vers.

a Vid. ad Mal. III: 7. b ad Jes. LX: 18.

verſ. 15. *b.* injuriam ſibi factam demonſtrat, verſ. 16. *c.* ſuam liberationem, cum hoſtium interitu licet conjunctam, implorat, verſ. 17, 18.

§. CCCXLIX. *a.* Inſultus Judæorum, de obſtinata eorum pervicacia teſtantes, repræſentat, verſ. 15. *Ecce! ad me dicunt illi, ubi eſt verbum Jehovæ? veniat quæſo!* h. e. verus ſi eſſes propheta, dicta tua implementum haberent; quale hucusque nullum nacta ſunt, nec conſequentur; falſus itaque es propheta, dignus qui exſcindaris. Plus enim intelligitur, quam verba habent: quippe quæ ſimpliciter intendunt, Jeremiam pro falſo vate eſſe habendum; ſed, cum inde ſequatur, eum juſte ad necem quæri, & hoc comprehendunt; uti ſequentia patefaciunt: acſi dixiſſent; quid tu de injuſta quereris perſecutione, cum falſum te demonſtres vatem; verus enim ſi eſſes, minæ tuæ haberent implementum: ſed ubi eſt illud? *veniat quæſo!* ſed non venturum eſſe, certo ſcimus; adeo ut provocare ad id auſimus: manifeſtum itaque eſt, te iniquo eſſe in populum animo, & eum turbare unice intendere; &c. *b.* Quo clare tendit prophetæ excuſatio & juſtificatio, verſ. 16. *At ego non institi præ paſtore poſt Te; nec diem conquaſſationis cupivi; tu noſti; pronunciatum enim labiorum meorum coram facie tua fuit.* Reſpicit propheta ad intentionem eorum, qui ipſi modo perſonam falſi vatis impoſuerant, qua prophetam, tanquam male erga populum adfectum, traducere volebant; acſi inde vaticinia ejus, & non ex Dei revelatione, fluxiſſent. Adſeverat itaque per modum juramenti, quo illud *tu noſti* ducit, ſeſe non tantum nihil mali, ſed omne bonum a Deo pro populo petiiſſe; nihilque præcipitanter locutum fuiſſe, aut egiſſe contra populum. *At ego* (id enim hic dicit ו *&*) *non inſtiti* (nihil præcipitanter egi, nihil *urſi*. Radix אוץ proprie eſt *ſtrinxit*, inde vehementius *inſtitit, urſit*,) *præ paſtore poſt Te* (plusquam paſtor ſecundarius, ſummum paſtorem ſecutus, debebat. Nihil *urſi*, niſi quod me decebat, tanquam *paſtorem populi*, a Te conſtitutum, & te ſequentem; adeoque

tuis tantum institi vestigiis, tuum secutus sum ductum; &c. id enim est, *pastorem esse post Deum.* Particula vero ב est *plusquam*, *supra* &c: ut sæpe alias, quod vel ex Noldio notum est:) *& diem conquassationis non petii* (tempus totalis destructionis populi nihil minus quam cupivi, quin contrarium, pro populo ardenter intercedendo. Eam enim emphasin habet vocula לא *non*, ut sæpe alibi) *Tu nosti* (jurare id ausim, & ad tuam omniscientiam provocare: habet enim speciem juramenti, ut in verbis Satanæ, *Deus novit* Gen 111. & alibi) *prolatum labiorum meorum coram facie tua fuit* (id omne, quod ore meo protuli, coram te feci, nihil, nisi tuo jussu, & animo Tibi obsequendi, nihil, nisi Te inspectante & adprobante.) Quæ cum facilem reddant hujus versus intellectum, non necesse est, diversis interpretationibus inmoremur.

§. CCCL. *c.* Liberationem suam a quacunque contritione, & mentis & corporis, etiam cum persecutorum contritione conjunctam, si aliter fieri nequeat, directe *implorat*, vers. 17, 18. his verbis; quæ percurram, & ubi fuerit opus, aliquo lumine perfundam. *Ne sis mihi in contritionem* (ne, me deserendo, & hostibus tradendo, facias, ut & mente consternatus, nimia tristitia fractus, obruar, & ab hostibus in pulverem redigar. Verbum חתת a *friatione*, & contritione, transiit ad destructionem, qua quid in pulverem quasi confriatur, nec non ad consternationem, qua mens quasi conteritur, ut supra habuimus: quod utrumque hic recte admittitur. Deus vero qua ratione id prophetæ faceret, modo exposui) *refugium meum Tu in die mali* (vel *sis mihi refugium*, vel cum tu sis, & talem te mihi promiseris, ut ratio præcedentis deprecationis detur. Quod utrumque hic locum habere potest.) *Pudore confundantur persecutores mei, & ne erubescam ego* (spe sua cum pudore illi excidant, qui mea dicta irrident, & me e medio sublatum cupiunt, non ego spe mea fallar, sed verus deprehendar propheta, & omnibus persecutionibus superior) *conterantur ipsi, & ne conterar.*

rar ego (ipsi & mente & corpore conterantur, ego vero integer & triumphabundus consistam) *in ipsos adducito diem mali* (ipsi malum, quod mihi volunt, experiantur, & in foveam incidant, quam mihi pararunt) *& duplici confractione confringe eos* (majore duplo calamitate eos destrue, quam mihi inferre voluerunt.) Hæc cum ad intellectum phrasium sufficiant, nihil habeo, quod addam, nisi hoc unum, Prophetam non populi, sed obstinatorum suorum & Dei hostium, qui populum etiam decipiebant, & in causa erant, quare resp. interiret, perniciem in oculis habere; nec directe aut absolute id petere, sed partim conditionate, si obstinati maneant, partim indirecte, quia alias prophetæ persona salva esse nequit. Accedit, prophetiam seu prædictionem esse mali, quod ipsis accideret, per modum *voti* propositam, ut, eam justam esse vindictam, a se & piis adprobandam, significaret.

§. CCCLI. *Octava* & ultima concionis pars, (non enim est nova concio, ut nonnulli volunt, sed superioris adpendix, cum nullum sit *novæ* indicium, & mox *nova* instituatur c. XVIII.) continet mandatum Dei speciale ad Prophetam, eo tempore, quo concionem habuerat, executioni dandum, quo jubetur in portis Hierosolymæ, initio facto a celebriore porta *filiorum populi*, ubi reges ac magnates ingredi solebant, maximusque erat hominum concursus, declarare, a præcepti quarti de sabbato observatione vel violatione dependere salutem vel excidium reip. ac Hierosolymæ, eo *scopo*, ut publice constaret, non Dei culpa, sed ipsius populi, remp. in obscurum ire & destrui, cum ne in hoc uno, tam facili observatu, præcepto, sese Deo obsequiosum præstare velint. *Sabbati* vero expressa fit mentio, non, acsi hoc solo observato, & reliquis legibus neglectis, res salva esset, ut facile intelligitur, & deinceps vers. 26. tacite quoque insinuatur, ubi veræ religionis exercitium promittitur; sed *partim* ut experimentum hoc uno præcepto caperetur obedientiæ populi, quo si non defungi vellet, contumaciæ in-

ſuperabilis manifeſtum foret indicium, vid. ſimile quid c. xxxiv: &c. *partim* quod ejus diuturna, & nunc quoque horrenda, violatio locum haberet, *partim* quod ſignum eſſet foederis, quo pertinaciter violato demonſtrabatur totius foederis rejectio, & Dei tanquam creatoris & liberatoris ſolius abnegatio. Sabbatum enim in memoriam *& creationis* Ex. xx: 11. & *liberationis* ex Aegypto Deut. v: 15. fuit inſtitutum, ſimul *legiſlationem* in monte Sinai, *decalogo* quippe eo die promulgato, in mentem revocabat; adeoque ſignum erat, Deum eſſe populi *ſanctificatorem*, ut Ez. xx. & alibi habetur, qui Israelem ſibi in peculium adoptavit a gentibus *ſeparatum*. Hic verus conſpectus & ſcopus eſt pericopæ, quæ verſ. 19.-27. occurrit, nec multum habet obſcuri: quare verbis recenſendis quoque, ut omnem prolixitatem vitem, ſuperſedeo, & paucis obſervatis defungar.

§. CCCLII. 1. *Primum* eſt, *portam* בני עם *filiorum populi*, ubi propheta primum conſiſtere debeat, & dein *alias portas* adire, verſ. 19., eo titulo non venire, quod *popularium* vel *plebis* eſſet porta, eo confluere ſolitorum, ut paſſim putatur, ſed quod illuſtrium eſſet & nobilium virorum, per quam reges & principes *exire* & *ingredi* ſolebant; uti mox additur. Quo epitheton *filiorum populi* quoque referri debet; quippe quod non populares ſeu plebem, ipſa phraſi *filiorum populi* vetante, ſed illuſtres & nobiles de populo exprimit, ſive in alterutra, ſive utraque, voce eam quæras emphaſin. Vox enim בן *filius* ſubinde κατ' ἐξοχὴν præcipuum domus fulcrum, eximium & præſtantiſſimum filium, uti Jeſ. xiii: 18. Ez. xiv: 16. Prov. iv: 3. & alibi, denotat, adeo ut *filii* populi ſint ejus excellentiores, & præſidia. Notio quoque *populi*, præcipue העם cum ה emphat., quæ marginalis lectio eſt, nobiliorem ejus partem aliquando exprimit, uti Job. xii: 2. Pſ. lxii: 9., 1 Sam. ix: 24. & עמים Gen. xlix: 10. Jer. x: 3. [a] Porta itaque *filiorum populi* eſt virorum illuſtrium

&

[a] Vid. ad ea loca comment. noſter.

& principum, porta regia & principalis: fere ut Cant. VII: 5. porta בת-רבים *filiæ*, non *multorum*, ut accipi solet, sed *magnatum* & divitum; qui nomine רבים subinde veniunt: ut c. XI: 15. Ps. XXXVII: 16. LVI: 3. & alibi a. De situ hujus portæ nihil constat. 2. *Secundum* est, phrasin השמרו בנפשותיכם vers. 21., quam verti, *substricti estote animis vestris*, esse selectam & emphaticam. Denotat שמר proprie *substringi*, inde coerceri, nec non cavere, & phrasis cum animi impetuosæ adfectionis refrænationem, tum studiosam cautionem a lædendo animo. De quo alibi b exposui. 3. *Tertium* habet, *efferre onus e domibus*, vers. 22., non exportationem qualiscunque oneris, aut opus aliquod laboriosum, sabbato vetitum, simpliciter comprehendere, sed & ex urbe per portas eductionem, aut venditionem: respicitur enim ad oneris invectionem in urbem modo memoratam, quare solius exportationis tantum fit mentio, ad quam obhæserunt multi, & commercia, illo die non cessantia inter Judæos, præcipue intenduntur; uti Neh. XIII: 18. quare a reliquis *operibus*, quorum expressa subjungitur mentio, distinguuntur. Taxatur itaque simul aviditas quæstus, & avaritia Judæorum, quæ tanta erat, ut ne *sabbatis* cessare potuerint. Quam impetuosam animi adfectionem quoque admonitio præmissa, *substricti estote animis*, innuit.

§. CCCLIII. 4. Negantibus phrasibus cum mox adnectatur adfirmans, *& sanctificate diem sabbati*, vers. 22. eaque etiam cum admonitione, *substricti estote animis*, cohæreat, longe rectius pro scopo & consequente superiorum, quam directo præcepto, habetur, &, ut feci, vertitur; *ut sanctificetis diem sabbati*. Quem usum præf. ו *&* frequenter c præfert. Ex quo simul patescit, *sanctificationem* legalem sabbati in cessatione ab omni opere fuisse sitam, nec aliud quid litteraliter requisivisse. Quod ex vers. 24., ubi *sanctificare* sabbatum & ab *omni opere cessare* permutantur, & il-

 lud

a Id. ad ea loca. b ad Mal. II: 16. c Vid ad Mal. III: 1. §. 128.

lud per hoc explicatur, ulterius confirmatur. Quid? quod Gen. III: 3. Deus *dicatur diem septimum sanctificasse, quia eo die cessavit ab omni opere*, quod fecerat: quo nihil est in hanc rem clarius. Quo etiam facit, quod *operari* & *polluere* sabbatum æquivaleant; uti quum sacerdotes in Templo *sabbatum polluere* dicuntur, Matt. XII: 5. Hac ratione licet *littera* legis de sabbato satisfiat, ad piam tamen & spiritualem ejus observationem plus requisitum fuisse, lubens agnosco. De quo hic non est agendi locus.

§. CCCLIV. 5. Animadversionem omnino meretur phrasis, *& sedebit urbs hac in aeternum*, verf. 25., est enim emphasios plena. Urbem non tantum mansuram salvam denotat; sed & *a.* tanquam regni & religionis sedem, adeo ut & regnum Davidis, & religionis exercitium ibi sit futurum. Quo manifeste tendit utriusque expressa mentio, regni verf. 25., religionis verf. 26. *b.* urbem frequentius esse inhabitandam, visitandam, celebrandam, & prospere acturam, paceque fruituram. Quod sicut ipsum verbum *sedere* sive de hominibus, sive domibus, sive urbibus, usurpetur, usu suo, ut notum est, in omnibus quoque linguis, adfert, quare ישב & שלוה *sedens & liquida* tranquilla junguntur Zach. VII: 7. ut & שקט c. I: 11., ita reliquæ phrases involvunt, in specie, quod expresse addatur, principes *vehendos curribus & equis*, in signum splendoris, & præcipue pacis; uti Jud. X: 4. XII: 14 & alibi. *c.* urbem eo in statu, sine interruptione, esse mansuram usque ad finem oeconomiæ V. Quem sensum vox לעולם *in aeternum* ejusmodi in casu habet; ut sæpe observavi. Sic & Gr. αἰεὶ in continua successione temporis & loci eleganter teritur. De quo duo nostri ævi singulari eruditione præclari duumviri, mihique amiciss.mi, Wesseling *a* & Valckenaer *b*, consulantur. 6. In partium regni Judæ, proprie sic dicti, recensione verf. 26. specialis נגב *austri* mentio aliquam injicit moram, quia minus recte intelligi a nonnullis vidi. *Montanum Juda*, mediam tractus ejus par-

a ad Diod. Sic l. XX, p. 456. *b* ad Herodot. l. II. p. 147.

partem complexum, nomine ההר indicari, & tractum occidentalem, ad mare mediterraneum, a Philistæis insessum, nomine השפלה σεφηλὰ *sephela* titulo insigniri solitum, quia *planities* erat, humilioris soli terra, tralaticium est. Tractus vero הנגב *australis*, hic & alibi [a] additus, australiorem regionem, versus desertum Arabiæ, omnino designat, eo nomine dictam, quod sit præ æstu *aridior*; quo Ps. CXXVI: 4. respicitur. Vox enim *findendi* habet potestatem, speciatim arborem, quæ multo æstu decorticatur. 7. Denique inter cultus ritualis partes, de quibus vid. Cl. Vitringa [b], quarum distincta sit mentio, ut partim ejus neglectus tacite reprehenderetur, partim eum gratum fore Deo, si sabbatum & reliquam legem recte observarent, inculcaretur, inter eas, inquam, cum *confessionis adductio ad domum Jehovæ expresse memoretur*, ad solennem *primitiarum* adductionem, & confessionem, laudemque Jehovæ, tunc usitatam, quæ Deut. XXVI: præcipitur, digitum intendi, autumaverim, phrasi *adducendi confessionem ad domum Jehovæ* ansam & fundum præbente. Quod tetigisse suffecerit.



CONCIO OCTAVA.

CAP. XVIII.

1. *Verbum, quod a Jehova ad Jeremiam factum est, dicendo.*
2. *Surge & descende in domum figuli istius, ibique te audire faciam verba mea:*
3. *Et descendi in domum figuli, & ecce! faciebat ipse opus super formis constringentibus.*

 4. *Et*

[a] C. XXXII: 44. XXXIII: 13. Zach. VII: 7. [b] ad Jes. XLIII: 23, 24.

4. *Et ruptum est vas illud, quod ipse faciebat, sicut lutum in manu figuli, & fecit illud denuo vas aliud, quemadmodum rectum erat in oculis figuli, ut faciat.*

5. *Et verbum Jehovæ ad me factum est, dicendo.*

6. *Nonne, sicut hic figulus, vobis facere possem, domus Israel, inspiratum Jehovæ. Ecce, sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea; domus Israel!*

7. *Momento loquar de gente & regno ad evellendum, demoliendum, & perdendum,*

8. *& converterit gens ista a malitia sua, super qua locutus sum, & poenitebit me mali, quo eam adficere cogitavi.*

9. *Et momento super gente & regno loquar ad ædificandum, & plantandum,*

10. *& in oculis meis fecerit malum, ne vocem meam audiat, & poenitebit me boni, quod ei facturum esse dixeram.*

11. *Itaque nunc dic viris Judæ & incolis Hierosolymæ, ecce! ego super vobis malum fingo, & cogito super vobis cogitationem: revertimini quæso quisque a via sua prava, viasque vestras & molitiones vestras facite rectas.*

12. *Et dixerunt, desperatum est, quia post consilia nostra ibimus, & quisque umbilicationem,* seu *impetum, cordis sui mali faciemus.*

13. *Propterea sic dixit Jehova; interrogate quæso gentes, quis audivit sicut hæc? horrendum valde fecit virgo Israelis.*

14. *An quis præ petra deseret agrum irriguum, nivem*

Li-

Libani? an præ aquis peregrinis abjicientur propinquæ *frigidæ fluentes?*

15. *Quia mei obliti sunt, populus meus, vanitati adolent suffitum; & se mutuo offendere faciunt in viis suis, viis lenibus seculi, ut incedant viis regiis, via non aggesta,*

16. *ad terram suam in sideratione ponendam, sibilationes æternas, omnis per eam transiens adtonitus stupebit, & capite suo quassabit.*

17. *Sicut vento orientali exundare & diffluere eos faciam coram hoste, cervicem & non vultum videbo eos, die calamitatis eorum exitialis.*

18. *Et dixerunt: agite & cogitemus contra Jeremiam cogitationes, quia lex a sacerdote non peribit, & consilium a sapiente, nec verbum a propheta, agite percutiamus ipsum lingua, nec ulla ejus verba adtendamus.*

19. *Adtende, Jehova, ad me, & vocem litigantium mecum audi.*

20. *An pro bono retribuetur malum? quia foveam animæ meæ foderunt. Recordare stationis meæ coram te ad bonum super iis loquendum, ad avertendam excandescentiam tuam ab ipsis.*

21. *Propterea filios eorum fami trade, & bullire eos fac super manibus* (acie) *gladii, & uxores eorum sint orbatæ & viduæ, & viri eorum sint occisi mortis, juvenes eorum percussi gladii in bello.*

22. *Clamor e domibus eorum audiatur, quum globum hostilem subito in eos adduxeris, quia foveam ad me capiendum foderunt, & pedibus meis abdiderunt laqueos.*

23. *Et,*

23. *Et*, vel *itaque, tu Jehova, qui omne eorum nosti consilium contra me ad mortem, ne eorum iniquitatem expies, & peccatum eorum a coram te ne abstergeas, & sint adpacti coram te, die iræ tuæ age in eos.*

§. CCCLV.

Octava concio *tribus* est comprehensa capitibus, hoc & seq. duobus, una quidem, sed diversis locis successive pronunciata; *prima* pars in domo figuli, *secunda* in valle filiorum Hinnon, *tertia* in atrio Templi, & *quarta* post liberationem a custodia, in qua unum diem triverat. Quæ variæ partes non obstant, quominus una, sed continuata, & repetitis vicibus facta, sit concio: cujus indicium est in formula novæ concionis indice, *verbum, quod factum est ad Jeremiam a Jehova*, quæ c. XVIII: 1. occurrit, & non nisi c. XXI: 1. recurrit; altera vero formula, *sic dixit Jehova*, partes quidem concionis distinguit, sed novarum concionum non solet esse indicium, nisi aliud accedat criterium. Sæpius enim in una eademque concione illæ voces repetuntur. Argumentum etiam horum capitum manifeste cohæret, quæ & eodem ordine decurrunt: subjungitur enim singulis partibus frustraneus apud Judæos effectus, & Jeremiæ persecutio, & denique querula prophetæ expostulatio. Argumentum *concionis* est, cum exhortatorium ad poenitentiam, ut excidio reip. occurratur, tum denunciatorium *judicii Dei: prius* cap. XVIII. *posterius* seq. capitibus maxime continetur. Sed inmiscetur narratio, *effectus* singularum partium concionis, & in populo, in prophetam insurgente, & in *Jeremia*, ad querulam orationem excitato.

§. CCCLVI. De tempore concionis nihil certi constat, nisi eam post *Josiam* fuisse habitam, & antequam publica autoritate est in carcerem conjectus, aut ad necem quæsitus; quod cir-

circa initia Jojakimi incepit c. XXVI., adeoque in primis Jojakimi initiis, ante illam persecutionem c. XXVI. memoratam, probabile sit, concionem habitam esse. Post Josiam accidisse manifestum vel ex eo est, quod manus in Jeremiam injecerit præfectus Templi, & vallis filiorum Hinnon rursus in locum detestandæ idololatriæ fuerit versa: ne alia memorem in re haud dubia. *Partes* concionis *quatuor* sunt, pro diversis locis & vicibus, quibus habita est. I. *Prima* cap. XVIII., apud domum figuli. II. *Secunda* in valle filiorum Hinnon c. XIX; 1--13. *III. Tertia* in atrio Templi ib. 14, 15. IV. *Quarta* in Templo post incarcerationem unius diei c. XX.

§. CCCLVII. In *prima* parte occurrit, 1. *occasio* concionis, vers. 2--4. 2. concio ipsa, vers. 5--17. 3. effectus ejus in Judæis & propheta, vers. 18-23. 1. Occasionem præbuit observatio, seu contemplatio figuli, vas luteum, recens factum, manu sua frangentis, & aliud in ejus locum inde concinnantis pro beneplacito suo. Quem casum ut propheta oculis coram conspiceret, Deus jussit, ut domum figuli, ipsi monstratam vel notam, adiret, &, quid ibi ageretur, observaret, vers. 2-4. In quo nihil est, nisi in una alterave voce & phrasi, quod nostram requirit operam. 1. Cum Deus dicit, vers. 2. *Surge & descende* (præt. cum & hic usum habet, sæpe notatum, quo in re futura denotat præteritum; construitur cum fut. *audire faciam*, ut sit; cum *descendisti* id faciam) *in domum figuli istius:* indicatur, prophetam in Templo fuisse, vel loco editiore, & inde in locum humiliorem deflectere debuisse, ad officinam *figuli*, non qualiscunque, sed *certi*, ipsi vel noti, vel monstrati; ut recte Schmidius, quare non יוצר sed היוצר, cum ה demonstr. legitur: figulum enim adire deberet, qui vase faciendo erat occupatus: quo in opere etiam ipsum deprehendit Propheta. Ubi autem illa fuerit officina, sine fructu inquiritur; licet non sit improbabile, fuisse in via ad vallem filiorum Hinnon; quia inde mox ad eam sese contulit propheta. c. XIX. De

quo consuli meretur Sanctius. 2. Vox אבנים exprimere videtur typos lapideos vel ligneos, super quibus vasa lutea formabantur, seu in certam formam *constringebantur*, unde nomen derivari potest: radix enim אבן denotat *concretionem*; unde etiam ad sellam parturientis videtur transiisse, Ex. 1., quia super ea parturiens dolores stringentes sentiebat, & infans excludebatur. Dualis est pro plur., & nihil aliud notare videtur, quam varios tales fuisse typos, formas varias, super quibus opus faciebat figulus. Sunt, qui *rotas* vertunt, & cum אופנים permiscent a, quod suo loco relinquo: nec ad liquidum adduci potest, aut tanti est. 3. Prioris vers. 4. membri verba, *& ruptum est vas illud, quod ipse faciebat, sicut lutum in manu figuli*, hunc videntur fundere sensum; vas, recens factum, cum adhuc lutum esset, nondum coctum, fuisse in manu figuli, & ab eo sponte fractum, tanquam ipsi displicens; adeoque pro beneplacito suo id fecisse. *Sicut lutum* erit itaque, *instar luti*, quod vere erat, nondum in *vas* induratum & coctum; & in *manu figuli* non tantum significat, inter *manus* ejus, dum in eo formando versaretur, sed & a *manu* ejus, adeoque sponte, tanquam ipsi displicens, fuisse fractum. Sed alii cod. legunt ב pro כ, בחמר *in luto*, & cum verbo *facere* construunt, ut sit: *quod faciebat in luto*, vel, ut alii, *ex luto*, cui consentit Chald. Parum refert; sed כחמר *sicut lutum* confirmatur ex seq. vers. 6. Teneatur itaque cum nonnullis, vas jam formatum, sed, nondum coctum & induratum, fuisse, quod observo, a figulo sponte *fractum*; cujus indicium sicut est in phrasi, *in manu ejus*, & in verbo נשחת, quod proprie dicit *rupit vellendo* ac *radendo*, ita in emblematis expositione ac scopo; eo enim tendit, ut vas ruptum resarciri posse indicetur, quod etiam mox additur factum; in quo differt a *lagena testacea* fracta, quæ refici nequit, cap. XIX: 4. Ultimum membrum *& reversus est, & fecit illud*, pro refecit illud *vas aliud*, clarum est, modo notetur relat. *illud* pertinere ad vas, luteum adhuc, fractum; seu *lutum* modo me-

a Vid. Mercerus ad Lex. Pagnini.

moratum, & sensum esse, idem illud fuisse renovatum, & in aliam formam concinnatum, pro beneplacito figuli.

§. CCCLVIII. 2. In hujus casus, quem prophetæ, & forte aliis, qui cum ipso iverant, ut cap seq. habetur, ob oculos poni curaverat Deus, explicatione & applicatione, quæ argumentum concionis constituit, Deus ita instituit, ut α. ad Judæorum superbiam & arrogantiam retundendam, supremam suam potestatem, & absolutum suum dominium in ipsos, quo cum ipsis pro beneplacito agere possit, absque ut iis rationem debeat, exponat, & vindicet, vers. 6. β. vias suas & rationes agendi cum populis, non secundum supremum & strictum illud suum jus, sed æquitatis & justitiæ regulas exacte observatas, repræsentet, vers. 7--10. γ. denique quam sortem Judæi exspectandam habeant, nisi ad meliorem frugem redeant, depingat, vers. 11--17. α. Emblema figuli, cum luto pro arbitrio agentis, vas fingentis, frangentis & refingentis, Deus ad supremam suam potestatem, & absolutum dominium suum in homines illustrandum & vindicandum transfert, vers. 6. his verbis. *Nonne, sicut figulus hicce, vobis facere possem, domus Israel? dictum Jehovæ: ecce, sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea, domus Israel.* h. e. potentiæ non tantum meæ, sed & supereminentiæ & potestatis seu dominii mei supremi in vos, ô Israelitæ! si ratio tantum habeatur; vos, a me in populum olim formatos, æque facile & juste destruere, ac refingere rursus, possem, absque ut vobis ullam debeam rationem, ac figulus vas ex luto factum frangit, & refingit pro arbitrio. Pertinet hæc juris & potestatis vindicatio proprie & directe ad Israelem, tanquam populum a Deo libere electum & formatum, ut ex ipsa Israelis adlocutione manifestum est, & pro hypothesi habet, Israelem fuisse a Deo in *vas* formatum, cum antea *lutum* informe fuisset, adeoque populum Dei, certis legibus instructum, factum. Quo respicitur, cum figulus dicitur *vas* vel opus finxisse super *lapidibus*, proprie duobus, forte cum aliqua adlusione

ad leges decalogicas, duabus tabulis lapideis inscriptas. Hunc populum ita formatum, adserit Deus, in manu sua esse tanquam *lutum in manu figuli*, quem æque facile non tantum destruere ac refingere possit, ac figulus lutum; sed & pro jure & supremo dominio suo possit, absque ut ei injuriam faciat ullam, aut rationes ab eo exigi possint; cum prærogativis, quas libere in eum contulerat, eum rursus eodem jure privare possit, & alium iis donare populum. Sed probe observandum est, Deum hic simpliciter declarare, quid pro summo suo jure & dominio possit, non quid *velit*, aut se deceat facere; cum non secundum hanc suam potestatem supremam, sed æquitatis & justitiæ leges eos tractare velit; sicut clarissimum est, cum ex eo, quod simpliciter adserat, *se ita posse* cum iis agere, tum quod mox rationes & vias agendi suas longe alias exponat, ut mox videbimus. Ceterum, licet hic de Israele, tanquam populo directe agatur, isque, tanquam talis, cum luto in manu Dei comparetur; nihil tamen impedit, quominus, *a.* extendatur ad *absolutum*, sed simile, Dei dominium in singulos homines, quos formare, destruere, & refingere potest pro beneplacito, cum existentiam, & vitam, & prærogativas, iis libere dederit, quibus eos iterum privare possit. *b.* imo hinc colligatur, Deum, si solius supereminentiæ & absolutæ potestatis habeatur ratio, virtutum & relationum ejus sepositio ad tempus respectu, cum illis agere posse quicquid vellet, modo addatur, virtutes Dei impedire, quominus ita instituat. Hoc ipsum, nec aliud, intendit Apost. Rom. IX: 22. dum hæc verba citat, ut in notis ad eum locum [a] observavi. Quare hic plura non addam.

§. CCCLIX. *β.* Explicat mox vias & rationes gubernationis suæ, quas tenere solet cum gentibus quibusvis & regnis sine discrimine, convenienter virtutibus suis & populorum qualitatibus moralibus, non itaque pro solo arbitrio, & summo jure; nec sicut figulus cum luto agit, sed sicut Deum bo-

[a] ad calcem St. de Brais ad h. epist.

bonum & justum decet, & hominibus, ratione ac libertate præditis, convenit. Corrigit itaque & temperat similitudinem figuli, quam sibi aptaverat; &, qua ratione sibi adplicari velit, exponit Deus. Qui verus est hujus pericopæ conspectus, minus perceptus. Declarat itaque Deus 1. se, non instar figuli pro arbitrio, & summo suo jure, cum populis & regnis agere, & frangere, vel refingere, pro beneplacito, sed corruptum populum destruere, 2. nec statim & inproviso id facere, sed longanimitate uti, & ante admonere solere populum, & minas præmittere. 3. denique interminationes & promissa hanc tacitam habere conditionem, ut, si resipiscat populus, illæ non mandentur executioni, si a virtute degeneret, promissa amplius non impleantur. Exponit ergo Deus, 1. qua ratione agat cum populo pravis moribus & vitiis depravato, vers. 7, 8. *momento loquar de gente & regno, ad evellendum, demoliendum & perdendum: & converterit gens ista a malitia sua, super qua locutus sum, & poenitebit me mali, quo eam adficere cogitavi.* h. e. uno eodemque momento sententiam destructionis populi pronunciabo, & poenitebit me, si resipuerit. Indicatur, Deum mox revocaturum sententiam condemnatoriam, cum ad meliorem frugem redierit populus. Eam hic emphasin mihi vox רגע *momento* habere videtur, in qua exponenda sese varie torserunt Interpretes; quia ad verbum *loquar* retulerunt, cum ad totum enunciatum debuissent; seu ad sententiæ pronunciationem & revocationem, mediante resipiscentia, connectendam; ut sensus sit, Deum in ea revocanda non moras facturum aut deliberaturum, aut difficile movendum esse, sed mox e vestigio illud, pro sua bonitate, facturum. Cohæret itaque vox רגע *momento* cum *loquar* & *poenitebit*, dicitque, Deum eodem quasi momento de populo destruendo & servando esse locuturum, si intercesserit resipiscentia. Cujus illustre exemplum est in Ninevitis, tempore Jonæ, quod solum huic declarationi Dei illustrandæ sufficit. Ceterum quo ad phrases, parum habeo notandum. 1. על in phrasi,

loquar על גוי, rectius vertitur *super*, *de*, quam *contra*, ut ex verſ. ſequente facile eluceſcit. 2. Cum *gens* & *regnum* abſolute, ſine ה demonſtr., memoretur, qualemcunque gentem & populum intelligi, haud obſcurum quoque eſt. Sed mox הגוי digito monſtratur ipſa illa gens modo memorata. 3. *Gentem*, ſuper qua Deus loquutus dicitur, intelligi *corruptam*, & penitus depravatam, ſequens membrum, & *redierit a malitia ſua*, ſatis demonſtrat. 4. Vocula אשר, in verbis אשר *locutus ſum de illa*, eſſe pro על אשר *propter quod* locutus ſum, ſcilicet, ut modo dictum erat, *ad evellendum* &c: paſſim quidem cenſetur, ſed ſtylo loquendi convenientius eſt, ut אשר עליו ſit pro על אשר *ſuper quo*; ut ſenſus ſit, ſi gens, ſuper qua locutus ſum, ſeu pronunciavi ſententiam deſtructionis, ſe a malitia converterit, &c. quod nonnulli recte obſervarunt. 5. Notetur uſus verbi דבר *loqui* judicialis, pro *ſententiam pronunciare*, ſæpe a nobis obſervatus.

§. CCCLX. 2. Addit Deus, ſe eadem ratione reſpectu *promiſſorum*, populo alicui factorum, inſtituere, cum ea quoque implemento caritura ſint, ſi populus ſcopo Dei non reſpondeat, nec voluntatem ejus obſervet, verſ 9. *Et momento loquar ſuper gente & regno ad ædificandum & plantandum, & fecerit malum in oculis meis, ne audiat vocem meam, & poenitebit me boni; quod dixeram ei facturum eſſe.* h. e. Eodem etiam momento, quo me populo alicui benefacturum eſſe promiſi, benedictionem inhibebo; ſi mihi ſeſe præſtiterit inobſequioſum; donec ſe a malitia converterit, alias deſtruendum, ut modo dixerat. Deus enim non declarat, ſe mox, aut pro arbitrio, populum eſſe deſtructurum, ut figulus vas frangit recens formatum, ſed benedictionem eſſe ablaturum, ut tempus reſipiſcendi concedatur. Ceterum *ædificare & plantare*, vel continuationem & amplificationem ac conſtabilitionem ædificationis dicit, cum populus hic occurrat jam formatus, uti Jeſ. LI: 16. *plantare coelum & fundare terram* pro firmare & conſummare, ubi vid. Cl. Vitringa, vel *loqui* Dei ipſam executionem involvit,

ut

ut sit, *sequar* & reapse faciam: quod Kimchius jam notavit. Sed, cum subjungitur *destructionis* interminationi, forte ad populum, propter malitiam destructum, renovandum referenda sunt verba, ut c. 1. notavi: quod in emblema figuli, idem vas refingentis, vers. 4, rectius quoque convenit. Reliqua sunt facilia: illud tantum addatur, *inter facere malum, & non audire vocem Dei*, hoc statui posse discrimen, ut prius ad legis transgressionem, posterius ad monitorum, & exhortationum Dei ad resipiscentiam, contemtum, referatur; adeoque indicetur, Deum non ante benedictionem continere, quam media emendationis deprehensa fuerint irrita.

§. CCCLXI. *y.* Sequitur generalis regulæ, modo memoratæ, specialis adplicatio ad Judæos, qua Deus 1. populum ad resipiscentiam adhortatur, ut præveniat malum, quod Deus declarat, se inflicturum esse quantocyus, vers. 11. 2. populi impoenitentiam, publice declaratam, exaggerat, & in totale excidium exituram pronunciat, vers. 13-17. 1. Prius his verbis, vers. 11. *Itaque nunc, dic viris Judæ & incolis Hierosolymæ, ecce ego fingo super vobis malum, & cogito super vobis cogitationem; revertimini quæso quisque a via sua prava, viasque vestras & malitiones vestras rectas facite*; scilicet, & *poenitebit me*; ut vers. 8. habetur: quod facile intelligitur. Nihil hic sese offert, quod moram injiciat; tantum notetur, *fingere malum* & *cogitare cogitationem*, nempe malam, significare, Deum non tantum hoc animo constituisse, quod est *cogitare*, sed & in eo jam esse, ut *exsecutioni* mandet, quod est *formare*; adeoque quantocyus populum resipiscere debere, si avertere velit. 2. *Posterius*, *a.* obstinationem & obdurationem populi in peccatis exhibet, vers. 12. *Et dixerunt, desperatum est, quia post consilia nostra ibimus, & quisque umbilicationem cordis sui mali faciemus.* Quæ supra c. II: 25. satis illustrata sunt. *β.* Mali istius adgravationem, *partim* respectu ipsius facinoris, *partim* ejus consequentis: *prius*, vers. 13-15. *a.* Quod ad facinus ipsum ad-

tinet, 1. illud inauditum esse & horrendum valde, declarat Deus, vers. 13. *Propterea sic dixit Jehova, interrogate quaeso gentes, quis audivit, sicut haec? horrendum fecit valde virgo Israelis.* h. e. horrendum est, & inter Gentes inauditum, quod patravit populus Israel: vid. ad cap. II: 11. 12. 2. Ipsum illud facinus, in quo situm sit, mox subjungit, *a.* figurate, *b.* proprie magis. *a.* figurate, vers. 14. his verbis, *an deseret quis prae petra agrum irriguum, nivem Libani? an abjicientur prae aquis peregrinis propinquae frigidae fluentes?* h. e. inauditum utique & horrendum est, maximeque stultum, petram sterilem & horridam prae agro irriguo, ex nive Libani repleri solito, eligere; aquasque peregrinas, & longius remotas, praeferre frigidis refocillantibus, ac propinquis, semper fluentibus. Dici nequit, quam diverse hic instituerint Interpretes, & aliena etiam sectati sint; Piscator, & Junius ac Tremellius, quos Belgae nostri secuti sunt, aliquid viderunt, sed non omnia. In quibus discutiendis cum versari non liceat; interpretationem nostram, quae sese facilitate sua commendat, exposuisse, suffecerit. Notetur itaque. 1. in verbo, *an deseret*, subintelligi איש; ut sit, *aliquisne*, qui vel micam sapientiae habet, *deseret?* quod jam ab aliis est occupatum; nec difficile. 2. מצור esse seorsim capiendum, & vertendum *prae petra* h. e. propter eam; *petram* vero intelligi sterilem & horridam. 3. שדי esse agrum irriguum, & uberi vena madentem; ut prae copia omnium rerum manantem; quae genuina est vocis potestas; uti alibi *a* notatum est: sic pro agro irriguo egregie sumitur, Jos. XV: 18, 19. Construi debet cum verbo *deserere*; ut sit, *an quis prae rupe deseret agrum irriguum?* 4. Voces seq., *nives Libani*, quoque ab eodem verbo pendent, ut sit: *quisne deseret nives Libani prae rupe?* & agro irriguo adduntur, quia ab illis *nivibus* maxime pendebat aquarum copia in agris irriguis Palaestinae. In summo enim Libani vertice semper sunt nives, unde *scaturiunt perpetui fontes*; uti notum est. 5. Voces [illegible] לבנון [illegible] ces

a Vid. not. ad Deut. XXXII: 13.

ces מים זרים cohærent, & in מים excidit, vel mente suppleri debet, מ, ut sit, *præ aquis peregrinis*; sicut in præced. *præ petra*. Litteram מ ex concursu ejusdem litteræ subinde deficere, sæpe observavimus: מים ergo est pro ממים *præ aquis*; & aquæ *peregrinæ* sunt *longinquæ*, & extra solum patrium, longius remotæ; adeoque difficilius acquirendæ. 6. Reliquæ voces, *frigidæ fluentes*, connectendæ sunt cum verbo *an abjicientur*; ut sensus sit: an ab aliquo sanæ mentis *frigidæ fluentes*, quæ ante pedes sunt, seu propinquæ, abjicientur *præ aquis peregrinis*; seu *propter* aquas peregrinas? Verbum נתש est *relinquere*, proprie *laxare*, ut נטש, unde *relinquere*, nec non *evellere* radicibus laxatis. Sunt enim נתש & נטש ejusdem originis. Aquæ *frigidæ fluentes*, sunt aquæ refocillantes, continuo fluentes; Prov. xxv: 25. Sed vix dubitaverim, quin vel exciderit vox קרבים, vel ea in vocem קרים degeneraverit: utique subintelligi debet, cum oppositio ad זרים manifeste exigat. Hac ratione cuncta prono fluunt alveo, & facilem fundunt sensum, cui sequentia recte conveniunt.

§. CCCLXII. *b*. Figuratæ orationi subjungitur adplicatio ad populum Judæum, eo insaniæ delapsum, quod id fecerit, quod modo tanquam vesanum erat rejectum; vers. 15. *Quia obliti sunt mei populus meus, vanitati suffitum adolent: & se mutuo offendere faciunt in viis suis, viis lenibus seculi; ut incedant viis regiis, via non aggesta.* h. e. Quod dixi a nemine faciendum, qui sapit, illud tamen fecit populus meus, *mei enim obliti sunt*, licet populus meus, qui sum omnisufficiens, & fons aquæ perennis, & ad idolorum, quæ ipsa sunt vanitas, cultum se adplicuerunt, sese in ipsa via sua regia, leni & antiqua, ad lapsum impulerunt, ubi nullum erat offendiculum; ut vias ingrederentur & tenerent, opinione sua regias, nihil minus quam aggestas & stratas, molestiarum & periculorum plenas. Quæ paraphrasis cum nexum & sensum verborum in luce collocaverit, paucis defungi potero. 1. Vocula כי *quia* retinet usum, quem habe-

 re

re solet, rationem præcedentis reddendi, sed per ellipsin omissi; ut sit: cum dixerim, interrogando, *num quis deseret?* illud a populo meo esse factum, fateri debeo, *quia*, vel *nam*. Quod jam observavit Schmidius. 2. Emphasis est in phrasi, obliti sunt *mei*, & epitheto, *populi mei*, nec non *vanitatis*; ut sit, populus, licet meus, me tamen deseruit, irriguum & omnisufficientem; & *vanitatem*, omni succo & stabilitate vacuum idolum, cui cultum religiosum deferat, mihi substituit. Vid. c. II: 13. Emphasis est in לשוא *vano*, & *in vanum*. Quod utrumque hic admittendum est, ut sensus fiat amplior, qui & idololatriam, & vanum ejus fructum, continet. Vox vero & alibi ad idola transfertur, ut Jon. II: 19. 3. Additur, & *offendere eos fecerunt*, vel pseudo-prophetæ, & alii, vel ipsi se invicem, *in viis suis*, ipsis præscriptis & præparatis, iisque *planis* & *probatis*; id enim est, *viis seculi*. Vox enim שבילי in origine habet *lenem* & *levem*, ac jucundum, *fluxum* [a], adeoque viam planam, & leniter fluentem, denotat, in qua nulla erat lapsus, aut offensionis, ratio, aut occasio: quam tamen cum in ea quæsiverint, quantopere sint perversi, & sua culpa impegerint, insinuatur. De *viis seculi* dixi ad cap. VI: 15. 4. Stultitiæ augendæ ergo additur, eam offensionem captatam in via plana eo spectasse, ut idolis se adplicarent, quod nihil aliud erat, *ac viam non aggestam* ingredi, quod necessario post se trahere debet multiplicem molestiam & lapsum, ac ruinam. De rad. סלל proprietate in *serie* & concatenatione, unde ad viam seu stratam seu exaggeratam, majorem illam & regiam, transit, alibi [b] monui. Ceterum ad elegantiam & emphasin orationis, haud vulgarem, sed non observatam, facit oxymoron, cum insigni acumine conjunctum, in vocibus נתיבות *viis eminentibus* regiis, & *via non aggesta* non regia, secum conjunctis. Vox quippe נתיב, a radice נתב, Arab. *eminuit*, viam eminentem & elatam denotat, uti Job. XVIII: 10., indeque regiam & stratam Job. XXX: 13. quod jam monuit

Sic

[a] Vid. ad Ps. LVIII: 9. [b] ad Ps. III: 3.

Simon *a*: *via* itaque *eminens* regia, & *via non strata* sunt contraria, & se invicem evertentia; adeoque oxymoron quid continent; sed acumen est, quo vana Judæorum opinio de cultu idololatrico, tanquam via regia & commoda, perstringitur, simul cultum illum esse *publicum* ac *dominantem* insinuatur, sed, vere esse *viam non adgestam*, declaratur.

§. CCCLXIII. *b*. Perniciosum consequens, quo facinus populi adgravatur, his verbis subjungitur, vers. 16. *ad ponendam terram suam in siderationem, sibilationes æternas; omnis per eam transiens adtonitus stupebit, & capite suo quassabit*, h. e. Hoc inde necessario sequitur, adeo ut, si perniciem suam intendissent, aliter non potuissent instituere; ut terra *fiat sideratio*, seu, tanquam uredine tacta, vastata, & cujuscunque irrisioni exposita in perpetuum: id enim est, *in sibilationes æternas*; sicut mox exponitur: quisque transiens adtonitus stupebit, & capite quassabit, in signum irrisionis. Nihil hic difficilis. Ad elegantiam sermonis facit cum adliteratio in שום & לשמה, uti Ps. XLVI: 9 ubi vid. dicta, tum duplex rad. שמם potestas, qua & vastationem sideratam denotat, & mentis adtonitæ horrorem, a primigenia vi *siderandi*, tanquam *urente* & *pestifero* adflatu.

§. CCCLXIV. *y*. Confirmat Deus hoc, modo memoratum, consequens tristissimum, & latius extendit ad dissipationem incolarum terræ vastatæ; vers. 17. *Tanquam vento orientali dilabi eos faciam coram hoste; cervicem & non vultum videbo eos, die calamitatis eorum prægravantis*. h. e. consequens perversitatis eorum, cujus memini, omnino locum habebit, a me efficiendum; qui & insuper eos, instar aquarum exundantium a procelloso vento agitatarum, diffluere faciam coram hoste; cui non faciem sed tergum dabunt, præcipite fuga se quaquaversum proripientes, me spectante, sed non impediente, tempore ingruentis & opprimentis calamitatis ipsorum. Cum Deus vastationem terræ ipsorum, tanquam ex populi perversitate orituram, memoraf-

a in Lex.

ſet, orationem ſubito vertit, & ſe tanquam cauſam repræſentat diſſipationis populi, ut indicaret, calamitatem, modo memoratam, ſibi, tanquam judici, eſſe adſcribendam, ſimul eam in totalem populi diſſipationem exituram. *Sicut vento orientali*, dicit Deus, *exundare & diffluere eos faciam coram hoſte* h. e. hoſte ingruente, curabo, ut, ſicut aquæ procelloſo vento agitatæ exundant & diffluunt, illi quoque præcipite fuga quaquaverſum, terra ſua deſerta, dilabantur, & in exteras regiones diffundantur. Similitudo petitur ab aquis, vento vehementiore commotis, ut ex particula ſimilitudinis כ, quæ vera lectio eſt, in כרוח, elucеſcit, & ex genuina poteſtate verbi פוץ confirmatur: ſita enim eſt in *exundatione* aquarum ſupra ripas, unde, inter alia, *diffluendi* & *dilabendi* uſus fluxit: ut Num. x: 35. *dilabantur inimici tui*, & *fugiant a facie tua*, Zach. xiii: 7. Ez: xxxix: 6. & alibi. Additur, *cervicem & non vultum videbo ipſos die calamitatis eorum exitialis*. h. e. otioſus intuebor præcipitem ipſorum fugam, & diſſipationem: fugæ enim & diſperſionis deſcriptionem continet phraſis, *verticem & non faciem dare*: cujus hic recte locus eſt, ut ex præcedente liquet. *Cervicem vero*, dicit Deus, *videbo eos*, pro a tergo eos videbo; quod idem eſt ac *fugientes* videbo eos, ſeu *tergum dare videbo* eos. Interpretes aliter inſtituunt; ſed rem expedire non potuerunt: noſtra, ni fallor, explicatio ſeſe ſponte ſua commendat. Sed emphaſi non caret verbum *videre*, *videbo eos tergum*, innuitur enim, Deum fore otioſum ſpectatorem, non adjutorem, qui fugientibus ſuccurrat; imo ſpectatorem, ſibi in calamitate illa complacentem: quod eſt *videre* otioſe & cum delectatione aliqua: uti conſtat.

§. CCCLXV. 3. *Effectus* concionis, quæ *tertia* capitis *pars* eſt, recenſentur, α. reſpectu Judæorum verſ. 18. β. *Jeremiæ* ipſius verſ. 19-23. *a*. Judæi, hac, & aliis concionibus, Jeremiæ irritati, leguntur conſilia iniiſſe, prophetam non tantum obſtinate repellendi, ſed & diffamandi ac accuſandi, tanquam capitalis criminis reum, & morte adficiendum; quia

sacratissimas personas traduxit, & falsum se demonstravit prophetam, reip. & Ecclesiæ hostem, non amplius tolerandum, cum sacerdotes, sapientes & prophetæ, quibus se opposuit, quosque omni privilegio privandos, & cum rep. interituros falso dixit, nunquam cessaturi sint, nec resp. ac Ecclesia peritura. Hic scopus & sensus est verborum, vers. 18. quæ ita sonant: *& dixerunt, agite, & cogitemus contra Jeremiam cogitationes, quia non peribit lex a sacerdote, & consilium a sapiente, nec verbum a propheta: agite, percutiamus eum lingua, nec ulla ejus verba adtendamus.* In quibus parum est difficilis, licet Interpretes non æque omnes in iis exponendis felices fuerint, nonnulli etiam in devia rapti. Sensus, quem modo dedi, sese facile adtendenti offert; quare paucis defungar. 1. Quod in principio vers. in genere dictum erat de *cogitationibus* seu machinationibus in Jeremiam instituendis, illud deinceps specialius exponitur, & ad duo redigitur capita, *alterum*, percutere lingua, *alterum*, non adtendere dicta ejus; quæ ita cohærent, ut prius sit posteriore gravius, acsi haberetur: *percutiamus eum lingua*, tantum absit, ut verba ejus adtendamus; non itaque verba ejus solum spernamus, sed insuper *lingua* eum flagellemus. 2. Phrasis, *lingua percutere*, pro calumniari, & accusare, & elegans est, nec inusitata; sicut *flagellans grassatio linguæ* Job. v: 21. memoratur, & calumniatores ac accusatores absolute נכים *percussores*, seu *flagellatores* adpellantur Ps. xxxv: 14. a & נכון est *percussio flagellans* Job. xii: 5. adeo ut nonnulli hic sine ratione aliena fuerint sectati. Excitant itaque se invicem cum ad conciones ejus irritas reddendas, tum ad verba ejus aucupanda, & in perniciem ejus contorquenda, tum denique ad crimen blasphemiæ in Deum & legem ac personas sacras, & proditionis patriæ ac Ecclesiæ, ipsi impingendum, & mortis reum agendum. Quo sicut phrases ducunt, ita sequentia confirmant, ubi *foveam animæ ejus fodere* & *laqueos* ipsi nectere dicuntur. 3. Verba intermedia, *quia*

a Vid. comm. noster.

non peribit lex a sacerdote, nec consilium a sapiente, nec verbum a propheta, directe quidem rationem continent, quæ eos movit ad prophetæ interminationes spernendas, eumque tanquam falsum vatem tractandum; sed simul *crimen* insinuant, quod prophetæ intentant, in eo situm, quod sacerdotes, sapientes & prophetas, tanquam legi adversos, stultos & falsos, traduxerit, quodque, remp. esse destruendam, animo, ut calumniabantur, hostili quaquaversum disseminaverit. Significant itaque, nec nunc *periisse* legem a sacerdote &c: acsi sacerdos esset apostata, sapiens stultus, & propheta, qui populo placebat, vates falsus, sicut Jeremias sæpe declaravit, nec etiam *perituram*, rep. destructa, & populo dissipato, quod Jeremias denunciavit. Hoc præjudicio imbuti, & hac spe sese lactantes, ferre non poterant Jeremiam; nec se ab ipso flagellando lingua, ac persequendo, abstinere. Phrasis, *non peribit*, duo comprehendit, *alterum*, sacerdotem a lege recte inculcanda non deviaturum, sapienti non defuturum consilium sanum ad reip. utilitatem & conservationem, prophetas suos veros esse vates non cessaturos; adeoque iis omnibus tuto esse fidendum, nec audiendum Jeremiam, qui eos traduxit: *alterum* est, legis institutionem a sacerdotibus nunquam esse auferendam, nec sapientes infatuandos aut consilii inopes futuros, nec prophetis defuturum verbum revelationis divinæ; adeoque remp. & Ecclesiam non abolendam, sicut Jeremias prophetabat. Ceterum per *sacerdotem*, *sapientem*, & *prophetam* intelligi eos, qui his hominibus adprobabantur, & pro talibus publice erant recepti, facile intelligitur; ut &, *legem* esse veram doctrinam in genere, *consilium* quoque rectum & sanum, & *verbum* divinam revelationem, in oculis horum Jeremiæ hostium. Sed per דבר *verbum* insuper, & in specie, *consolatorium* & bonum intelligitur, verorum prophetarum, ex eorum opinione, criterium. De quo supra [a] dixi. Ad quod mox etiam respicit propheta vers. 20. *Propheta* utique non est

[a] ad c. V: 13. ad Jes. XXVIII: 7.

est simpliciter rerum divinarum interpres publicus, & honoratus populo, quod summo etiam viro Cl. Vitringæ * videtur, qui Jeremiæ in primis illud usitatum esse adserit, & cum *scribis* confundit; sed divinitus inspiratus, ut prætendebat, & habebatur a populo, uti ex c. XXIII: Ez. XIV. & aliis locis patet, nec usquam alio sensu sumi autumaverim. Quod semel monuisse suffecerit.

§. CCCLXVI. *β*. Effectus concionis, a Judæis tam obstinate & improbe repudiatæ, in Jeremia fuit judicii Dei in ipsos adprobatio, opposite ad intercessiones ejus, pro hoc populo sæpe factas, quam per modum *precationis* in eorum perniciem profert, nullo alio scopo, quam ut, eorum excidium esse justum nec amplius differendum, declaret. De quo conspectu precum prophetarum, quæ nihil vitii habent, sæpe diximus. Erumpit vero propheta in has preces, posteaquam experimento didicisset, inemendabilem esse populi corruptionem; sicut nunc patebat, cum ipsum obstinate repudiarent, & ad necem quærerent. Occurrit in hac pericopa, *a. judicii* imploratio, vers. 19. *Adtende Jehova ad me* (scilicet, Te, tanquam judicem, inclamantem) *& audi vocem litigantium mecum*, (h. e. tribunal erige judiciale, & voces eorum, qui mihi hanc litem animis exulceratis intendunt, dijudica. *Audire* enim hic est judicis in judicio, & in קול *voce* respicitur ad peccatum *clamans*, ut adpellatur, denique *litigantes* sunt, vi vocis יריב, qui mala suspicione ducti, & animo maligno id faciunt. *b. Rationis* redditio, quare judicium Dei imploret, vers. 20. *An retribuetur pro bono malum?* (licite & impune; absque ut vindicetur, idque pro tanto bono tantum malum; uti hic fit. Emphasin enim auget ה emphaticum in vocibus טובה & רעה: tale enim est, & non foemin.) *quia foderunt foveam animæ* meæ (per ellipsin, sicut illi *faciunt*, *nam*, vel *quia*, *foderunt*. Vocula כי *quia* retinet usum suum ordinarium, sed rationem dat rei, quæ reticetur, & mente supplenda est, ut dixi) *recor-*

* ad Jes. XXVIII: 7.

dare stationis meæ coram Te ad loquendum super iis bonum, ad avertendam excandescentiam tuam ab ipsis &c: (h. e. tantum abest, ut, quod illi calumniose mihi impingunt, male ipsis voluerim, ut contra pro ipsis apud Te intercesserim ad bonum, & ipsis impetrandum, & iis adnunciandum, quod utrumque hic admittendum est, vid. c. xv: 16. & iram tuam avertendam: *tu nosti*, Domine. Addidit præterea & eo scopo hæc verba, ut preces hasce contra eos non ex sinistro adfectu, aut vindictæ cupiditate, fluere indicaret: *stare* vero hic ad *preces* & intercessiones spectat, dicitque, prophetam in iis fuisse ferventem & adsiduum.)

§. CCCLXVII. *c*. Malorum iis infligendorum recensio, vers. 21, 22. In qua pericopa nihil residet difficultatis; quare paucis absolvam, verba percurrendo. *Propterea trade filios eorum fami* (pereant soboles eorum fame grassante. Verbum נתן *dare*, hic, ut alibi *a*, exserit usum hostilem, quo in manus hostium *tradere* denotat) *& bullire eos fac super manibus gladii* (non filios, quorum modo meminerat, sed *ipsos* patres, ipsos eos persecutores meos, de quibus proprie loquitur, gladii furentis potestati trade, ut horrenda strage pereant, cadaveribus eorum sanguinem singultantibus, & vulneribus æstuantibus ac bullientibus, rivos sanguinis emittentibus: quæ vis est verbi נגר; ut observavit Schultens *b*. *Manus* autem gladii esse ejus vim, & aciem, tralatitium est) *& sint uxores eorum orbatæ & viduæ* (orbatæ filiis, & maritis, quorum modo meminerat, non itaque שכלות *orbatæ* ad viros, sed filios referri debet: ut sit, *orbatæ* sint *filiis*, quæ etiam vera est ac usitata verbi שכל potestas. Exprimit enim vel *sobolis* vel *foetus* privationem, & pro *abortire* quoque sumitur) *& viri eorum sint occisi mortis* (cives, clientes, socii eorum, peste pereant, ut recte Schmidius; confirmat usus vocis אנוש pro *socio* & *familiari* apud Arab. *c*, quem etiam præfert Ez. xxiv: 17. *non comedes panem* אנשים *familiarium*, seu,

a Vid. ad Ps. xliv: 12. *b* Defect. §. 68. *c* Id ad Har. cons. ii. p. 105.

seu, cibum ab amicis non sines ad te adduci, ut alias in gravi luctu fieri adsolet, Jer. XVI: 7. Hic enim videtur loci sensus esse) *juvenes eorum percussi gladii in bello*, vel prælio (juvenes bellatores seu milites, nomine בחורים sæpe venire soliti, uti infra c. XLVIII: 15. & alibi a.) *Audiatur clamor e domibus eorum, quum globum hostilem in eos subito adduxeris* (h. e. ex improviso, ipsis nihil tale opinantibus, in domos eorum fac ut irruat globus militum; nec aliud ipsis sit, quam in crepitu sonoro remedium. Descriptio est poetica subitaneæ & improvisæ invasionis & cladis. De voce גדוד, ejusque usu de globo virorum a reliqua multitudine *resecto*, & acie *secante* prædito, alibi b egi) *quia foderunt foveam ad me capiendum, & laqueos pedibus meis abdiderunt* (h. e. eveniat ipsis, quod mihi facere cogitarunt, ut *subito* & tanquam per insidias capiantur. De *fovea* & *laqueis* conjunctis alibi c exposui

§. CCCLXVIII. d. Denique, conclusionis per modum repetitur & crimen eorum, & judicii petitio, vers. 23. *Et tu, Jehova, qui nosti omne eorum consilium contra me ad mortem, ne expies ipsorum iniquitatem, & peccatum eorum a coram te ne abstergeas, & sint adpacti coram te, die iræ tuæ age in eos.* Notetur tantum, 1. emphasis ו in voce ואתה *& tu*, qua dicit, *itaque*, & vim concludendi habet, 2. ellipsis אתה ante ידעת, ut sit, *itaque Tu, Jehova, qui nosti omne illorum malum*; quando cuncta rectius fluunt; construi enim debet *itaque Tu* cum verbo *ne expies*, quod copula propterea caret. 3. emphasi pollet, *nosti*; involvit enim judicis cognitionem, ipsi ab oppresso factam, dum litem suam ipsi manifestavit: ante dixerat, *audi vocem litigantium*; tradiderat itaque Deo causam, cujus respectu dicit nunc, *nosti*; sicut cap. XX: 12. 4. Phrasis, *ne illinas super iniquitate ipsorum*, quæ propria est verbi כפר potestas, in *illinendo*, & ita *tegendo* sita, unde ad expiationem, dato,

 vel

a Vid Masson ad Ps. cx. in hist Crit. reip. litt. t. IX.
b ad Gen. XLIX. §. 157. c ad Ps. XXXV: 7.

vel sumto, *pretio*, quo peccatum obducitur, transit. Sensus est, ne peccatum eorum, puram putam iniquitatem, sumto aliquo expiationis pretio, remittas; ne oblinire sinas; additur, explicationis & illustrationis ergo, *ne peccatum eorum a coram te abstergeas*, h. e. ne deleas & auferas e conspectu tuo, tanquam judicis, non amplius ad animum referentis. Radix מחה proprie est *tergere*, *extergere*, unde inter alia *abolere*, *delere*. 5. Additur, *sint adpacti coram te*, h. e. hæreant & maneant peccato & reatui, in quem impegerunt, adfixi coram Te, judice & vindice peccatorum; ne dimittas, sed teneas eos in reatu, donec opportuno tempore punias; quemadmodum mox sequitur. Radix כשל proprie est, *adpactus* hæsit, vel adhæsit cum adpactione, unde מכשול *offendiculum*, ad quod ita impingitur ut simul in eo hæreatur; met. ab *aucupio*, unde latius ad omne illud transiit, quod *ruinam* trahit. 6. Sequitur itaque recte, *in tempore iræ age in eos*. h. e. in eos, quos adpactos tenes, sententiam judicialem profer & exsequere, tempore opportuno iræ tuæ, seu *justitiæ*, & justæ tuæ vindictæ. Tempus intelligitur *opportunum*, & judicio severiori destinatum. Solet enim nonnunquam de *insignioribus* judiciis sumi, Jes. XIII: 22. Ez. XXII: 3. Job. XXIV: 1. & alibi; quare additur, *tempore iræ tuæ*, scilicet, quo iram effundere soles & vis. Verbum vero עשה aliquando sensu judiciali sumitur pro *agere*, & malum infligere. Job. XXIII: 9. Ps. CXIX: 127. Mal. III: 17. [a] Quo constructio, *agere in ipsos*, etiam ducit.

CAP. XIX.

1. *Sic dixit Jehova, ito & acquire* (cum acquisivisti) *amphoram figuli testæ*, tu *& ex senioribus populi, exque senioribus sacerdotum*,

2. &

[a] Ubi vid. comm. noster.

2. & ad vallem filii Hinnom egredere, quæ ad ostium est portæ Charsit, ibique verba, quæ tibi dicam, proclama.
3. Et dices: audite verbum Jehovæ reges Judæ & incolæ Hierosolymæ: sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis; ecce! malum quassans adduco in hunc locum, quod qui audiverit, ejus aures tinnient.
4. Propterea quod me deseruerunt, & peregrinum fecerunt locum hunc, & in eo diis peregrinis adoleverunt, quos nec ipsi, nec patres eorum, nec reges Judæ cognoverant, & locum hunc repleverunt sanguine innocentium.
5. Et Baali exstruxerunt excelsa ad filios suos in holocausta Baali comburendos igne, quod non præcepi, nec locutus sum, nequidem in animum meum adscendit.
6. Propterea ecce! dies instant, inspiratum Jehovæ, quum hic locus non amplius vocabitur Tophet, & vallis filii Hinnon, sed vallis occisionis.
7. Et effundam consilium Judæ & Hierosolymæ in hoc loco, & cadere ipsos faciam gladio, coram hostibus ipsorum, & in manum quærentium animam ipsorum, & cadavera ipsorum in pastum dabo volucribus coeli, & bestiis terræ.
8. Et hanc urbem in stuporem ponam & sibilationem; quicunque eam pertransibit adtonitus stupescet & sibilabit super omnibus plagis ejus.
9. Et devorare eos faciam carnem filiorum suorum, & filiarum suarum, & quisque carnem proximi sui comedent, in obsidione & angustia arctante, qua

eus arcte compriment hostes ipsorum, & quærentes animam ipsorum.

10. *Et lagenam coram viris, qui tecum iverunt, confringes,*

11. *dicesque ipsis: sic dixit Jehova exercituum; sic populum hunc frangam & urbem hanc, quemadmodum,* inquam, *quis confringet vas figuli, quod resarciri nequit, & in Tophet sepelientur, usque non sit locus sepeliendi.*

12. *Sic huic loco faciam, inspiratum Jehovæ; & incolis ejus, ut ponam hanc urbem sicut Tophet.*

13. *Etenim fuerunt domus Hierosolymæ, & domus regum Judæ, quemadmodum locus Tophet, immundæ, omnes illæ domus, super quarum tectis adoleverunt omni exercitui coelorum, & diis peregrinis libaverunt.*

14. *Et venit Jeremias de Tophet, quo eum miserat Jehova ad prophetandum, & in atrio domus Jehovæ constitit, dixitque toti populo.*

15. *Sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis, ecce me supervenire huic urbi, cunctisque urbibus ejus, faciam omne illud malum, quod contra eam pronunciavi; quia duram reddiderunt cervicem suam, ne audiant verba mea.*

§. CCCLXIX.

Secunda pars concionis, c. XIX: 1–13. comprehensa, in valle filiorum Hinnon pronunciata, totale excidium, non reparandum, exhibet, emblemate lagenæ primum *effusæ*, dein *fractæ*, confirmatum. Scindit itaque sese hæc concio in duas partes, quarum, *altera* occasione amphoræ evacuatæ, *altera* ejusdem *fractæ* habita est: prior

prior verſ. 3--9. *poſterior* verſ. 10--13. Præmittitur generale mandatum, quo jubetur propheta amphoram figuli teſtaceam, aqua, ut probabile eſt, plenam, ſibi comparare, &, ſecum ſumtis nonnullis ſeniorum populi & ſacerdotum, egredi ad vallem filiorum Hinnon, ad oſtium portæ Charſith; & verba Dei ipſi revelanda pronunciare; verſ. 1., *Sic dixit Jehova, ito, & acquire*, (vel *cum acquiſiviſti*) *amphoram figuli teſtæ, tu & ex ſenioribus populi & ex ſenioribus ſacerdotum: & ad vallem filii Hinnom egredere, quæ eſt ad oſtium portæ Charſit; ibique verba, quæ tibi dicam, proclama.* Jubetur α. ſibi comparare amphoram figuli teſtaceam, his verbis, *ito & acquire amphoram figuli teſtæ*, h. e. age, compara tibi lagenam teſtaceam figuli teſtæ, aquæ plenam. Vox בקבק proprie eſt quaſi dicas *bombylium* Gr. βομβύλιον poculi genus a, fictum a ſono, quem liquor edit, dum funditur: quod Gr. eſt, βομβύλλειν; nec aliunde vox ejusdem uſus βαυκάλιον repetenda videtur, ut tradit Alex. Aphrod. b. Radix בקק proprie dicit, *bombos edidit* lagena effuſa, unde בקבק lagena bombans, quæ bombat liquore effluente; dicit etiam bombum aquæ e lagena effuſæ c. Ducit itaque ipſa vox ad amphoram aquæ plenam, qualem hic intelligendam eſſe, ex verſ. 2. haud obſcure colligitur, ut ibi videbimus. Additur *amphora figuli*, vel *fictoris teſtæ*, qui c. XVIII: abſolute יוצר fuerat adpellatus; hic additur חרש *teſta*, ut de amphora *teſtacea* cogitaremus, non ex metallo aut vitro facta; ſive cum יוצר, ſive cum בקבק ſimul, conſtruatur. β Dein jubetur ſecum ſumere nonnullos *ſeniorum populi & ſacerdotum*; quod verbis ſeq. indicatur, *& ex ſenioribus* &c: ſcilicet, *tecum ire fac*; quod per ellipſin eſt intelligendum ex præced. הלך, forte rectius ſuppletur *tu*, ut in verſione inſtitui: LXX addiderunt, καὶ ἄξεις. Hunc enim eſſe ſenſum, & non, quem Vulg., omiſſo *& duces*, expreſſit, acſi a *ſenioribus* emere debuerit amphoram, facile liquet, & a

a Vid. Caſ. ad Athen. l. VI: c. 18. b Probl. 94. l. 1.
c Vid. Schultens clav. p. 293.

Schmidio ulterius est demonstratum. Sed Hieron. videtur cum verbo *sumere* construxisse, ut sensus sit, sicut vertit: *sume laguneulam, & de senioribus* &c. scilicet sume tecum aliquos. Quod ferri posset, si permitteret verbi קנה usus; cujus nullum prostat exemplum. Rectius ergo repetitur הלך, vel suppletur *tu*, y. Denique injungitur ipsi, ut tenderet ad *vallem filii Hinnon* &c: famosam illam per inmanem idololatriam ad ortum Hierosl., nemini non notam. Additur, illam esse ad portam חרסות; cujus nominis seu epitheti vix ratio reddi potest. Alii de solari, seu orientali ad solem conversa, חרס enim *solem* quoque denotat, alii de *exustionis*, operis scilicet figulini, porta intelligunt, sic dicta quod in ejus *vicinia* esset *officina figulina*: quod sese magis commendaret, si ad חרש *testam* censeatur respici; utique חרש & חרס ejusdem sunt originis & potestatis, in *scalpendo*, *stringendo*, sita, unde ad *scabiem*, quæ scalpturam parit, & *solem*, qui quasi *scalpit* suo æstu, denique *testam*, qua scabitur *a*, transfertur. Forte nomen hoc expresse addidit propheta, *cum* ob crimen adustionis infantium Molecho, tum ob *judicium* exustionis, populo propterea infligendum; cujus utriusque mox fit mentio.

§. CCCLXX. Sequitur nunc *duplex* concionis pars; sicut memoravi. *Prior*, vers. 3--9., alludit, *cum* ad vallem illam, *tum* ad lagenam evacuatam: adeoque in duo membra scinditur. *Prius* vers. 3--6 *a.* judicium terribile populo infligendum repræsentat, vers. 3. *audite verbum Jehova reges Juda & incola Hierosolyma, sic dicit Jehova exercituum, Deus Israelis; ecce adduco malum quassans in hunc locum, quod qui audierit, ejus aures tinnient.* In quibus nihil occurrit difficile. Descriptio est horrendæ calamitatis, quæ audita terribiliter afficit, & aures tinnire facit, ut in sono vehementiore fieri solet. Vid. 1 Sam. 11: 11. Ceterum eo aptius *soni tinnientis* fit mentio, quod in רעע fit *quassationis* & fractionis vehementioris, quæ *sonum* edit, potestas. *b.* causam

a Schultens ad Job. II: 8.

ſam judicii, in horrendo idololatriæ crimine in hac valle, ſitam, verſ. 4, 5. *Propterea quod me deſeruerunt, & peregrinum fecerunt locum hunc, & in eo diis peregrinis adoleverunt, quos nec ipſi, nec patres eorum, nec reges Juda cognoverunt, & locum hunc repleverunt ſanguine innocentium. Et Baali exſtruxerunt excelſa ad filios ſuos in holocauſta Baali comburendos igne, quod non præcepi, nec locutus ſum, nequidem in animum meum adſcendit.* Quæ nemini moram injiciunt; quare nihil obſervo, præter emphaſin verbi נכר in phraſi, & ינכרו *peregrinum* fecerunt, ſeu tractarunt *hunc locum*; dicit duriſſimum, odioſiſſimum, & abominabile quid, quod ipſa natura tanquam *peregrinum* plane adſpernatur. Sic *peregrinitas* eſt Job. XXXI: 3. dura & odioſiſſima calamitas, & *dies* נכר verſ. 14. *adverſitatis peregrinæ* eadem emphaſi. *c.* Judicii confirmationem per nominis iſtius vallis mutationem, in ſignum horribilis cædis Judæorum, eo in loco faciendæ, verſ. 6. *Propterea, ecce dies inſtant; inſpiratum Jehovæ, quum hic locus non vocabitur amplius Tophet, & vallis filii Hinnom, ſed vallis occiſionis.* De quo jam ſupra diximus ad c. VII: 33.

§. CCCLXXI. *Poſterius* membrum, verſ. 7-9., reſpicit ad amphoram effuſam; cujus emblematis ſignificatio & ſcopus traditur. *Et effundam conſilium Judæ & Hieroſolymæ in hoc loco, & cadere ipſos faciam gladio coram hoſtibus ipſorum, & in manum quærentium animam ipſorum, & cadaver ipſorum in paſtum dabo volucribus coeli, & beſtiis terræ. Et ponam hanc urbem in ſtuporem & ſibilationem: quicumque eam pertranſibit adtonitus ſtupeſcet, & ſibilabit ſuper omnibus plagis ejus. Et devorare eos faciam carnem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, & quisque carnem proximi ſui comedent, in obſidione, & anguſtia arctante, qua eos arcte comprimient hoſtes ipſorum, & quærentes animam ipſorum.* h. e. ipſo facto demonſtrabo vanitatem omnium cogitationum & deliberationum de ſtabilitate reip. & Eccleſiæ, eas proſtituendo, & irritas reddendo; ſicut lagena effuſa aqua eſt

va-

vacua. Respicitur in verbo ppב manifeste ad lagenam, aqua effusa bombantem; ut ex superioribus constat: adeoque pro hypothesi habet hæc oratio minax & denunciatoria, *lagenam* fuisse a propheta effusam; licet ejus expressa non fiat mentio. Judæi autem hic occurrunt instar lagenæ, aqua plenæ, tanquam qui *consiliis* ad remp. tuendam satis instructi sibi videbantur, sed quos Deus prostitueret, & omni consilio salutari vacuos demonstraret, cum eos hostibus & fami traderet delendos; sicut pluribus exponitur: in quibus nihil est difficilis. Tantum notetur, vers. 9. aliquid de hyperbole habere, & in genere horrenda effecta partim *famis*, partim *desperationis* in mutua quoque collisione & cæde, ita, fortissime depingere, adeo ut in se invicem sint sævituri: quod quoque figurate *carnem* mutuam comedere dicitur. Uti Jes. IX: 18, 19. de Ephraimitis. Ubi vid. Cl. Vitringa. Conf. quoque Jer. XIII: 14. quod ad mutuas collisiones, nec non Jes. III. 5. ut & specimen earum tempore Tsedekiæ Jer. XXXVIII. Quod vero ad *famem* adtinet, quæ, teste historia, 2 Reg. XXV: 3. & nostro proheta c. XXXVIII., ultimo eo tempore grassata est, homines a se invicem non abstinuisse manus, facile præsumitur cum ἀλληλοφαγίας eo in casu prostent exempla plurima a. Vid. quoque Ez. V: 10. & Thren. IV: 10.

§. CCCLXXII. Altera pars concionis, occasione fractæ lagenæ, totale excidium populi, non instaurandum, comprehendit, vers. 10--13. In qua pericopa duplex quoque, ut supra, occurrit similitudo, minus recte observata, altera *lagena fracta*, altera loci *Topheth*; prior, vers. 10, 11. *posterior*, vers. 12, 13. In *priore* Propheta jubetur *lagenam* coram senioribus populi, & sacerdotum, quos secum duxerat, vers 1., *frangere*, & pronunciare judicium excidii totalis, vers. 10, 11. *& confringes lagenam coram viris, qui tecum iverunt, dicesque ipsis; sic dixit Jehova exercituum: sic frangam populum hunc & urbem hanc, quemadmodum*, inquam,

a Vid. Herodot. l. III: p. 207. & ibi Cl. Wesseling.

quam, *confringit quis vas figuli, quod resarciri nequit, & in Tophet sepelientur, usque non sit locus sepeliendi.* Ubi nihil est difficile: tantum notetur, urbis & populi excidium comparari cum lagena fracta, quæ reparari nequit, non acsi in perpetuum duraret, sed quod *partim* hæc præsens generatio non restitueretur, *partim* urbs plenarie exscinderetur; non sicut antea, quando, clade adfecta, restituta identidem est; jaceret itaque desolata, populo in exsilium abducto, & dein nova plane exædificaretur. *Posteriore* in simili Deus *a.* declarat, Hierosolymam esse reddendam sicut *Topheth.* Hic enim sensus est verborum, vers. 12. *Sic faciam huic loco, dictum Jehovæ, & incolis ejus, ut ponam urbem hanc sicut Topheth.* Posterius membrum, *& ad dandam urbem hanc ut Topheth*, est prioris explicativum; declarat enim Deus, quid illud sit, *quod faceret huic loco*; scilicet hoc, quod in eundem statum redigeretur, in quem Topheth. Littera itaque ו in ולתת redundat cum emphasi explicandi, ut sit, *scilicet:* ita 2 Reg. VIII: 9. in וכל & alibi, uti, ex. gr., infra XXXII: 24. XLII. 14. in ולכל Ez. I: 5. in ומתוכה *a.* Similitudo vero quærenda est cum in perpetuo igni, & infantum oblatione eo in loco, tum in eo, quod locus sepulchrorum foret, & vallis *occisionis* adpellaretur, ut habuimus, vers. 9. Sensus ergo est, urbem esse incendendam, & populum mactandum, ac ibi projiciendum. *b.* ratio redditur hujus judicii, in horrenda idololatria, in urbe exerceri solita, sita, vers. 13. *Etenim fuerunt & sunt domus Hierosolymæ, & domus regum Judæ, quemadmodum locus Tophet, immundæ, omnes illæ domus, super quarum tectis adoleverunt omni exercitui coelorum, & diis peregrinis libaverunt.* Verba non *judicium* destructionis, uti Interpretes autumant, sed ejus *causam*, ut recte Hieronymus, comprehendunt, & idololatriam in urbe super tectis domuum describunt, per quam tota urbs facta erat tanquam Topheth, æque *immunda*, adeoque digna, quæ destructa

Sss huic

a Vid. ad Mal. III: 14.

huic valli quoque adsimilaretur: quo manifeste ducit, quod *immunda* dicantur domus, sicut Topheth; & idololatriæ descriptio sequatur: ו itaque in יהיו, verti debet *etenim*, & יהיו non *erunt*, sed *fuerunt* & *sunt*. Nihil hic obscuri: tantum notetur, verba, *& domus regum Juda sicut locus Tiphet*, tempore Hieronymi non fuisse in exemplaribus Hebræis; si verum sit, quod ipse notavit: sed nulla ratio est, has voces eliminandi, quin huc recte quadrant, ut exposui.

§. CCCLXXIII. Sequitur *tertia* pars concionis in atrio Templi habita, quo Jeremias mox ex valle Topheth rediit, & verba locutus est, quæ habentur, vers. 14, 15. quibus cum toto populo communicavit modo dicta in valle Topheth ad comites prophetæ, ut populus universus de excidio impendente certior quoque fieret. Verba ita habent. *Et venit Jeremias de Tophet, quo eum miserat Jehova ad prophetandum, & constitit in atrio domus Jehovæ, totique populo dixit: sic dixit Jehova exercituum Deus Israelis; ecce me! supervenire huic urbi, cunctisque urbibus ejus, faciam omne illud malum, quod contra eam pronunciavi, quia duram reddiderunt cervicem suam, ne audiant verba mea.* Quæ cum facilia sint intellectu; tantum notetur, licet & illud jam occupatum sit, 1. urbes Judæ & Benjaminis adpellari *urbes* Hierosolymæ, quod earum sit primaria & regni metropolis, addo, æque etiam, & ad ejus exemplum corruptas, 2. omne malum, quod contra eam, vel de ea, *locutus sum*, respicere ad modo dicta in valle Topheth, ut recte Schmidius. 3. paranomasiam esse in vocibus עיר & ערף, figuram sæpe captatam. 4. *Duram reddere cervicem, ne audiant verba Dei*, est, se obdurare contra ea, & præ obstinatione nolle obedire. 5. Denique adverti velim in מבי deficere א in fin., ut marginalis nota quoque habet, ex concurrentia ejusdem litteræ sequentis in אל, quia ex hoc fonte variis in locis orti sunt defectus.

CAP.

Cap. XX.

1. *Et audivit Paschur, Immeris filius, sacerdotis primarii, & ipse præfectus dux in domo Jehovæ, Jeremiam hæc verba prænunciantem.*
2. *Et percussit Paschur Jeremiam prophetam, & ipsum in carcerem torquentem tradidit, qui erat in porta Benjaminis superiore illa, in domo Jehovæ.*
3. *Et factum est postridie, quum Paschur Jeremiam e carcere torquente eduxit, ut ipsi dixerit Jeremias, non Paschur vocavit Jehova nomen tuum, sed magormissabib, terror circumquaque.*
4. *Sic dixit Jehova, ecce me tradentem te terrori; tibi & omnibus amicis tuis, & gladio hostium ipsorum cadent, & oculi tui videbunt, & totum Judam in manus regis Babelis tradam, & abducet eos Babelem, & gladio eos percutiet.*
5. *Et omnes opes hujus urbis dabo, & omnem laborem ejus, omnemque pretiositatem ejus, & omnes thesauros regum Judæ, tradam in manum inimicorum ejus, & diripient, & accipient, & auferent ea Babelem.*
6. *Et tu, Paschur, & omnes incolæ domus tuæ ibitis in captivitatem, & Babelem venies, & ibi morieris ac sepelieris, tu & omnes amici tui, quibus mendaciter es vaticinatus.*
7. *Laxiorem me fecisti, Jehova, & laxatus sum, fortior me fuisti, & prævaluisti; ludibrio fui toto tempore,* seu *quotidie, omnes subsannant me.*
8. *Quia, ex quo loqui solebam, violentiam clamabam,*

& vastitatem pronunciabam: quia verbum Jehovæ fuit mihi opprobrio & ludificationi probrosæ omni die.

9. *Et, cum dixi, non recordabor ejus, nec in nomine ejus amplius loquar, &,* seu *tunc, factum est in corde meo sicut ignis ardens, strictum in ossibus meis, & defatigatus sum continere, nec potui.*

10. *Quum* vel *quamvis, audivi maledicam, & venenatam multorum vocem, pavor undiquaque! strenue agite & nos agamus in eum, quivis mecum pacem colens observantes claudicationem meam; forte laxabitur, &,* vel *aut, prævalebimus ei, & vindictam nostram de eo sumemus.*

11. *Et,* sive *tunc,* vel *attamen, Jehova mecum instar herois terrifici: propterea impingentur insectatores mei, nec prævalebunt; pudefacti sunt valde, quod non prosperarunt; ignominia æterna, quæ oblivioni non tradetur.*

12. *Et,* vel *itaque, Jehova exercituum, explorans justum, videns renes & cor, videam, & videbo, ultionem meam de ipsis, quia litem meam tibi aperui.*

13. *Canite Jehovæ, cantate Jehovam, quia animam inopis eripit manui malignorum.*

14. *Maledictus dies! quo natus sum, quo me peperit mater mea, ne sit,* vel *nihil minus quam, benedictus.*

15. *Maledictus vir iste! qui patri meo lætum adtulit nuncium, dicendo, natus tibi est filius masculus, & lætitia ipsum adfecit.*

16. *Sit vir iste instar urbium, quas subvertit Jehova, nec pœnituit eum, &,* vel *aut, sicut qui* ma-

mane audit clamorem, & jubilum tempore meridiano.

17. *Quare me non ab utero interemit? aut mater mea mihi non fuit sepulchrum, & uterus ejus gravidus in perpetuum?*

18. *Quare hic ego ex utero emicavi, ad videndum molestiam defatigantem, & moerorem cruciantem? ut in pudore confundente absumantur dies mei.*

§. CCCLXXIV.

4. In *quarta* concionis parte, sese א. offert ejus occasio, vers. 1--3. ב. ipsa concio, vers. 4--6. ג. effectus ejus in propheta, vers. 7--18. א. Occasionem præbuit violentia Paschuris, summi præfecti Templi, in Jeremiam, qua ipsum percussit, & in carcerem conjecit; sed mox dimittere coactus fuit, indeque orta nominis persecutoris mutatio divinitus a Propheta facta, qua loco Paschuris adpellatus est *magor-missabib*, vers. 1--3. *Et audivit Paschur, Immeris filius, sacerdotis primarii, & ipse præfectus dux in domo Jehovæ, Jeremiam hæc verba prænunciantem, & percussit Paschur Jeremiam prophetam, & tradidit ipsum in carcerem torquentem, qui erat in porta Benjaminis superiore illa in domo Jehova.. Et factum est postridie, quum Paschur Jeremiam ex carcere torquente eduxit, ut ipsi dixerit Jeremias, non Paschur vocavit Jehova nomen tuum, sed magor-missabib*, timor circumquaque. De hoc viro nihil aliud constat, ac quod hic habetur; unde liquet, eum fuisse sacerdotis filium, nec vulgaris, sed principis seu præfecti ordinis sacerdotalis *decimi sexti*, ut probabile fit ex 1 Chron. XXIV: 19. quare הכהן *sacerdos ille* seu primarius adpellatur, prætrea dignitate ac munere summum Templi præfectum, simul vatem falsum, & magnæ auctoritatis virum. De *dignitate* ejus testatur, quod פקיד נגיד *præfectus dux in domo Jehova* dicatur,

h. e. præcipuus & princeps dux Templi, qui στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ adpellatur Act. IV & V. פקד in genere eſt, cui provincia, vel munus aliquod injunctum eſt, *praefectus*; additur נגיד ſeu princeps, dux, proprie *anteceſſor*, ut de præfecto duce vel principe, ſeu primo & ſummo, cogitaremus, cujus ſub imperio reliqui præfecti Templi erant, & cuius erat curare, inter alia, ne Templum violaretur, aut profanaretur: ſed hic ipſe ſe *prophetam* jactabat, ut ex verſ. 6. patet, ubi *mendaciter* dicitur *vaticinatus*. Habebat præterea multos *domeſticos* & *ſocios*, ab ipſius ore pendentes, verſ. 4, 6. Hic, tantæ dignitatis & auctoritatis vir, ferendum non ratus, quod Jeremias in populum, & metropolin ac Templum, tam dura proferret verba, quæ pro blaſphemia forte habuit in Deum & Templum; manus in ipſum injecit, *percutiendo*, ſeu flagellis per miniſtros, ſeu dando & contorquendo in carcere: quod eſt *dedit* eum in מהפכת, non ſimpliciter *cuſtodiam*, ſed torturam ſimul, ſeu contorquentem carcerem, quo *cippo* ſimul adligantur, ſeu gravi ligno, quo, pedibus collo adſtrictis, captivus contorquetur & diſtorquetur: eſt enim à rad. הפך proprie *torſit*, *torquendo vertit*; unde מהפכת pro loco torturæ ejusmodi. Symm. vertit βασανιστήριον ἢ στρεβλωτήριον *tormenti locum*, Hieron. vertit *nervum*, & tormenti illud genus intelligit: ſed forma vocis requirit, ut *locus* intelligatur, quem deſcriptio addita etiam poſtulat. Cl. Simon interpretatur *locum mente captorum*, ex uſu vocis apud Arab.; ſed, quod dedi, probabilius eſt, nec videtur talis locus pro ſtultis in Templo fuiſſe. Detentus hic eſt Jeremias per unam tantum noctem; quando ab ipſo Paſchure eſt in libertatem productus; ſive quod non potuerit, ſive non auſus fuerit, diutius detinere, ſive alia de cauſa; ſed non ſine ſingulari Dei directione; uti ex verſ. 11 & 13 videtur colligi poſſe; de quo poſtea. Propheta liberatus, ſed nihil fractus & mutatus, judicium Dei huic perſecutori libere denunciat, dicens, nomen ejus, juſſu Dei, fore non Paſchur, ſed *magor-miſ-*

[illegible]

[illegible] form. nom. p. 452.

fabib. h. e. non proprii, sed hujus novi nominis vim in ipso futuram, quippe eum fore reapse *terrorem undiquaque*, seu circum: id enim denotat, מגור מסביב; uti notum est. Sed observandum est, dictionem illam esse proverbialem, & desperatum signare statum, de quo dixi ad Ps. XXXI: 14. Videtur vero adlusum ad nomen פשחור, adeo ut contrarium postea experiretur; ab insolente, & superbiente suo splendore, viro mutatus in terrificum & calamitosum; qui circum se non nisi terrorem haberet & videret. Videtur enim פשחור ex פוש *superbire* & *ferocire*, ac חור *candido* a, conflatum, & ex חור factum גור. De quo tamen nihil adfirmaverim.

§. CCCLXXV. 2. Sequitur nunc ipsa concio, quæ in illo nomine novo exponendo versatur, complexa & ipsius ac sociorum partim necem, partim abductionem in exilium, & totius populi destructionem, vers. 4--6. Relegamus verba, & hic illic aliqua luce perfundamus. *Sic dixit Jehova, ecce me dantem*, vel *tradentem*, *Te terrori*, *tibi* & *omnibus amicis tuis* (sc. qui Tibi & sociis eveniet: ellipsis enim est voculæ אשר ante לך, facilis intellectu, & jam notata) *& cadent gladio hostium ipsorum*, *& oculi tui videbunt* (te inspectante & tremente amici tui ab hostibus neci dabuntur; referri enim debent verba ad *socios Paschuris*, ut nexus docet;) *& totum Judam tradam in manus regis Babel*, (sicut socios, ita & universum populum in regis Babelis potestatem tradam) & *abducet eos Babelem & percutiet eos gladio* (partim abducet, partim occidet; vocula enim ו & repetita nonnunquam partitionem signat, uti Jos. XI: 8. *ceciderunt & persecuti sunt*, partim illud, partim hoc, c. XVIII: 15. Jer. XXIV: 9, 10. XLIII: 3. 12. & alibi.) *& dabo omnes opes hujus urbis, & omnem laborem ejus, omnemque pretiositatem ejus, & omnes thesauros regum Judæ tradam in manum inimicorum ipsorum, & diripient, & accipient, & auferent ea Babelem*, quæ facilia sunt. *Et tu Paschur* (qui nomine tuo præ-

a Conf. etiam Simon. onom. p. 446.

præfers insolentiam & superbiam super candore, seu dignitate, nobilitate, & prosperitate,) *& omnes incolæ domus tuæ* (omnes domestici tui cum universa familia) *ibitis in captivitatem & Babelem venies, atque illic morieris & sepelieris* (tu cum tota domo in summa calamitate & ignominia exstirpaberis) *Tu & omnes amici tui, quibus mendaciter es vaticinatus.* (h. e. talis, ut dixi, *eris tu &, amici tui:* oratio est elliptica, & per modum conclusionis repetit præcedentia: ut plena sit, זה אתה *hic*, vel *talis tu*, &c. cujus ellipsios & alia sunt exempla a. Hac sola ratione vitatur difficultas inde nata, quod antea, vers. 4., dictum fuerat, *amicos* ejus esse gladio hostili occidendos: cum tamen hic sine ellipsi diceretur, *amicos* cum ipso in exilium abducendos. Sensus ergo est; *hic, talis tu & amici tui*, scilicet sicut dixi; hæc, quam pronunciavi, est *sors tua & amicorum*, quorum *hi* occidentur, tu in exilium ibis cum domo & ibi morieris, omni sorte in restitutione populi negata. Simili modo Jes. XVII: 14. concluditur, *hæc sors diripientum nos* &c.

§. CCCLXXVI. 1. Effectus & consequens durarum harum concionum in Propheta memoratur *cum* sui defensio contra hostium calumnias, acsi propheta hostili esset in populum animo, & inde fluxissent illæ malorum denunciationes, per modum alicujus expostulationis cum Deo proposita, *tum* animi, fracti per hostium infestationes, resumtio & confirmatio partim ex auxilio Dei, quod expertus erat, partim ex spe confusionis hostium suorum ulterioris. Quæ *duae* pericopæ partes sunt, in quas sponte sua dividitur. *Prima* occurrit, vers. 7-9. *Secunda*, vers. 10--18. a. In *prima* parte se contra Judæorum accusationes & calumnias, acsi malo animo & lubenter ad tam duras prophetias accessisset, defendit, *cum* ex eo, quod alio longe animo & meliore spe ad munus illud se permoveri passus sit, ut bona annunciaret, & populi salutem procuraret, ejusque bonam iniret gratiam, *tum*, quod invitus quasi ad tam tristem nuncium feren-

a Vid. Nold. partic. p. 334.

sendum fuerit a Deo identidem tractus. *Prius* vers. 7, 8. *posterius* vers. 9. proponit, sed prius cum aliquali expostulatione cum Deo, ut eo fortius se defenderet, acsi a Deo fuisset aliqua ratione deceptus præ simplicitate sua, dum meliora de munere suo, ejusque effectu, in principio speraret, quam nunc experiatur. *Prius* ita effert, vers. 7, 8. *laxiorem me fecisti, Jehova, & laxatus sum, fortior me fuisti, & prævaluisti; fui ludibrio toto tempore*, seu *quotidie, omnes subsannant me: quia, ex quo loqui solebam, clamabam violentiam, & vastitatem pronunciabam; quia fuit verbum Jehovæ mihi opprobrio, & ludificationi ignominiosæ, omni die.* Quæ verba, *a.* propositionem continent vers. 7. *b.* ejus deductionem, vers. 8. *a.* Propositio vers. 7. habet, prophetam, præ simplicitate sua, a Deo pellectum fuisse ad hoc munus, eo animo & spe, quod bona nunciaret, & populo gratus foret; sed longe aliter cecidisse, & contrarium se expertum esse: quod per modum expostulationis cum Deo profert, non acsi vere animo exulcerato id faceret, sed ut majore cum emphasi & convictione populo persuaderet, quem habeat erga salutem populi adfectum, & quam lubens bona & felicia voluerit adnunciare, si licuisset, & secundum suum desiderium fas fuisset agere; quantopere denique speraverit, se populo gratum præstiturum officium, ejusque benevolum adfectum sibi conciliare; longe secus ac experiretur, adeo ut fateri debuerit, se fuisse deceptum, seu spe sua excidisse; vel aliter *partim* egisse, ac pro adfectu in populum vellet, *partim*, aliam subiisse a populo sortem, quam debuisset, & optasset. Quæ *duo* mox in propositionis deductione explicatius traduntur.

§. CCCLXXVII. Scopo & vero conspectu verborum in lucem protracto, ea relegamus & explicemus: *laxiorem me fecisti Jehova, & relaxatus sum.* h. e. *me lactavisti blanda spe*, verba sunt Cl. Schultens [a], *qua inductus munus suscepi, quod me ludibrio atque odio publico exponit*: recte-

Ttt mo-

[a] ad Prov. xx; 19.

modo addatur, prophetam velle, se duplici ratione fuisse deceptum, *altera*, quod prospera voluerit nunciare, sed mala fuerit coactus prædicere, *altera*, quod bene de populo voluerit mereri, sed in odium & subsannationem inciderit; quæ duo mox expresse memorantur. Hac duplice ratione dicit se deceptum fuisse, & quidem a Deo; quatenus ipsum ad hoc munus vocavit; non acsi Deus eam spem fecerit prophetæ, qua excidit, sed quatenus ipse sibi hoc ex munere, a Deo ipsi injuncto, promiserit, præ simplicitate scilicet sua, & benevolo in populum adfectu. Quo sensu admisso, nihil hic est difficilis, maxime si addatur, prophetam figura tantum orationis uti, idque in defensionem suam, seu majorem & fortiorem affectus sui in populum testificationem; uti modo observavi. De verbi פתה potestate primaria, in *laxe remisso* sita, & secundario usu vario, pro simplicitate ac imperitia, pro blanda spe & mollioribus verbis illicere, demulcere, & persuadere, abunde disseruit Cl. Schultens a. Pergit, *fortior me fuisti, & prævaluisti*, h. e. vi aliqua superiore me ad hoc munus traxisti, reluctantem etiam & me excusantem permovisti; uti ex cap. 1. constat; quod adjungit, ut, se non sponte & lubentem ad illud cucurrisse, vel temere suscepisse, inculcaret. Qua vero in re votis exciderit, declarat, cum subjungit, *fui ludibrio omni die, omnis subsannat me.* h. e. longe secus, ac vellem & putaram, mihi accidit; adeoque valde deceptus sum, cum, loco laudis & adprobationis, non nisi ludibria & contemtus senserim, & quotidie, & ab omni populo. Exponit itaque ex parte, qua in re fuerit falsus & deceptus, quod mox plenius facit. Verba nihil habent obscuri. Radix לעג originem habet in *vibratione*, qualis est *flagelli*, *linguæ*, *oculi*, & per metonymiam dicit *subsannare*, uti docuit Cl. Schultens b.

§. CCCLXXVIII. *b.* In propositionis deductione, qui verus est vers. 8. conspectus & scopus, *rationes* reddit propheta suæ deceptionis, seu exponit, quibus in rebus ea fue-

a ibid. b ad Job. IX: 23, Prov. XVII: 5.

fuerit sita, *partim* in eo, quod fere nil nisi mala minetur jussu Dei, cum vellet potius bona, *partim* quod conciones, nomine Dei prolatæ, contrarium habuerint, quam vellet, apud populum effectum, quippe non reverenter & cum submissione, sed contumeliose acceptæ. Verba ita sonant *). vers. 8. *Quia ex quo locutus sum, vociferatus sum violentiam, & vastitatem proclamavi, quia fuit verbum Jehovæ mihi opprobrio & ludificationi omni die.* Ubi ante omnia not., duplex illud כי *quia* adhiberi ad duplicem rationem vel rem indicandam, quare & in qua deceptum se profiteatur: quem usum כי repetitum subinde habet, ut c. IX: 18. habuimus, & recurret XXIII: 10. *Prior* vero ratio vel pars deceptionis est, quod a principio muneris vix alia quam mala & infortunia populo denunciaverit, secus ac vellet; ut indicaret, se non ex malevolo animo, uti Judæi objiciebant, sed contra adfectum & exspectationem id fecisse. *Ex quo*, inquit *loquutus sum* (proprie *loquar*, h. e. loqui solebam, fut. enim sæpe consuetudinem dicit. *Loqui* vero hic est *munere publico* fungi, & ad populum concionari. Sed forte rectius vertitur, *præ vacuitate loquerer*, sc. verba solantia, h. e. cum vacuus essem verbis bonis; מדי est enim *præ vacuitate*, & דבר bona loqui,) *vociferatus sum violentiam* (hæ enim voces secum construendæ sunt, & argumentum concionum prophetæ comprehendunt, in eo situm, quod *violentiam* populo ab hostibus inferendam prædicere, vel proclamare, fuerit solitus, sicut seq. confirmant, vel quod *violentiam* in medio populi grassantem tanquam *causam* malorum pleno gutture intonuerit, seu tempestate quadam mentis concussus in fragorem eruperit, & querelam publicam. Quæ vera est radicum vicinarum זעק & צעק potestas. Denotant enim proprie *fragorem*, veluti coeli tonitrua & fulmina mittentis.) *& vastitatem clamavi* (vastitatem reip. & Ecclesiæ infligendam tanquam præco publicus nunciavi; in quo nihil est difficilis.) *Posterior* ratio, vel pars, deceptionis suæ est, quod

*) Vid. ad c. XXXI: 25.

ipsum verbum Jehovæ cesserit ipsi in ludibrium & contemptum; quæ etiam nihil obscuri habent. Verbum חרף proprie est, ut sæpe observavimus, *carpsit*, *carpendo strinxit*, inde *obtrectavit*, *meritis detraxit*: alterum vero קלס est a sono fictum, & proprie *vomere*, *convomere*, unde ad acerbissimum illud ludibrii genus transiit, quod exprimitur vocabulo ignominioso *conspuendi*, & *convomendi alium*. Indicat itaque, se propter munus suum fideliter præstitum fuisse conviciis laceratum, & despectum.

§. CCCLXXIX. *Alterum*, quod in sui defensionem profert, est, se haud una vice voluisse muneri, tam tristi, renunciare, sed non potuisse præ vi superiore, ipsum urgente, argumento, se nihil minus quam male velle populo. Verba ita habent, vers. 9. *Et cum dixi, non recordabor ejus, nec loquar amplius in nomine ejus, & tunc factum est in corde meo sicut ignis ardens, strictum in ossibus meis, & defatigatus sum continere, nec potui.* h. e. tantum abest, ut volupe mihi fuisset mala prophetare, verbumque Jehovæ experiri mihi probrosum, ut ab eo lubens abstinuissem; sed, cum tale quid animo meo statuissem, ut verbum illud animo excuterem, ne ejus recordarer, utique non publice nomine Dei proferrem, tunc semper tanto adfectus sum studio, tantamque vim verbi Dei in medio mei sensi, ut ferre non potuerim, sed volens quasi & nolens ad illud promendum fuerim compulsus. Ad intellectum verborum notetur, 1. particulam ו repetitam in ואמרתי & והיה eundem habere usum, quem apud Lat. *cum* & *tunc*, adeoque verti debere, *cum dixi non recordabor ejus, ne loquar amplius in nomine ejus, tunc factum est*: h. e. quoties tale quid animum subiit, *toties* hoc mihi accidit. Qui usus & alibi obtinet. Vid. ad Jer. 11: 7. 2. Prius membrum, *cum dixi, non recordabor ejus, nec loquar amplius in nomine ejus*, animi cogitationes comprehendit, ex adfectu in populum, & tædio muneris, tam molesti & odiosi, ortas, ut *loqui* sit ad *animum*, & tacite mussitare, aut secreto loqui: quæ cogitationes eo tendebant, ut vel animo vo-

...deletum verbum Dei, vel saltem eo pressum, ne eloquatur. *Recordari* enim & *eloqui* in eo differunt, quod prius ad memoriam, posterius ad adnunciationem pertineat, adeoque sensus sit, si non possim memoriam liberare, saltem ab eloquendo abstinere voluerim; *recordari* vero *ejus*, non est *Dei*, sed verbi, in mentem immissi; cujus modo facta erat mentio, quod hic repetendum est. Ceterum non declarat, quid vere proposuerit, sed quid vellet secundum adfectum in populum; nec tam Deo esse inobsequiosum, quam a molesto & odioso munere liberatum, ut *non recordari*, & *non loqui*, sit non necesse habere, non ad id obligari, ut reconditum mente teneat, & eloquatur. 3. *Posterius* membrum habet, Prophetam, illis cum cogitationibus quasi luctantem, fuisse continuo, & identidem, tam fortiter motum & incitatum, ut, quicquid contra niteretur ad defatigationem usque, fuerit ad id faciendum adactus; *factum est*, inquit, scilicet verbum Jehovæ, *in corde meo sicut ignis ardens*, *strictum in ossibus*, h. e. verbum tantam vim in medio mei exseruit, ut instar ignis ardentis me totum inflammaverit, & divino repleverit zelo; cui resistere non potui. Nihil hic notandum habeo, nisi עצר non ad *ignem*, vetante genere masc., sed *verbum* pertinere, quod in ossibus fuit, nec simpliciter *conclusum* significare, verum *strictum*, h. e. stringendi & vim exserendi potestate præditum. Radix enim עצר proprie dicit, *strinxit*, *pressit*, inde vim & robur exseruit, part. pass. possessionem denotat, adeoque עצר dicit, *stringendi vi* præditum, fortem, & robur exserentem. De quo dixi ad Deut. XXXII: 36. a

§. CCCLXXX. 2. Secunda pars effectus concionum minacium in propheta comprehendit testificationem fiduciæ in Jehovam, qua sese contra insidias & impetus hostium hucusque tutum vidit, & in posterum futurum confidit, ita ut Dei vindictam de illis sumendam sibi promittere, & pios incitare ausit ad lætos cantus triumphales. Quæ summa est

 pe-

a in not. comm. Cl. Vitringæ subjunctis.

pericopæ, verſ. 10--13. In qua *a.* fiduciam in Jehova, mediis in hoſtium oppugnationibus, fore, ut, ſicut nunc, ita poſtea, pudore confundantur, exponit, verſ. 10, 11. his verbis; *quum*, vel *quamvis*, *audivi maledicam & venenatam multorum vocem, pavor undiquaque: ſtrenue agite, & nos agamus in eum, quivis meum pacem colens, obſervantes claudicationem meam: forte laxabitur, aut prævalebimus ei, & vindictam noſtram de eo ſumemus: &*, ſive *tunc*, vel *attamen*, *Jehova mecum inſtar herois terrifici: propterea inſectatores mei adpingentur, nec prævalebunt; pudefacti ſunt valde, quod non proſperarunt, ignominia æterna, quæ oblivioni non tradetur*: h. e. quo tempore, vel quamvis, maledicæ eorum voces, quibus mihi inſultant, acſi ad incitas ſim redactus, & mutuæ exhortationes ad me aut pelliciendum in peccatum, aut in perniciem trudendum, quas ipſi mei in ſpeciem amici, claudicationem & lapſum meum captantes, inſtituunt, mihi non ſint ignotæ; nihil tamen metuo, ſed Jehovæ confido, qui mecum eſt heros terrificus; nec dubito, quin, ſicut nunc pudore confuſi ſunt, & antea, quod non proſperarint, ita in poſterum adpingendi ſint, nec prævalituri, ignominia proſtituendi. Cohærent itaque ea, qua dixi, ratione hi verſus; & vocula כי verſ. 10. non connectit eum cum præced., uti putarunt Interpretes, in nexu illo exponendo valde impediti & diffidentes, verum reſpicit ad verſ. ſequentem, qui cum ו incipit, *& Jehova mecum*: plane ſicut Pſ. xxxi: 13, 14. ad quem locum Propheta noſter omnino reſpicit; unde nexus verſuum redditur facillimus, quem in paraphraſi expreſſi: ſive כי vertatur *quum*, ſive, ut ſæpe alias, *quamvis*; & ו ſive *tunc*, ſive *attamen*, *nihilominus*: priore ratione erit, *quum* audivi, *tunc* Jehovæ ſub tegmine tutus fui, ſeu, *quoties* audivi, *toties* in Jehova me erexi, & ereptus ſum; *poſteriore* modo, *quamvis* audivi, hoc non obſtante, *attamen* Jehovæ auxilio fretus nihil metuo, nihil mali experiar. Proponit itaque propheta *a.* hoſtium diſtemia,

ria, & infeſtationes, verſ. 10. *b.* ſuam fiduciam illis oppoſitam & ſecuritatem, verſ. 11.

§. CCCLXXXI. 1. Molimina hoſtium in maledicis dicteriis, & adhortationibus mutuis ad infeſtationes prophetæ, ſita: *audivi*, dicit, *maledicam multorum vocem, pavor undiquaque: ſtrenue agite & agemus in eum.* Memorat itaque *cum* vocem eorum venenatam, pavor undique, *tum* conſilia & molimina de ipſo ſede deturbando: plane ut Pſ. XXXI: 13. Vox *maledica* erat, *pavor undiquaque.* h. e. ad incitas eſt redactus, & terrifica undique ingruunt; quam vocem jactabant, ut animum ejus frangerent, & ipſi illuderent, ut ad Pſ. explicui: ubi etiam de emphaſi & uſu vocis דבה egi; cujus proprietas eſt in *reptitatione ſcorpionis*; unde ad maledicam & obtrectantem linguam traducitur, inſtar ſcorpionis ſeſe motitantem & prorepentem. Addit molimina in mutuis inſtigationibus ad eum e medio tollendum, *ſtrenue agite & agemus in eum:* ſive, quod eodem fere redit, ut Vulg., *perſequimini, & perſequamur eum*, rectius perſequemur; cui convenit Gr. verſio ἐπισύστητε καὶ ἐπισυστῶμεν ἐπ' αὐτόν. Paſſim reddi ſolet, *indicate & indicabimus eum*, ſeu *deferte & deferemus eum*, quod minus emphaticum eſt, nec ſenſum fundit, huic loco congruum. Radix נגד proprie ſignat *anterioritatem* rei, ob oculos poſitæ, & exſtantis paulo altius; unde נגיד inter alia non ſimpliciter *anteceſſorem & ducem*, ſed ſtrenuum, ſimul fortem & animoſum exprimit, qui fortiter agit, & pugnat, ut 1 Sam. IX: 16. Job. XXXI: 37. qui locus notabilis eſt, & noſtro egregiam infundit lucem: *numerum greſſuum* אגידנו *coram ipſi*, tanquam intrepidus congreſſor, *ſiſtam; ſicut* נגיד *anteceſſor ſtrenuus cum eo congrediar*; ita plane noſtro loco, *ſiſtite & ſiſtemus nos ipſi coram*, tanquam ſtrenuos oppugnatores, cum eo fortiter acturos. 2. Interſerit, antequam ſcopum oppugnationis clarius deſcribat, eorum, qui ſeſe ad hanc adgreſſionem excitant, *qualitates*, quibus ſibi arcte erant conjuncti, ut indignitas facinorum clarius eluceſcat; *omnis homo pacis meæ obſervantes claudi-*

cationem meam. h. e. multorum cum dixi dicteria & nomina, inter eos notari velim esse quoque falsos amicos, qui, pacem & amicitiam mecum colentes, nihil aliud in animo habuerunt, ac *claudicationem meam observare*; omni occasioni me præcipitandi in lapsum & exitium intenti. Id enim hic est, *observare claudicationem*, ei efficiendæ intentum esse, & omnem ad id occasionem observare. Vox Hebr. צלע denotat proprie *lumbifragium* violentum, indeque ortum lapsum, a צלע *latere*, costa; unde rad. *adfici* in costa, vel latus & lumbum frangere; metaphorice depingit *gravem calamitatem violenter illatam*, & *ad exitium tendentem*. De quo dixi ad Ps. xxxv: 15. Chald. non male: *insidiantur*, *ut male faciant mihi*. Quod ipsum verbo שמר significare potest, ut Gr. τηρεῖν & παρατηρεῖν. 3. Subjungit denique scopum & votum hostilium eorum hominum, verbis ipsorum expressum, *forte pellicebitur & prævalebimus ei*, & *sumemus vindictam nostram de ipso*, h. e. strenuos nos ipsi sistamus oppugnatores & insidiatores, forte votorum fiemus compotes, ut vel muneri renunciet, seseque falsum vatem fateatur, vel potestati nostræ succumbat ad perniciem, & vindictam de ipso accipiamus. Nihil hic observandum habeo, nisi ו in ונוכלה habere usum disjunctivum, & *vel* notare; uti alibi sæpe, & supra c. xv: 15. habuimus: alterutrum enim sperabant futurum, ut vel *pelliceretur*, vel *subjugaretur*, & violenter opprimeretur; quo utroque casu *vindictam* de ipso haberent optatam.

§. CCCLXXXII. b. Hisce insidiis & infestationibus opponit fiduciam & securitatem suam, cum hostium confusione & excidio futuro conjunctam, vers. 11. *At Jehova mecum sicut heros terrificus*; *propterea persecutores mei adpingentur* &c: Fundamentum fiduciæ & exspectationis præmittit, cum dicit, *Jehova mecum instar herois terrifici*; seu, qui vibrando percellit & concutit; quam vim habet עריץ active, seu transitive, sumta, a ערץ proprie *vibrare*. Subjungit effectum & eventum respectu hostium, silentio involuto effectu respectu sui, qui

quod facile suppleri poterat: plena oratio foret, propterea nihil timebo, nil mali mihi eveniet, *sed hostes mei adpingentur*, & adpacti hærebunt, gravi malo adficiendi, quam vim verbi כשל supra tradidi, *& non prævalebunt*, h. e. nihil minus quam hoc: quæ est voculæ לא emphasis, hic non negligenda: addit, *confusi sunt valde, quod non prosperarunt*. h. e. specimen & omen hujus calamitatis, quæ ipsis eveniet, jam nunc exstat in eorum *confusione*, quod hucusque prævalere non potuerint, nec votorum fieri compotes. Verba occurrunt in præt., adeoque ea, qua dixi, ratione capienda: nec opus est, ad mutationem temporum præt. pro fut. confugere; ut faciunt Interpretes. Tandem addit, eam ipsam confusionem, quam jam experti erant, in *perpetuum duraturam*; *ignominia æterna*, dicit, *quæ non delebitur*; repeti debet, ut facilior sit sensus, verbum *confundi pudore*; acsi haberetur, *confusi sunt*, & *confundentur* amplius, *ignominia æterna*; in perniciem perpetuam præcipitandi. Qua ratione cuncta recte fluunt, nec habeo, quod addam.

§ CCCLXXXIII. β Convertit sese, hac fiducia animatus, ac de hostium perpetua confusione certus, ad Deum, &, ab ipso sese hoc judicium exspectare, fidenter declarat, cum quod Deus justi sit explorator, & renium perscrutator, tum quod *judex* sit, qui caussam prophetæ, ad forum suum delatam, tenebat, vers. 12. *Itaque Jehova exercituum explorans justum, videns renes & cor, videam & videbo ultionem tuam de ipsis; quia Tibi aperui litem meam*. h. e Hic cum sit status meus, quem exposui, tuum nunc erit, Jehova, qui justum quemvis exploras, & intimos animorum recessus perspectos habes, hanc litem meam decidere, tuamque vindicare caussam, & ultionem tuam capere; quod, scio, facies; cum judex justus sis, cui litem meam tradidi. Adloquitur in toto hoc versu Jehovam, ut ex fin. liquet, adeoque recte vertitur, *tu* Jehova &c: & per modum *conclusionis* petit & exspectat vindictam; quare ו in ויהוה recte redditur, *itaque*; & verba habent conspectum *precationis*, etiam

exspectationis, ut אראה reddi queat, *videam* & *videbo*. Fundat sese in exacta Dei notitia, qua corda & renes perscrutatur, & in relatione Dei qua *judicis*, cujus est; litem, ad ipsum delatam, persequi &c: quo ultima verba tendunt, *quia revelavi tibi litem meam*, h e. quia res ad summum venit, & ad tuum tribunal delata est. Reliqua sunt facilia. Vid. ad c. XI: 20. & Ps. XXXI: 18. γ. Tandem in majorem spei & exspectationis suæ certitudinem, & persuasionem, omnes pios excitat ad lætum carmen Deo canendum, quod incipere solet cum Halleluia, super inopis liberatione a manu malignorum; sicut ipse ex parte expertus erat, & in posterum magis experiretur, vers. 13. *Canite Jehovæ, laudate Jehovam, quia animam inopis eripit manui malignorum.* h. e. canite Jehovæ, Halleluiah, quia animam, seu vitam, inopis & supplicis a potestate prævalente improborum liberat; sicut in me demonstravit, & faciet magis. Observetur hic tantum, 1. illud הללו את יהוה, non esse simplicem repetitionem superioris, sed genus carminis definire, quod cum *Halleluiah* incipit; qualia carmina habemus aliqua in libro Psalmorum; simili fere scopo formula, *laus Deo nostro*, inserta est Ps. XL: 4. ut ibi notavi. Reliqua verba, 2. comprehendunt argumentum carminis, generale quidem, sed simul ad Jeremiam aptandum, ut facile liquet: forte initium carminum istiusmodi continent, sicut alias, *canite* Jehovæ, *quia bonus* &c: uti ad Ps. LIV: 8. notavimus. Vox אביון vero proprie vi radicis dicit *pronum*, *humilem*, ut Gr. κύπτης pro inope & supplice: radicis enim proprietas est, in *flexa curvitate*, κύπτειν

§. CCCLXXXIV. δ. Longe aliam fore impiorum, in specie Paschuris, sortem subjungit, impium introducendo, miseram & pudendam suam conditionem tragice deplorantem, diemque suum natalem diris devovendo & execrando, in signum animi exulcerati & desperabundi, simul iræ Dei sensu vivide adfecti; vers. 14-18. *Maledictus dies! quo natus sum, quo me peperit mater mea, ne sit*, vel *nihil minus quam*, be-

benedictus. *Maledictus vir iste! qui patri meo lætum adtulit nuncium, dicendo, natus tibi est filius masculus, & lætitia ipsum adfecit. Sit vir iste instar urbium, quas subvertit Jehova, nec poenituit eum, &*, vel *aut*, *sicut qui mane audit clamorem, & jubilum tempore meridiano. Quare me non ab utero interemit? aut mater mea mihi non fuit sepulchrum, & uterus ejus gravidus in perpetuum? Quare hic ego ex utero emicavi, ad videndum molestiam defatigantem, & moerorem cruciantem? ut in pudore confundente absumantur dies mei.* Quæ pericopa nihil habet, quoad phrases, difficilis; quare unum tantum observo, alterumve. 1. Vers. 16. ו in ושמע habet vim disjunctivam, & verti debet *aut*; sicut vers. 10. etiam habuimus. Nuncio enim nativitatis suæ imprecatur, aut perpetuam subversionem, ac subitaneam, uti Sodomæ & vicinis urbibus contigit, aut continuum per omnem vitam *metum*, quod est, *audire mane clamorem, & vociferationem tempore meridiano*; de nocte itaque non tantum, sed & de *die*. Videtur respici, ut recte Clericus, ad *clamorem* sibi ab hoste metuentium, & *vociferationem* jubilam hostium vincentium. Ratio vero, quare membra disjunctive sunt capienda, est, quod in unum eundemque non cadat subversio Sodomæa & *clamoris* ac vociferationis auditus; ut facile intelligitur. 2. Verbum והיה hic videtur esse pro יהיה *erit*, pro fit. non enim *& fuit*, quod alias est ויהי, huc quadrat, præterea in ושמע & *audivi* ellipsis est אשר כ̈ז, repetique debet ex præced. כ *sicut*; uti in versione expressi. Alias etiam præt. *audivit* expediri vix poterit. 3. Vers. 17. אשר est pro על אשר *propter quod, quare non occidit me*, scilicet, Deus, *ab utero*; mox cum exclusus fuerim. Alium enim usum hic non fert; nec *qui* verti potest, nec ad *virum* referri, qui nativitatem nunciavit, ut nonnullis visum: est enim illud valde absonum. In *Deum* recte quadrat, cum in eum hic invehatur, qui diei suæ nativitatis maledicit: quo & seq. pertinent. Modo, 4. notetur, repeti ex præced. debere, *& quare non fuit mater mea sepulchrum, & ejus uterus*

gravidus in perpetuum; matre gravida cum foetu in utero mortua: ו autem in ותהי rursus eundem habet usum, reddique debet, *aut*, ut facile adparet. 5. Denique vocula זה *ego iste* insigni pollet emphasi, qua in malum sumitur, & hominem miserabilem signat: vel etiam insignem ac excellentem personam exprimere potest, sicut & alibi; non sine allusione forte ad illustre nomen פשחור: de eo enim hic in specie agi, mox dicam. Sensus est, quare ex utero prodii, tam læto omine natus, ut nihil nisi miseriam videam, & dies mei in *pudore* exigantur. Quo etiam יצאתי, proprie *emicavi*, referri potest.

§. CCCLXXXV. Difficilior est quæstio de *persona*, quæ hic in scenam sistitur; quam moveo forte primus; cum interpretes, quantum novi, consentiant in ipsum *Jeremiam*; absque ut alicui suspicio fuerit de alio oborta. Quod quis merito miretur, cum ejusmodi imprecatio natalium nec in Jeremiam quadret, ne quidem in hominem sanæ mentis aut sui compotem, redolet enim insanum, vel desperabundum mente emotum, nec in hac orationis serie locum tenere possit, nec denique ratio imprecationis, *quod dies suos in pudore consumere* debeat, in ipsum conveniat. 1. Jeremias, licet nonnunquam de sorte sua fuerit conquestus, & multis vexatus molestiis; nunquam tamen tam acerba ejus sors fuit, ut in ejusmodi imprecationem incidere potuerit. Longe enim alia fuit *Jobi* conditio, quæ similem imprecationem ipsi extorsit, ut recte exposuit Cl. Schultens a, vel & alius libri Jobi, qui multum de dramate trahit, conspectus, ubi talis execratio ipsi in ore datur. 2. Jeremias in mediis suis adflictionibus nunquam caruit consolatione Dei, qua erectus fuit, &, hoc ipso in loco se fuisse expertum, testatur: ut modo vidimus: conferatur quoque Thren. III: 20. & seq. ubi, post acerbas querelas, se erigit, & animum resumit. Agit autem eo in cap. de se, in summa miseria sub finem Tsedeciæ posito; quam nunc nondum erat expertus. 3. Abhorret omni

a ad Job. III: 3.

nino a serie orationis hæc dira imprecatio, cum proxime testatus fuerit propheta, se causam suam Deo commisisse, & eam a Deo esse agendam, se Deum habere adjutorem fortissimum: imo pios modo ad carmina triumphalia excitaverat. Interpretes valde laborant, nec una insistunt via ad hæc concilianda. Grotius putat, verba hæc loco esse mota; alibi prophetam exponere, quantis cum anxietatibus fuerit luctatus, ut gratia Dei, qua erectus est, clarius elucescat. Schmidius vult, mentionem inopis liberati occasionem dedisse harum querelarum, in quas *inops* aliquando erupisset. Quæ, quorumve similia alia, quam sint coacta, facile adparet. 4. Denique a Jeremia plane alienum est, quod *dies suos in pudore esse exigendos* adserat. Opprobrium & contemtum quidem sibi tribuit, ut verf. 8. & alibi; sed non *pudorem* & *confusionem*. Quid? quod hostibus suis hoc vindicet; ut verf. 11. *confusi sunt valde*, confundentur *ignominia æterna*.

§. CCCLXXXVI. Ex mea itaque hypothesi homo improbus & desperabundus, in maximis & inextricabilibus malis, quæ ipsi ante oculos versabantur, constitutus, introducitur, qui cum Deo graviter expostulat, quod in tantam miseriam fuerit præcipitatus, & in furibundam diei natalis imprecationem propterea erumpit; non sine exulcerato in Deum animo, & cum specie maledictionis, ut de impiis traditur, Jes. VIII: 21. & Ap. XVI: 9, 21. & alibi. In specie existimem, digitum intendi ad ipsum Paschurem, supra memoratum; cui apte convenit, quod verf. 18. habetur; *quare hic*, vel *ego iste, ex utero prodii, ad videndum molestiam defatigantem & moerorem*; sicut verf. 4. propheta ipsi interminatus erat, *oculi tui videbunt* &c: additur, *ut consumantur in confusione dies mei*, etiam secundum prophetæ denunciationem, verf. 11. Quod vero ad cohærentiam sermonis adtinet, existimaverim hic repræsentari consequens sententiæ, a Deo judice pronunciatæ, qua litem, ipsi a Propheta commissam, decidit, quod consequens pro diverso hominum statu, piorum & impiorum, duplex foret, alterum lætum, al-

terum triste & desperabundum: quod propheta prævidens & mente anticipans, *pios* ad lætum carmen excitat, sed *impiis* lugubre & desperatum in ore dat; prius vers. 13. posterius hac pericopa: qui nexus satis facilis est & manifestus. Ne vero abrupta oratio offendat, mente velim illud שיר repetatur, vel contrarium verbum, *lugubre* carmen continens; uti aliquando fieri solet: ut oratio plena sit, *cantate Jehovæ*, scilicet vos pii; *cantate*, sed ululantes & lamentantes, vos *impii*, ex quorum manu inops liberatus est, ut modo dixerat: in specie *tu* Paschur, impiorum illorum hostium caput & princeps. Præterea, si שיר repetatur, respici poterit ad læta carmina, impiis usitata, quæ nunc in lamentationes verterentur: ut Am. VIII: 3. *ejulabunt cantica palatii eo die: canticis* nempe cum *lamentis* mutatis, ut ib. vers. 10. habetur. Sicut vero pios non nominat, quibus lætum carmen præscribit, ita nec impios, quos carmen ululare vult; ita ut *personæ* ex ipsa carminis materia sint cognoscendæ. In quo parum est difficultatis. Hac ratione cuncta recte cohærent; & maximæ difficultates vitantur, quæ alias vix superari possunt, si de ipso propheta hæc imprecatio capiatur; uti ex Interpretibus, diversa ratione instituentibus, sicut modo vidimus, facile adparet. Ceterum exposui jam alibi *a* mentem de hac pericopa, & varia exempla similis ellipsios verbi *dicere*, aut *canere*, produxi.

NONA CONCIO.

CAP. XXI.

1. *Verbum, quod Jeremiæ factum est a Jehova, cum ad eum rex Tsedekia mitteret Paschurem Mal-*

a ad Mal. II: 10. §. 85.

Malchiæ filium, & Tsephaniam filium Mahasejæ
sacerdotis, dicendo.
2. Intercedens consule quæso pro nobis Jehovam,
quia Nebucadnezar rex Babelis oppugnat nos: for-
tasse nobiscum Jehova secundum omnia mirabilia
sua facta, ut a super nobis adscendat.
3. Et dixit ipsis Jeremia, sic Tsedekiæ dicetis.
4. Sic dixit Jehova, Deus Israelis. Ecce me aver-
tentem instrumenta bellica, quæ in manibus vestris
sunt, quibus pugnetis cum rege Babelis & Chal-
dæis, qui vos coarctant, ab extra murum, & col-
ligam eos in medium hujus urbis.
5. Et pugnabo ego ipse vobiscum exserta manu, &
brachio valido, & in ira, & excandescentia &
ira desæviente magna.
6. Et incolas hujus urbis, homines & bestias, percutiam,
magna peste interibunt.
7. Postea vero, inspiratum Jehovæ, tradam Tsede-
kiam regem Judæ, & ministros ejus, & populum,
& superstites in urbe hac a peste, a gladio & fame,
in manum Nebucadnezaris regis Babelis, & in
manum hostium eorum, & quærentium animam
eorum, ipsosque percutiet acie gladii, non connivebit
super ipsis, nec mollem se præbebit, nec miserebi-
tur.
8. Et huic dices populo: sic dixit Jehova; ecce me
vobis ob oculos ponentem viam vitæ, & viam
mortis!
9. Qui hac in urbe manebit, gladio, fame & peste
morietur: sed, qui exierit & ceciderit ad Chal-
dæos, vos arctantes, vivet, eritque ei anima spo-
lii instar.

10. *Quia vultum meum in hanc urbem posui in malum, & non in bonum, inspiratum Jehovæ; in manum regis Babelis dabitur, qui eam igne comburet.*

11. *Et domui regis Judæ dices; audite verbum Jehovæ.*

12. *Domus Davidis! Sic dixit Jehova; judicate mane judicium, & eripite spoliatum manui oppressoris, ne exsiliat sicut ignis excandescentia mea, & comburat, nec sit restinguens, propter malitiam facinorum vestrorum.*

13. *Ecce me ad,* vel *contra, te! habitatrix vallis istius Zor, planitiei istius, inspiratum Jehovæ, qui dicunt, quis descendet ad,* vel *contra, nos? quis habitationes nostras intrabit?*

14. *Et visitabo vos secundum fructum operum vestrorum; & comburere faciam ignem sylvam ejus, & absumet omnia circum eam.*

§. CCCLXXXVII.

N*ona* concio habita est sub *Tsedekia*, ultimo rege, tempore obsessionis Hierosolymæ, vel potius belli cum Nebucadnezare, post Aegyptios, qui ad Judæos liberandos venerant, repulsos, proxime ante arctissimam obsidionem, altera vice repetitam, occasione legationis regis ad Jeremiam, ut pro populo intercederet apud Jehovam; quemadmodum ex vers. 1 & 2., constat. Ratio vero, quare Hierosolymam dixerim nondum arcte fuisse obsessam, est, quod Deus per prophetam denunciaverit, se milites Judæorum, extra muros pugnantes, mox intra urbem collecturum, vers. 4. ut ibi videbimus. Quod vero, de altera vice obsessionis post Aegyptios repressos cogitandum esse, dixi, illud *partim*

in eo fundatum est, quod hoc tempore nulla spes, nisi in miraculosa Dei liberatione, superfuerit, uti vers. 2. innuitur per verba: *forte Jehova nobiscum faciet pro mirabilibus suis factis*, ex. gr. tempore Josaphati & Hizkiæ, tempore desperato, *partim* in eo, quod nullam salutem superesse declaraverit Jeremias, nisi in *deditione* urbis, seu cita fuga ad Chaldæos, vers. 8, 9. Concio itaque loco plane alieno hic collocata est, & propriam suam sedet haberet ante cap. XXXVIII: cum illo cap. narretur, quid ex hac concione secutum sit. Principes enim nonnulli leguntur manus in Jeremiam conjecisse, quia populo dixerat id ipsum, quod in hac concione legimus, ut ex vers. 2, 3. istius cap. cum vers. 8. & 9. hujus cap. collatis, manifestum est. Ex quo ulterius confirmatur, quod de altera obsessione Hierosolymæ, tanquam *tempore* concionis, modo dixi: quod enim c. XXXVIII. narratur, accidit post priorem obsidionem, ut ex cap. præcedente liquet. Quæ vero ratio sit concionis loco suo motæ, & hic positæ, plane latet, nec conjecturis indulgere fas est. Forte pericopa vers. 11, 12., cum seq. capite collata, ansam confusionis peperit, vel collectorem movit ad hanc concionem sequenti præmittendam, quia ad eam concionem c. XXII, dudum ante habitam, respicitur, vers. 11, 12., ut mox exponam. Plura ad *temporis*, & *occasionis* intellectum non necesse est proferre; cum nihil difficilis in verbis sit. Tantum not. 1. verbum דרש duplicem suam vim, & *consulendi*, seu responsum petendi & impetrandi, & *precandi*, quam utramque, uti constat, habet, præferre; ita ut sit, Jehovam intercedendo consulere pro populo, ut favorabile responsum nanciscatur. 2. Phrasin, ויעלה מעלינו *ut adscendet a super nobis*, esse singularem & prægnantem, quæ exæstuationem bellicam alio versam involvit. Sensus est, ut Nebucadnezar, a nobis discedens, alio flectat impetum suum. Radix enim עלה proprie *exsuperavit*, *excrevit*, *exæstuavit*, frequentatur in bellico impetu.

§. CCCLXXXVIII. *Concionis* vero *tres* partes sunt, *pri-*

qua est excidii urbis denunciatoria, *secunda* admonitoria ad populum & domum regis directa, ut saluti suæ consulant, *tertia* est securitatis nonnullorum refutatio. α. *Prima* pars vers. 4--7. complectitur, *a*. arctissimam *urbis* obsessionem mox instantem; ita ut omnes milites, antea extra muros cum Chaldæis pugnantes, in urbem sint colligendi, vers. 4. *Ecce me avertentem instrumenta bellica, quæ sunt in vestris manibus, quibus pugnatis cum rege Babelis, & Chaldæis, qui vos coarctant, ab extra murum, & colligam eos in medium hujus urbis.* h. e. ut recte Coccejus, *faciam, ut qui foris propugnant, omnes fugiant ad hanc urbem*, ibique, quod addo, pereant, adeoque, bello vestro cum Chaldæis foris cessante, intra urbem arctissime concludamini. Quæ interpretatio, unice vera, etsi Interpretes passim alium sensum exsuderint, ut paucis illustretur, 1. not. *instrumenta belli* proprie quidem esse quævis arma, seu offensiva seu defensiva; sed hic simul comprehendere milites, iis instructos; ut ex re ipsa & fine versus elucescit. *Arma* vero pro *armatis*, gladium, telum, pro militibus, iis instructis, uti equos, pro *equitibus*, *currus* pro vectoribus, sumi, tralaticium est. Sic infra c. LI: 20. Deus de Nebucadnezare dicit, *tu mihi aries instrumenta belli.* 2. *Avertere* cum vocibus מחוץ לחומה *ab extra murum* construendum esse, ut præf. מ in מחוץ facile evincit, adeoque facilem esse sensum, Deum instrumenta illa cum militibus esse a bello cum Chaldæis extra urbem aversurum, &, ut alio divertant, facturum, quod est סבב, seu סבב in Hiph. rad. סבב, uti notum. 3. Milites eos, inde aversos, esse colligendos intra urbem, ut ibi cum reliquis civibus & incolis arcte obsideantur, & pereant: quod utrumque verbo אסף est comprehensum, uti Ps. XLVII: 10. ubi vid. dicta.

§. CCCLXXXIX. β. Obsessorum maximam partem internecionem, divinitus faciendam per dirissimam pestem & famem ac gladium, hæc verba exhibent, vers. 5, 6. *Et pugnabo ego ipse* (alias protector & dux vester) *vobiscum exserta manu & brachio*

bulido, & in ira & excandescentia, & ira desæviente magna. Et incolas urbis hujus, homines & bestias, percutiam, magna peste interibunt. Nihil hic quoque difficile; tantum not. *pestem* speciatim memorari, non acsi *sola* tunc grassaretur, sed quod aliis plagis accederet, omnium dirissima: ex vers. 9. enim patet, *gladio* & *fame* quoque in media urbe eos esse absumendos, quo etiam generale verbum *percutere*, quod præmittitur, ducit. γ. Superstitum hisce plagis & cladibus traditio in manus hostium, qui urbem caperent, & eos morte adficerent, subjungitur, vers. 7. *Postea vero inspiratum Jehova, tradam Tsedekiam regem Juda, & ministros ejus, & populum & superstites in urbe hac a peste, a gladio & fame, in manum Nebucadnezaris regis Babelis, & in manum hostium eorum, & quærentium animam eorum, ipsosque percutiet acie gladii, non connivebit super ipsis, nec mollem se præbebit, nec miserebitur.* In quibus etiam nihil est, quod nostram operam requirit. Emphasios gratia additur *non ignoscet ipsis, non parcet, non miserebitur*, h. e. nihil minus quam id, sed crudelissime sæviet in omnes hostis.

§. CCCXC. 2. *Secunda* pars *duplicem* continet admonitionem, *alteram* ad populum Hierosolymæ degentem, *alteram* ad domum Regis, utramque eo tendentem, ut saluti suæ consulant, *partim* se dedendo Nebucadnezari, *partim* ad virtutem & pietatem se recipiendo. *Prior* occurrit, vers. 8--10. *posterior*, vers. 11, 12. *Prior* proponitur vers. 8 & 9, & urgetur vers. 10. ab excidio urbis & incolarum, certissime & proxime futuro; adeo ut nulla salutis via, nisi in deditione, supersit, quam etiam omnibus nomine Dei promittit, si sese regi Chaldæorum tradant. Verba ita sonant, *Et populo huic dices: sic dixit Jehova; ecce me vobis ob oculos ponentem viam vitæ, & viam mortis. Qui hac in urbe manebit, gladio, fame & peste, morietur: sed qui exierit & ceciderit ad Chaldæos, vos arctantes, vivet, eritque ei anima spolii instar. Quia vultum meum in hanc urbem posui in malum, & non in bonum, inspiratum Jehova: in manum regis Babelis dabitur,*

qui eam igni combureret. In qua tota pericope nihil est, quod nobis moras injiciat. Tantum not., Prophetam, cum vers. 3. exposuerat, quid legati regi nunciarent, hic tradere, quid sibi erat a Jehova injunctum, cum dicit, *& populo huic dices:* ut significaret, id, quod populo nunciaverat, a Deo sibi fuisse præceptum, quod ipsum, sicut modo fecerat, ita in posterum, ferente occasione, faceret. Memorat vero hoc jussum Dei, ut & ipsi legati de eo ad regem referrent: sed, Jeremiam hæc coram populo quoque locutum fuisse, manifestum est ex c. XXXVIII. Præterea, quoad phrases, 1. adverti velim peculiarem usum verbi נפל *cadere* pro *submittere se*, simul *tansfugere*; quod utrumque adfert verbum a, & hic conjungendum est. 2. *Ponere vultum* hic adfectum & impetum hostilem denotat. De quo vid. Cl. Schultens b. Nec tamen otiose additur *ad malum, & non ad bonum*: adgravatur enim hostilis inpetus, qui gravissimum produceret *malum quassans*, nihil boni relinquens. Hanc enim emphasin habet רעה, ut sæpe alias observavi, & לא pro *nihil minus* quam bonum.

§. CCCXCI. *Posterior* admonitio, ad domum regis directa, eadem cum formula incipit, vers. 11. *Et domui regis Juda*, (scilicet, *dices*, quod ex præced. vers. 8. repetendum est, ut nonnulli recte observarunt, & constructio quoque requirit) *audite verbum Jehovæ domus Davidis*, (hæc enim secum construenda sunt, prava versuum distinctione avulsa) *sic dixit Jehova, judicate mane judicium* (nimirum verum & justum; respicitur ad morem mane pro tribunali sedendi,) *& eripite spoliatum manui oppressoris, ne exsiliat sicut ignis excandescentia mea, & comburat, nec sit restinguens, propter malitiam facinorum ipsorum* &c: Sensus & scopus est, prophetam declarare, se id jussu Dei fecisse, quod domum regiam sæpius hac de re monuerit, tanquam unica via iram Dei placandi, adeoque causam malorum, quorum supra meminerat, in neglectu hujus officii esse quærendam, nec aliam su-

a Vid. Schultens Orig. tom. II. p. 145. b ad Job. 1: 8.

superesse nunc viam, quam ut domus regia se serio convertat: de quo cum nulla spes sit, nihil quam excidium esse exspectandum. Huc enim tendet admonitionis hujus mentio. Quæ itaque pro hypothesi habet, domum regiam, sæpe ea de re admonitam, hucusque mansisse inmorigeram & obstinatam. Cujus specimen dudum antea factum mox cap. XXII. sequitur, ad quod hic respici inter alia potuit.

§. CCCXCII. 1. Tertia pars est securitatis nonnullorum, in profundissima urbis parte habitantium, & propterea fidentium, refutatio per Dei visitationem, quippe cum tota urbe exscindendorum vers. 13, 14 *Ecce me ad*, vel *contra*, *te*! (sc. venientem, ut ex verbo *visitandi* vers. 14. patet,) *habitatrix vallis istius Zor, planitiei istius, dictum Jehova; qui dicunt, quis descendet ad*, vel *contra*, *nos? quis habitationes nostras intrabit?* sc. hostiliter; quod verbo בוא aliquando est comprehensum. Quæritur quinam intelligantur? Interpretes passim de tota Hierosol., ejusque incolis, capiunt, & vallem, petram, ac planitiem, tanquam distinctas urbis partes, memorari putant. Sed 1. צור minus recte de petris & montibus intelligitur, quibus urbs fuit inædificata, maxime cum non צורא, ut סלע, sed צור occurrat, argumento, construi cum *valle* debere. 2. verbum *descendere* requirit, hic tantum agi de tractu humili & profundo: ut facile cernitur. 3. Hierosolymam, montibus superstructam, *a valle* denominari, absonum est. Venit quidem nomine *vallis visionis* Jes. XXI: 1. sed peculiari de ratione, quod scholæ prophetarum in ea *valle*, inter Acram & Tsionem media, erant: uti conjicit Cl. Vitringa; sed non, ut hic, absolute, & securitatis respectu, quæ hic intenditur. Ex mea itaque opinione pars urbis profundior intelligitur, in specie, quæ inter montes Tsionem & Acram intermedia erat, *vallis montium* adpellata, Zach XIV: & Josepho *a* dicta vallis τυροποιῶν *calcariorum*, unde unde etiam sic denominata. Nostro loco vocatur vallis צור *arcta pressura*, propria enim *radicis* potestas est *stringendi* & *arctandi*, sive

 quod

a B. J. l. v. c. 4.

quod *anguſta* & *arcta* fuerit, ut Cappellus jam conjecit, ſive *arcte* habitata, ſive quod τυροποιῶν fuerit ſedes. Voces enim צור & τυρὸς ſunt vicinæ, uti notum, & τυροποιῶν nomen forte hinc natum eſt. Videntur hic mercatores præcipue habitaſſe, & variæ officinæ fuiſſe, uti ex Tſeph. 1: 11. colligi poteſt, ubi incolæ המכתש *pili contuſoris*, quæ vocis eſt ſignificatio *a*, adpellantur, ſive ob figuram, in longum porrectam, ſive propter officinas. Hujus vallis incolas, qui ſecuritate loci ſpernebant præ reliquis prophetæ interminationes, declarat propheta, *a Deo* ipſo *viſitandos*, & propter malitiam exſcindendos eſſe; verſ. 14. *& viſitabo vos*, tanquam judex puniendo, *ſecundum fructum operum veſtrorum*, (prout malis veſtris facinoribus convenit,) *& comburere faciam ignem ſylvam ejus, & abſumet omnia circa eam*, h. e. habitatricis hujus vallis ſylvam, & omnia in circuitu, igni *exſcindam*. Relat. enim foem. in יערה recte refertur ad ישבת, verſ. 13. etiam in foem., *ſylva* vero complectitur domos preſſiſſime locatas, & totam vallem replentes. Nihil rectius & ſimplicius mihi occurrit: *ſylva* autem figurate pro regione ſumi ſolet; uti notum eſt. Sed & hic latius ad domum Davidicam, & regnum, ejusque ſedem Tſionem, extendi poteſt, *ſylva* emblemate eo ſenſu ſatis uſitato *b*. De quo poſtea recurret occaſio agendi. Senſus ergo foret, *ſylva* hac, in cujus medio erat *vallis Zor*, conflagrante, ut fieret quaquaverſum, *vallis* incolas non fere ſalvos. Qua ratione relat. foem. in יערה *ſylva ejus* recte ad *domum Davidis*, verſ. 11. refertur: quare etiam non in ſec., ſed tertia perſona occurrit.

a Vid. Schultens ad Prov. XXVII: 22. *b* Vid. Vitringa ad Jeſ. X: 33, 34.

DE.

DECIMA CONCIO,

VEL ULTIMA PARS OCTAVÆ.

CAP. XXII.

1. *Sic dixit Jehova: descende ad domum regis Judæ, & ibi verbum eloquere.*

2. *Et dicito: audi verbum Jehovæ rex Judæ, throno Davidis insidens, tu & servi tui, & populus tuus, qui per has portas ingrediuntur.*

3. *Sic dixit Jehova: facite jus & justitiam, & eripite spoliatum manui oppressoris, & peregrinum, pupillum & viduam, ne conculcate, ne crude tractate, nec sanguinem innocuum effundite in hoc loco.*

4. *Quia, si hoc verbum feceritis, &*, vel *tunc*, *portas hujus domus intrabunt reges sedentes Davidi super throno ejus, curru & equis vecti, ipsi & ministri ejus, & populus ejus.*

5. *At si hisce verbis non auscultaveritis, juravi per me, inspiratum Jehovæ, domum hanc fore desolationi.*

6. *Quia sic dixit Jehova super domo regis Judæ: Gilead tu mihi, caput Libani! si non te ponam desertum, urbes non habitatas.*

7. *Et*, vel *etenim*, *sanctificabo contra te disruptores, virum & instrumentum ejus, & resecabunt selectionem cedrorum tuarum, & projicient in ignem.*

8. Et

8. *Et multæ gentes transibunt juxta hanc urbem, dicentque quisque proximo suo, quare huic magnæ urbi Jehova sic fecit?*

9. *Et respondebunt: propterea quod foedus Jehovæ Dei sui deseruerunt, & Deos peregrinos adorarunt, eosque coluerunt.*

10. *Ne defleatis mortuum, neque quassetis* caput ei: *flendo deflete eum, qui abiit; quia huc non revertetur, &*, vel *ut*, *videat solum suum natale.*

11. *Quia sic dixit Jehova de Sallumo filio Josiæ, regis Judæ, qui regnavit loco Josiæ patris sui; qui hoc loco egressus est, non redibit huc denuo.*

12. *Quia eo in loco, in quem transtulerunt eum exulem*, seu captivum, *morietur, nec terram hanc amplius videbit.*

13. *Heus*, tu ille! *qui ædificat domum suam super injustitia, & coenacula sua super violato jure, proximum suum servitute premit gratis, nec operæ mercedem ipsi solvit.*

14. *Qui dixit; ædificabo mihi domum mensurarum, & coenacula perflabilia, & lacerat ei fenestras, & contabulatum tabulans in cedro, & ungens minio.*

15. *An regnabis, quia tu exæstuas in cedro? Pater tuus nonne edit & bibit, & judicium fecit ac justitiam, tunc bene ipsi.*

16. *Judicando judica adflictum & pauperem, tunc bene! nonne hæc scientia mei? inspiratum Jehovæ.*

17. *Quia oculi tui, & cor tuum, non nisi ad lucrum*

tuum, & ad sanguinem innocuum, ut effundas, & ad oppressionem, ac quassationem, ut facias.
18 *Propterea sic dixit Jehova de Jojakimo, filio Josiæ, rege Judæ: non plangent ipsi, heu mi frater! & heu soror! non plangent ipsi, heu Domine! heu majestas!*
19. *Sepultura asini sepelietur, trahendo & projiciendo ab ultra portas Hierosolymæ.*
20. *Adscende Libanum & vociferare; & in Basan ede vocem tuam,* (lugubrem) *& clama de Abarim, quia fracti sunt omnes amasii tui.*
21. *Locutus sum ad te in opimitatibus tuis; dixisti, non audiam. Hæc via tua a pueritia tua, quod non audivisti vocem meam.*
22. *Omnes pastores tuos depascetur ventus, & amasii tui in captivitatem ibunt,* peribunt, *tunc enim pudore adficieris, & ignominia frangeris propter omnem nequitiam tuam.*
23. *Sedes in Libano, nidulas in cedris, quam argutum & stridulum in sonum conjicieris! cum invaserint te tormina, versans dolor, instar parturientis.*
24. *Vivo ego, inspiratum Jehovæ: si foret Chonia, filius Jojakimi, regis Judæ, annulus signatorius in manu dextra, profecto te inde avellerem.*
25. *Et tradam te in manum quærentium animam tuam, & in manum eorum, a quorum facie divertis* præ metu, *&,* nempe, *in manum Nebucadnezaris, regis Babelis, & in manum Chaldæorum.*
26. *Et te, matremque tuam, quae te peperit, elongabo in terram alienam, in qua non estis nati, & ibi moriemini.*

27. *Nec, quam terram anhelant, ut in eam redeant, in eam revertentur.*
28. *An nervus spretus, elisus, vir ille! Chonia? an vas, vel sicut mihi, in ipso nulla delectatio? quare elongati sunt, ipse & semen ejus? & projecti sunt in terram, quam non noverunt?*
29. *Terra, terra, terra, audi verbum Jehovae.*
30. *Sic dixit Jehova: scribite virum hunc, nudatissimum, virum, qui non prosperabitur in diebus suis; quinimo nemo ex semine ejus prospere aget, sedens in throno Davidis, & dominans amplius in Juda.*

§. CCCXCIII.

Decima concio, vel potius pars ultima concionis *octavae*, per cap. XXI: male insertum abruptae, ut mox dicam, capitibus duobus, hoc & seq. XXIII., comprehensa, cum nullum sit novae concionis c. XXIII. uti recte viderunt Interpretes, indicium, habita est sine dubio tempore Jojakimi, paulo post abductum Sallum, filium Josiae, in Aegyptum, cujus tanquam recentis memoriae mentio fit, vers. 11., adeoque in initiis Jojakimi; cum ejus & filii Jechoniae fatum hic praenuncietur, tanquam futurum. Quod contra Hieronymum, qui ad tempus Tsedekiae refert, recte passim observatum est. Sed Interpretes in hac concione cum superiore connectenda laborant, & eo communiter inclinant, ut, quo tempore superior fuit habita, censeant, hanc antiquiorem concionem fuisse a Jeremia repetitam coram ipso rege Tsedekia, & propterea hic collocatam, sive cum vers. 1. repetitionem incipiant, sive cum vers. 6. demum, qui priores 5. versus referunt ad Tsedekiae tempus, adeo ut Propheta, post concionem ad Legatos Tsedekiae habitam, jussus fuerit domum regis adire, & dicta ad legatos confirmare; qua occasione

sui

superioris temporis concionem repetiisset, verſ. 6., quem vertunt, *quia ſic dixit*, ſc. antea, *Jehova*. Sed obſtat 1. quod nullum ſit indicium concionis, ante habitæ, nunc repetitæ, 2. nec phraſis, *ſic dixit Jehova*, aliter ſumi poteſt, ac de præſente, ſicut conſtanter alias. 3. Verba 5 primorum verſ. cenſeri nequeunt hoc tempore ad Tſedekiam dicta, quo Hieroſolyma arcte obſeſſa erat, quia urbs verſ. 2. proponitur tanquam libera ab obſidione; utpote per cujus portas rex, principes & populus, libere ibant & redibant.

§. CCCXCIV. Ex noſtra opinione; 1. nova hic non occurrit concio; quia ſolenne novæ indicium hic deficit; ut ad initium *concionis octava* obſervavi. 2. nihil commercii habet cum cap. præcedente; nec ejus adpendix eſſe poteſt, cum quod populus ibi occurrat ab hoſtibus obſeſſus, hic liber, tum quod longe diverſo tempore habitæ ſint conciones, præcedens ſub Tſedekia, hæc ſub Jojakimo; ut vidimus. 3. nec repetita cenſeri poteſt concio, ut modo demonſtravi. 4. connexa eſt cum concione *octava*, & ejus adpendix eſt, ſeu *pars* ultima: conſtat enim ea concio ex variis partibus variis in locis habitis, *prima* domo figuli, *ſecunda* in valle Topheth, *tertia* in atrio domus Jehovæ ad totum populum, *quarta* ibidem poſt incarcerationem unius noctis ſolutam in Paſchurem & ſocios, quam excepit colloquium prophetæ cum Deo; *quinta* eſt hæc noſtra concio, in aula regia, vel juxta eam habita: juſſus enim eſt propheta *deſcendendo* ire ad aulam regiam: erat itaque in Templo, loco editiore, unde *deſcendere* debebat, ut aulam regiam peteret: quod itaque recte convenit in locum, ubi tum erat cap. xx. Cohærent omnes partes reſpectu argumenti, differunt tantum ratione locorum & perſonarum, quibus, & ad quas, habitæ ſunt. Cum autem ad comites in valle Topheth, dein ad populum, tunc ad Paſchurem ac ſacerdotes, verba eſſet locutus, nunc recte ad domum regiam ſermones habet, & tandem concludit in ſermone ad *paſtores* in genere. 5. Quare autem præcedens concio fuerit inſerta,

nos latet; forte ex errore, quod hæc nostra concio censita fuerit ad Tsedekiam habita; ansam præbente pericopa, vers. 11, 12. cui haud absimilis est prima nostræ concionis pars, vers. 3. Sed de eo nihil adfirmari potest, nec res tanti est, cum constet, ordinem concionum varie fuisse turbatum in libro Jeremiæ.

§. CCCXCV. Duæ sunt generales concionis partes, pro diversitate *personarum*, ad quas dirigitur: *prior* ad domum regiam hoc cap., posterior ad pastores in genere spectat cap. sequente. In *priore* parte occurrit, post præfationem, vers. 1, 2, qua domum regis jubetur adire, e Templo descendendo, & regem, ejusque servos, & populum ejus, qui aulam varias ob rationes, etiam judiciorum causa, adire solebat, compellare nomine Dei; in quibus nihil nobis relictum est observandum, post, inquam, hanc præfationem sese offert α salutaris admonitio de judicio & justitia exercenda, promissis & minis sancita, vers. 3--5. In quibus nihil est difficilis. Injungit propheta, nomine Dei, *omnibus*, quorum aliqua erat ad tribunalia, & regni administrationem, relatio, singulis pro statu & munere suo, ut *judicium* & *justitiam* faciant, sive justum judicium, sive severitatem & æquitatem, in specie *spoliatum* ab *oppressore* liberent, quod c. XXI: 12. jam habuimus, *peregrinos*, *pupillos* & *viduas*, personas miserabiles, & opprimi faciles, non *conculcent*, aut *crude tractent*. Verbum ינה proprie est, *calcavit*, *detruncavit*, inde *eradicavit*, & sic, nervo remisso, debilitavit: teritur *cum* in oppressione violenta, qua alterius jura infringuntur, *tum* fraudatione, qua decurtantur. Alterum verbum חמס originem habet in *crudo*, *duritie cruda*, unde ad violentum, sævum & crudum, animum & facinus, transfertur. Additur, *nec sanguinem innocuum effundatis* in loco hoc, per iniqua sc. & violenta judicia. Ab hisce facinoribus si abstineant, & contraria faciant, promittit ipsis tranquillam & prosperam aulæ possessionem & fruitionem; adeo ut reges, servi & populus, hanc domum secure & læte intraturi sint; reges etiam super thro-

no Davidis federent, & gloriose curribus & equis veherentur: sin contra fecerint, dicto inobedientes, minatur domus regiae destructionem. Significat itaque propheta, penes ipsos stare, num salvi esse velint, & eorum culpae ac obstinationi imputandum, quod pessum itura sit resp., sicut Deus decreverat. Ceterum, ab hac officiorum moralium observantia, aliorum aut religionis nulla facta mentione, eadem ratione suspenditur salus domus regiae & reip., qua supra c. XVII. ab observantia sabbati, adeoque ibi dicta huc adplicanda sunt: officia haec erant praecipua, domui regiae propria, & cum salute reip. arcte connexa, nunc neglecta & pedibus conculcata, quae Deo, qua supremo rectori, etiam in primis curae cordique sunt.

§. CCCXCVI. 2. Confirmatio sequitur & plenior deductio interminationis praecedentis, juramento confirmatae, vers. 6-9. Ubi a. occurrit ipsum juramentum, modo memoratum, vers. 6. *Quia sic dixit Jehova super domo regis Juda, Gilead tu mihi, caput Libani: si non faciam te desertum, urbes non habitatas*. h. e. ut, quam verum sit, quod de juramento Dei de domo hac vastanda dixi, adpareat, ecce Deum jurantem! sic enim dixit Jehova: florentissima, & splendore ac copia refertissima, licet coram me sis, instar Gilead, & verticis Libani, ei etiam in fastu & idololatria ac criminibus similis; eandem quoque subibis sortem; *vivam, nisi* ponam te desolatam, instar deserti, & urbium incolis orbarum. Juramenti conspectum formula solennis, sed elliptica, *si non ponam*, facile demonstrat. Agi vero hic de domo regia, proprie & improprie dicta, ut & aulam, & familiam regiam comprehendat, haud difficulter quoque cernitur; nec non utramque esse destruendam, ut *aula* sit deserta, & familia excisa: sicut mox clarius exponitur. Phrasis vero, *urbes non habitata*, qua plur. cum sing. construitur, nihil habet, quod inusitatum est; quare nota margin. Masoreth. opus non erat. Sed quid sibi vult comparatio cum *Gilead & vertice Libani*? esse enim comparationem domus regiae

cum iis, subintellecta particula כ *sicut* similitudinis, facile patet. Interpretes ad excellentiam & frequentiam domus regiæ unice referunt, & similitudinem varie quærunt: non intercedo, sed in eo subsistendum non est: trahit enim quid de ambiguo, & comparatio late extendenda est, ut & prosperum & tristem statum cum ejus causa comprehendat, sitque sensus: *tu mihi & es, & eris Gilead, caput Libani.* h. e. sicut instar Gilead & verticis Libani elata es, & frequentissima, opulenta & prospera, simul idololatrica, & fastuosa, corrupta; ita quoque eandem destructionis sortem subibis, quam *Damascus*, seu regnum Syriæ, & terra Gileadis; quæ nunc destructa jacent; vivam enim, si non *ponam te desertum* &c: Pertinet itaque comparatio ad *aulam* æque, ac *familium* regiam, quæ utraque nomine *domus* regis venit; nec *familiæ* locum negandum esse, ex seq., ubi *electæ cedri* dicuntur exscindendæ, manifestum est; de quo sequentes cap. partes quoque testantur. Confertur hæc domus ad *Gilead & verticem Libani.* 1. respectu gloriæ, frequentiæ & opulentiæ; cujus symbolum est *Gilead* per quercuum proceritatem, ac gregum copiam, *caput* Libani per *cedros*, & lucem *niveam* splendidam; nec non per regna in utraque regione olim florentia. *Aula* quoque ipsa ex cedris & querculus constabat, uti vers. 23 insinuatur. 2. idololatriæ & corruptionis; queadmodum Hos. VI: 8 *Gileadis* simile, & *Libanus* mons ubique occurrit. 3. denique respectu *sortis* miseræ & calamitosæ, in qua nunc erant illæ regiones, ab Assyriis dudum destructæ; ut notum est: quo respicitur, cum mox additur, si *non ponam te* &c: in quo nihil est difficilis.

§. CCCXCVII. β. Confirmatio & explicatio hujus excidii vers. 7. *&*, vel *etenim*, *sanctificabo* (h. e. separabo ac parabo, ut neminem fugit, addo, tanquam ad rem *sacram*, seu nominis mei sanctificationem, & justi mei judicii exsecutionem, a) *disruptores* (qui vellendo ac radendo rumpunt, quæ propria est verbi נתץ potestas) *virum & instrumenta ejus*

sine

a Vid. infra c. LI: 27. Jes. XIII: 3. Tseph. I: 7.

(singulos instructos instrumentis, quibus domus & arbores exscinduntur) & *rejecabunt* (cum ruptura violenta ac stridente; quæ est potestas verbi כרת) *selectionem cedrorum tuarum* (h. e. electas & optimas cedros, tum aulæ, tum familiæ, regiam itaque stirpem) *& projicient in ignem* (ad internecionem usque, horribili & sonora clade, ut iræ meæ satisfiat, delebunt &c.) γ. Denique *amplificatio* excidii, cum quod cum *urbis* excidio sit conjungenda, tum quod fama inter Gentes sit spargenda, & ab iis adprobandum hoc judicium, tanquam justum, ob Deum spretum & idola culta ab Hierosolymitanis vers. 8, 9. in quibus nihil residet obscuri: sive gentes hoc vere agnoverint, ut dux Babylonius Jer. XL, sive agnoscere debuerint; & facile potuerint, cum prophetæ Judæorum ipsis non fuerint ignoti, aut inhonorati, nihil etiam habeat opinioni ipsorum, secundum quam singulis populis sui erant Dei proprii & tutelares, contrarium; in opprobrium Judæorum, idola Deo nunc præferentium, sed & postea cum pudore agnituroum. Respicitur ad interminatoriam prædictionem Mosis Deut. XXIX: 23 &c. & Dei ad Salomonem 1 Reg. IX: 8, 9.

§. CCCXCVIII. 2. Subjungitur specialis recensio *regum* domus Judæ exscindendorum, ad superioris interminationis generalis ulteriorem confirmationem, & deductionem, usque ad finem cap. In qua pericopa α. fatum Sallumi, proximi successoris Josiæ, in exsilio, quo a rege Aegypti erat abductus, nunquam in terram reducendi, sed in Aegypto morituri, prædicitur, vers. 10-12 *Ne defleatis mortuum, neque quassatis caput ei; flendo deflete eum, qui abiit, quia huc non revertetur, &, vel ut, videat solum natale suum. Quia sic dixit Jehova de Sallumo filio Josiæ, regis Judæ, qui regnavit loco Josiæ patris sui, qui hoc loco egressus est; non redibit huc amplius: nam in loco, in quem transtulerunt eum exulem*, seu captivum, *morietur, nec terram hanc amplius videbit*. Quorum sensus est, non tam Josiam, licet immatura morte sublatum, esse deflendum, sicut solenniter quot-

an-

annis fecisse videntur, & hoc ipso tempore forte, quo prophetia edita est, quippe calamitati secuturæ ereptum, & in regno suo honorifice sepultum, quam filium & successorem Sallumum, in Aegyptum abductum captivum, quippe ibi moriturum, nec huc rediturum; aut regnum collapsum instauraturum. Verba priora, *ne deflete* &c. comparative esse accipienda, ut exposui, & de *Josia* intelligenda, a nonnullis, & Schmidio inprimis, recte est observatum: quare nihil addo, nisi illud unum, quod & Kalinskio, erudito viro, a vidi notatum, luctus ob Josiam fuisse anniversariam consuetudinem, & hoc ipso tempore forte habitam; qua occasione hæc verba protulit Jeremias. Ceterum notanda est phrasis אל תנדו לו *ne condoleatis, ei*, proprie ne *caput quassetis ipsi:* proprietas enim verbi נוד est in *quassatione*, unde *tremulæ nutationis* & vagationis fluxit notio: de qua ad Ps. XI dixi, hinc *quassatio capitis* in signum irrisionis, Ps. XXXVI: 12 & alio flexu *complorationis*, ut hic: quo & *caput quassare* apud Lat. transfertur. *Quassare* vero *alicui* est, caput quassando lugere aliquem; fere ut Gr. κόπτειν τινι *inflictis sibi verberibus aliquem lugere*. De quo vid. Cl. commentatores novissimi ad Herodot. b. Reliqua de *Sallumo*, in locum Josiæ evecto, sed a Pharaone deposito, ac in Aegyptum abducto, ubi moreretur, intelligenda esse, viderunt recte & illustrarunt nonnulli Interpretes; nec est hic aliquid obscuri. Hunc vero *Sallumum*, filiorum Josiæ tertium vel minimum natu, 1 Chron. III: 15 memoratum, esse ipsissimum Joachasum, collatio hujus loci & 2 Reg. XXIII ac 1 Chron. III: 15 dubitare non sinit. Præmittitur hic in serie successorum Josiæ tanquam *primus*, cui Jojakim & Jechonias mox subjunguntur; qui alius esse nequit ac Joachas 2 Reg. XXIII: 30, memoratus. Cum vero 1 Chron. præter Jojakimum & Tsedekiam duo tantum memorentur filii Josiæ, Jochanam & Sallum, alteruter oportet sit *Joachas*: sed *Jochanan*, quod nonnulli volunt, esse nequit, 1. quia alio venit nomine, & a Sallumo diserte distingui-

a ad vaticinia Habak. & Nah. p. 565 b. lib. II. p. 132.

guitur. 2 Quia Jochanan expresse adpellatur *primogenitus* 1 Chron. III. 15. cum tamen Joachas fuerit Jojakimo minor natu, ut ex 2 Reg XXIII: 31 & 36 liquet: Joachas enim 23 annos natus rex est electus, regnavit tantum *tres* menses; Jojakim vero, ei mox suffectus, jam 25 erat annorum, itaque senior Joachaso. Quod ipsum ex *unctione* ejus, ibidem expresse memorata, colligitur, cum primogeniti vel legitimi successores non solerent *ungi*. Accedit, ipsum a populo terræ fuisse electum, haud obscuro indicio, ipsi jus ad regnum non fuisse. Quæ ipsa quoque ratio movit forte Pharaonem, quare ipsum deposuit, tanquam usurpatorem regni, legitimo successore Jojakimo majore natu substituto. Nodum vero, quem hæc hypothesis nectit, quod Tsedekias in ordine filiorum Josiæ *tertius*, Sallum *quartus* occurrat, cum tamen ille, 11 annos post rex factus, 21 tantum natus fuerit annos, 2 Reg. XXIV: 18. adeoque Joachaso longe minor; solvere nequeo, nisi, vel ordinem 1 Chron. III. confusum, vel in numeris annorum vitæ, 2 Reg., mendum statuendo; quod exemplo non careret. Sic utique 1 Reg. XII: 21 Rehabeam 40 annos natus rex legitur factus, pro 20. Achaz 20 pro 25 2 Reg. XVI: 2 Jojachim 8 pro 18 2 Chron. XXXVI: 9. ut liquet ex 2 Reg. XXII. confirmant LXX, & approbat Piscator. Ceterum scopus inter alia est, declarare, regnum Judæ esse destruendum, nec in aliquo filiorum Josiæ instaurandum, cum alii sint occidendi, alii in exilium deportati non redituri; ut hic de *Sallumo*, deinceps de Jojakimo & Jechonia, prænunciatur. Quo forte etiam nominis *Sallumi* pro Joachaz mentio collineat, ad insinuandum, periodum *deditionis* regni & populi in servitutem ab hoc tempore sine interruptione fluxuram esse: cujus initium fuit in Joachaso captivo abducto a Pharaone, & *tributo* populo inposito, & Jojakimo ab eodem Ægyptio constituto, nomineque ejus mutato. 2 Reg. XXIII. Cum autem Joachaz fuerit primus regum Judæ ita tractatus, & ab eo tempore resp. sine interstitio fuerit collapsa; monumentum hujus fati in ipso nomine *Sallum*, Joachaso indito, quærere, & hinc rationem re-

petere licet, quare Jeremias ipsum non suo, sed hoc adventitio, nomine insignierit; sive Pharao ejus autor fuerit, qui & nomen successoris mutavit, uti postea Nebucadnezar in ultimo rege fecit, 2 Reg. XXIII: 34 XXIV: 17 in signum subjectionis; sive Jeremias ipse, qui etiam mox de *Jechonia* fecit *Chonia* vers. 24, 28. Quicquid sit, transiit hoc novum nomen in annales, sicut & Jojakimi ac Tsedekiæ 1 Chron. III. Nomen vero שלם recte de *dedititio*, in servitutem & captivitatem tradito, exponi, ex c. XIII: 14, & ibi notatis, facile elucescit.

§. CCCXCIX. β. Transit propheta ad *Jojakimum*, cujus corruptam regni administrationem cum indignatione exponit, & exemplo Patris longe contrario redarguit, denique fatum triste in exsilio prædicit, vers. 13-19. Totam enim hanc pericopam ad Jojakimum pertinere, & non, ut nonnulli putant, priorem partem ad Sallumum, nexus ejus facile edocet; & passim recte statuitur. Occurrit autem *a.* depravata regni administratio in luxu, pompa, & oppressione ac expilatione subditorum, sita, vers. 13, 14. *Heus* tu ille! *qui ædificat domum suam super injustitia, & cœnacula sua super violato jure; proximum suum servitute premit gratis, nec opera mercedem ipsi solvit: qui aicit; ædificabo mihi domum mensurarum* (amplissimam) & *cœnacula perflabilia*, vel *respiratoria* (laxa, spatiosa & amœna: radix רוח, a vento arrepta ansa, teritur proprie in flando, vel perflando; unde ad laxa spatia transfertur: sed, cum רוח quoque respirationem, & refocillationem denotet, cœnacula refectoria & amœna ac voluptuaria simul intelligi queunt, quæ Græc. ἀναψυκτήρια & ἐμψυκτήρια adpellantur a: sicut locus salubris & jucundus χωρίον ἀναπνεόμενον, πνεύματα διαρρέοντα ἔχον, εὔπνουν, ἀνάψυχον, & quæ alia sunt similia.) & *lacerat sibi*, (vel *ei*, domui) *fenestras* (eas pulchras faciendo, & coloribus obducendo, sicut meretrix *oculos stibio lacerare* dicitur Jer. IV: 30. quod per קרע *lacerare* videtur in-

a Vid. doctissimi & amicissimi duumviri, Wesseling & Valckenaer, ad Herodot. l. II. p. 167.

intelligendum,) *& contabulatum in cedro* (sc. tabulans, ac nitidum & politum reddens; quod est משח, proprie *rasit, abrasit*, opus rasile fecit, hinc polivit, radendo ornavit, nitidavit: latet in part. pass. simul act., ut sit ספון מספן, quod est facilius.) *& ungendo minio* (minio, vel alio colore pulchro & pretioso, ungendo. Quid sit ששר, nondum liquet; videtur esse ex שרש, sed nec ejus constat significatio; forte a שר *scintillare*, ut sit color intensius *rubens*: LXX reddunt ἐν μίλτῳ, & vulgo *minium* intelligunt, in quo acquiescendum est, donec major lux adfulgeat. Depingitur, simul damnatur, fastus & luxus regis non simpliciter, & qua talis, sed partim quod intempestivus esset, & signum spretarum minarum Dei, vid. Jes. XXVII: 12, 13. Am. VI 3. & alibi, partim quod cum subditorum oppressione & defraudatione fuerit conjunctus: quo phrasis, *ædificare super injustitia*, pertinet. vid. Mich. III: 19 Hab. II: 12 & alibi. Cohæret autem hæc pericopa cum seq., quo sermo ad regem vertitur, an *regnabis?* adeoque הוי in principio recte vertitur *heus tu iste*, ut rex quasi ad audiendum citetur, *heus tu iste!* qui ædificat &c. *an regnabis* &c. qua ratione recte decurrit oratio. Alias הוי redditur *va, eheu*; quo admisso, nexus ita est instituendus, *va tibi isti, qui* &c.

§. CCCC. *b*. Subjungitur reprehensio, exemplo contrario patris firmata, vers. 15--17. Ubi 1. cum indignatione rejicitur vana regis præsumtio, qua sese officio regis bene fungi, & regnum firmare ac prosperum facere, opinabatur, genio indulgendo, & fastui unice litando, vers. 15 his verbis: *num regnabis, quia tu exæstuas in cedro?* putasne, te regnum probe administrare, & prospere in regno ac diuturne acturum, quia luxuriaris & splendide vivis in domo cedrina? nihil minus fiet, & misere te decipis: id enim modus interrogationis indicat, una cum indignationis testificatione. *Regnare* est regis officium recte præstare, & diu ac prospere in regno agere: *exæstuare in cedro* est, cum *cedri* insano duci studio, tum luxuriari in medio cedri, seu domus cedrinæ; quod hic omnino intendi, ex seq. *edere & bibere* manifestum est. De verbo מתחרה, ejusque sensu, quo *ardere, exæstuare* dicit, supra ad c. XII: 5. di-

ad. 2. Redarguitur exemplo Patris Josiæ, qui laute quidem vivebat, sed simul officio recte defungebatur, & ideo prospere vixit, versu eodem his verbis: *Pater tuus nonne edit & bibit, & judicium fecit ac justitiam, tum bene ipsi.* h. e. Josias Pater tuus longe aliter instituit, edendo quidem & bibendo, sed eo non contentus, nec id solum agens, verum justitiæ & judiciis incumbens simul; *tunc* temporis prospere agebat. Nihil hic obscuri. 3. Instruitur rex directe via ad prosperitatem ducente; vers. 16. *Judicando judica adflictum & pauperem, tunc bene* (sc. tibi erit;) *nonne hac scientia mei? inspiratum Jehovæ.* Interpretes in præt. sumunt, & de Josia interpretantur, *judicavit judicium pauperis.* Sed rectius דן pro partic., & דין pro imperat. in Hiph. habetur, & vertitur *judicans judica*, ut tautologia vitetur, nam idem de Josia dictum fuerat, quod sine emphasi & ratione repeteretur. Ceterum cognitionem Jehovæ ejus agnitionem ac imitationem complecti, supra *a* jam observavi. 4. Denique, contraria a rege agi, additur vers. 17. *quia oculi tui & cor tuum non nisi ad lucrum tuum, & ad sanguinem innocuum, ut effundas, & ad oppressionem ac quassationem, ut facias.* Nihil hic difficilis: tantum notetur, aliquid reticeri, quod mente intelligendum est; at tu nihil minus quam hoc, sed contrarium agis, *quia* &c. quando cuncta recte cohærent. Vox מרוצה est a רוץ proprie *quatere*, quassare, unde currere *b*: convenit רצץ *contudit*, tundendo contrivit.

§. CCCCI. c. Pronunciat denique sententiam condemnatoriam nomine Dei in regem improbum, qua ad violentam & contumeliosam mortem condemnatus est, absque ut more solenni fuerit per lessus publicos inhumatus, sed cadaver ejus insepultum extra muros Hierosolymæ longe projectum, instar asini, vers. 18, 19. *Propterea sic dixit Jehova de Jojakimo*, vel ad eum, *filium Josiæ regem Judæ* (sed ipsi longe dissimilem, nec regem, sed tyrannum adpellandum) *non plangent*

a C. IX: 23.
b Vid. Cl. Schultens F. Diss. I. de utilitate dialectorum &c. §. 27.

gent ipsi (in honorem ejus gravem cientes luctum, quod est ספר: sive, quod Schultens a placet, proprie dicat *depilavit caput*, quod est Arab. סמר & שער, gravissimi luctus argumentum, sive sit *plangere*; πλήσσειν, κόπτεσθαι, uti LXX vertere solent, & Coccejus adoptavit. Quod forte probabilius, ita ut a sono sit fictum, ut & ספק *percussit vehementius* cum repercussione soni, uti ספר quoque est, *percussit vola* interiore. Concinit itaque Gr. τύπτειν τινι; de quo supra egi) *heu mi frater! & heu soror! non plangent ipsi, heu Domine! heu gloria*, seu Majestas! (inter publicos lessus non sepelietur honorifice: respicitur enim ad ejusmodi nænias, quarum formula, vel summa, erat, *heu frater, heu soror!* sicut cognati dicebant; *heu Domine, heu majestas ejus!* quod ad populum & subditos pertinebat. Sensus est, ipsi non esse plangendum sicut fratri solet aut sorori, nec etiam sicut regi & Domino; adeoque non esse publice & honeste sepeliendum. Unde patet, *sororis* hic fieri mentionem, nulla alia de ratione, quam ut indicaretur, ipsi non esse plangendum a cognatis, ut fratri fit ac sorori: nec alia hic quærenda emphasis) additur explicationis ergo, *sepultura asini sepelietur* (sine sepultura, saltem honesta, instar asini projicietur, ut seq. docent) *trahendo & projiciendo* (sc. trahent & projicient, vel trahetur instar cadaveris a canibus c. xv: 3.) *ab ultra portas Hierosolymæ* (*longe a* portis, ut Am. v: 27. Gen. xxxv: 21. Sensus in genere est, eum projectum, aut inhumatum, aut, si forte sepeliatur, contumeliose humandum, utique non in monumento patrio. Quod ipsum phrasibus sufficit. Quid? quod ἀπόταφος Gr. dicatur, notante Harpocratione, a qui est ἀπεστερημένος τῶν προγονικῶν τάφων, *majorum suorum sepulcro privatus*. Quæritur de implemento; circa quod diverse sentiunt Docti. Historia de eo nihil habet, sed nec contradicit. 2 Reg. xxiv: 6 simpliciter habetur, eum occubuisse, de mortis genere, & sepultura nihil. Phrasis enim *cubare cum patribus*

 ge-

a Clav. p. 275. b. in lex.

generalis est, nec violentam mortem aut abjectam cadaveris conditionem excludit; uti exempla Jeroboami 1. *a*, cum domo sua miserabiliter extincti, & projecti, *b* Baasæ *c*, Achabi *d*, & Amaziæ *e*, licet sepultorum, quod hic non additur, docent. *Cubare* cum *patribus*, & *sepeliri* cum iis, phrases sunt distinctæ: cum autem hic *cubasse* tantum dicatur cum patribus, eum non fuisse *sepultum* recte insinuatur, maxime horum librorum Reg. autoris stylo; qui prava facta regum Judæ, si non pessimi fuerint, aut prætereit, aut generali phrasi obiter adtingit. Præterea 2 Chron. XXXVI habetur, eum a Nebucadnezare fuisse *vinctum, ut abduceretur Babelem*: quod num factum sit, non constat; nec illud ex Ez. XIX: 8, 9 colligi potest, quia Jojakimi & filii ejus Jehojachini fata simul exhibentur: adeoque, quod vers. 9 de *inclusione caveæ*, & abductione ad regem Babelis habetur, non ad Jojakimum, sed *filium* ejus pertinet. Quod nunc monuisse suffecerit, forte alio tempore demonstrandum. Sed, si factum, oportet fuerit restitutus; nam Nebucadnezar anno Jojakimi tertio seu quarto ipsum invasit & cepit; regnavit autem deinceps factus ei tributarius, quando post tres annos rebellis a turmis Chaldæorum & aliorum populorum fuit oppugnatus; ut ex loco 2 Reg. XXIV liquet. Hoc itaque tempore oportet fuerit extra urbem raptatus, occisus, & inhumatus projectus, ut hic habetur, & deinceps repetitur c. XXXVI: 30. Hac ratione fata Jojakimi recte cohærent, & propheticæ interminationis implementum in salvo est.

§. CCCCII. γ. Pergit prophetia ad filium Jojakimi, *Jechoniam*, in spem successionis educatum; sed qui brevi quoque sede illa deturbaretur, & in exilium abduceretur, sine spe redeundi, vers. 20--30. Qua in pericopa *a*. præmittitur excitatio Hierosolymæ ad acerbum planctum in montibus Libani, Basan & Abarim, super confractis amasiis; ratione petita ab excidio, ipsi imminente propter malitiam diuturnam & in-

a 1 Reg. XIV: 20. *b* ib. vers. 10, 11. *c* 1 Reg. XVI: 4, 6. *d* ib XXIII. *e* 2 Reg. XIV.

invincibilem, vers. 20--33. Sermonem verti ad ipsam Hierosolymam, sub persona fœminæ, ex verbis gen. fœm. facile liquet; sicut c. XIII: 20-- & alibi instituit propheta; interserit autem hanc orationem ad Hierosol. prophetiæ de Jojakimo, & filio ejus Jehojachino, deturbandis, ut in illorum suum fatum contemplaretur, quo & ipsa destrueretur, amasiis suis orbata. Occurrit autem hic 1. exhortatio Hierosolymæ ad planctum super montibus, Libano, Basan, & Abarim, ciendum super fractis amasiis; vers. 20. *Adscende Libanum*, & *vociferare*; & *in Basan ede vocem tuam* (lugubrem) & *clama de Abarim, quia fracti sunt omnes amasii tui*. h. e. quod Josiæ duobus filiis partim accidit, partim eventurum dixi, cum illud & reliquis eveniet, proxime Jechoniæ; tu etiam ipsa destruenda sis, & in exilium abducenda, filia Tsion, seu Hierosolyma! excito jam te ad lamentationes, quas in montibus cieas, super confractis amasiis tuis, regibus & principibus domus Davidis, qui te maxime ornarunt, & amarunt; ita ut gemebunda dicas, *fractos esse amasios tuos*. Adhortatur itaque Hierosolymam, a. ad *lamenta*, quia brevi post ea forent cienda ab Hierosolymitanis, non itaque, ut passim accipi solet, auxilii causa sed in signum luctus & desperationis, ut ex seq. & vers. 23 patet; mox quoque materia clamoris ponitur in amasiorum confractione. Involvit quidem צעק *quiritationem*, seu implorationem auxilii, sed hic vagam, ut solent desperabundi, qui *tempestatem querelarum* cient, quod proprie est צעק, cujus primaria virtus est in *fragore prorumpente*; unde inter alia ad *clamorem* præ dolore transiit a. Altera phrasis *dare vocem* quoque selecta est, quæ, *vocem* sonoram instar tonitru ex ore magna vi mittere, denotat, uti & alibi pro vocem *edere* sumitur b. Respicitur vero ad ritum & morem receptum, quo aliquid vulgaturi *montem* conscendebant, ut latius spargeretur. Vid. Jud. IX: 7 Jes. XL: 9 & alibi. b. Loca memorat, ubi querelas illas effunderet, *Libanum*, *Basan* & *Abarim*; (montes enim trans Jordanem, & non trans-

itus,

a Vid. ad Ps. XXXIV: 18.

b Job. I. 22. Prov. II. 3, VIII. 1 & mox recurrit c. XXVI: 6.

ctus, significat vox עברים; notique sunt illi in eo tractu, a cum quod per ea loca in exsilium abiret, vel dispergeretur, tum in primis, quod ex illis montibus fuerint *cedri*, *quercus*, & alia ligna ad ornandam Hierosol. deportata, tum quod similis sit Hierosolymæ *sors* & *conditio*, & idololatriæ, & excidii respectu; ut ad vers. 6. vidimus, & mox vers. 23. exponitur. *c.* Materiam lamentationum exhibet, his verbis: *quia fracti sunt amasii tui*, sc. reges, principes & fautores, quibus gloriabatur Hierosolyma, & a quibus diligebatur, & ornabatur. Quæ verba non tam *rationem* adhortationis ad lamenta, quam lamentorum *argumentum* sistunt; occurrunt enim in præt., & non fut., adeoque materiam potius lugubrium vocum, suo tempore ciendarum, repræsentant, quibus dicerent: *fracti sunt omnes amasii mei!* quod demum locum haberet, cum, tota regia familia destructa, Hierosolyma ultimum suum fatum inveniret: quod propheta hac exhortatione insinuatum voluit. Possent etiam verti, *quum fracti fuerint*, ut brevi fiet, tunc *clama*, ut debebis facere. Non itaque sunt populi alii, a quibus auxilium petebant, ut passim putatur, sed reges, & fautores Hierosolymæ, ut ex vers. 22. manifestum est.

§. CCCCIII. 2. Exhortationis rationem, & expositionem, subjungit propheta duplicem, alteram ad *lamentationem*, alteram ad *loca* modo memorata, super quibus ploraret, pertinentem: hac enim ratione sermo recte distinguitur, & nexus ejus constituitur. *a. Prior* pars exhibet prophetiam de amasiis & pastoribus e medio auferendis: super quibus modo jusserat ut lamentaretur Hierosolyma, sed præmissa obstinatæ pervicaciæ, tanquam causæ hujus mali, declaratione, vers. 21. 22. *Locutus sum ad Te in opimitatibus tuis* (cum opimis & lautis rebus gaudebas, simul insolescebas & luxuriabaris; quæ continet vox שלוה, tecum disceptavi, & redarguendo, & ad meliorem mentem revocando, quod verbum דבר comprehendit, ut c. V: 5. & alibi habuimus) *dixisti*, *non audi-*

a Vid. Num. XXVII: 12. XXXIII: 47, 48 Deut. XXXII: 47.
b Schultens Orig. t. III. p. 65.

audiam: [& verbis aliquando, sed passim operibus & factis) hæc *via tua a pueritia tua, quod non audivisti vocem meam* [hoc institutum inobedientiæ a longo, imo ab initio fere, tenuisti; uti sæpe huic populo exprobratum est.] *omnes pastores tuos depascetur ventus* [reges & principes longe lateque dissipabuntur, & disparebunt: hoc enim est, *ventus depascetur*, ut facile intelligitur. Sed elegantia & emphasis orationis non erat negligenda, quæ sese facile prodet, si in hanc cudatur formam: *pastores* tui, qui te *vento* paverunt, & dissipationi ac excidio tradiderunt, ut mox c. XXIII. 2. videbimus, illi ipsi instar *ovium* eandem sortem subierunt, ipsum *ventum*, sive urentem sive dissipantem, pro *pastore* nacti, qui eos depascitur sive abripit, uti Psf. XLIX. 15. *mors* pastorem agere dicitur.)

§. CCCCIV. *Et amasii tui in captivitatem ibunt, & peribunt* [quod utrumque verbum ילך *ire* continet. Sunt itaque amasii & pastores iidem, & non illi extranei, hi populares; ut vulgo censetur: de quo modo egi. Membra enim versus sibi respondent, & se illustrant; quod modo figurate, illud mox simplicius traditur: nec extraneorum abductio in exilium huc quadrat: maxime cum Hierosolyma ante fuerit destructa, & ipsos populos vicinos senserit hostiles. Quod si *pastores* & *amasii* sint distinguendi, per *illos* intellexerim *rectores*, reges, principes, & judices, per *hos* vero vates & sacerdotes, *cum* quod cap. XXIII. hac ratione distincte ad eos sermo fiat, *tum* quod *pastorum* titulus sit regum & rectorum proprius apud Prophetas, quorum erat, civilia & ecclesiastica curare & dirigere; de quo ad c. XXIII. *amasiorum* vero in prophetas & sacerdotes aptius conveniat, in specie qua procos, qui idololatriæ patrocinabantur, & populum decipiebant, ac in sui amorem trahebant. Vid. c. VII. 31. & Thren. I. 19. titulus vero iste semper in vitio ponitur) *tunc enim pudore adficieris, & ignominia frangeris* propter *omnem nequitiam tuam.* Quæ nihil difficilis habent. β. *Posterior* pars ad loca lamentationis, supra memorata, pertinet, & rationem eorum dat præcipuam: vers. 23. *sedes in Libano, nidulas in*

cedris [proprie *sedens tu*, *nidulans tu*; non enim sunt verba ex part. & præt. conflata, ut putatur, sed contracta ex præt. & pronomine; ut ישבתי sit ישבת אתי, & מקננתי pro מקננת אתי, sicut docuit Cl. Schultens *a*. Respici ad domos cedrinas, & cedrorum copiam Hierosolymis, facile intelligitur: unde simul ratio patet, quare supra lamenta injunxerit super Libano; cum inde gloria &c. fuerit in urbem invecta.] *quam argutum & stridulum in sonum conjicieris, cum invalerint te tormina, versans dolor instar parturientis* Alluditur ad lamenta supra memorata, ut facile adparet; sed verbum נחנתי, non intellectum, verbo est expediendum. Radix statuenda est חנן, cujus origo est in sono gutturis argutiore vel stridulo, ex sono itaque fictum verbum; unde ad commiserationem vel tenerrimum adfectum transiit, quippe quem monstrant animantia stridulo sono gutturis *b*. Sed nonnunquam ad solam respicitur comparationem, & argutior ac flebilis sonus ex gutture editus simpliciter indicatur: ut Ps. XXVIII: 2 *audi vocem stridoris mei.* Forma vero נחנתי est contracta ex נחנה אתי absorpto *he*; *aleph* & dagesch forti cum tzeri ad characteristicam redeunte, ut docuit Schultens *c*, adeoque in Niph. verbi חנן, dicitque in stridulum & flebilem sonum conjici: ut verti. Reliqua sunt facilia; recte enim sequitur, *quum supervenerint tibi tormina* &c.

§. CCCCV. *b*. Hac prædictione de flebili Hierosolymæ sorte inserta, pergit Propheta ad Jechoniam, filium Jojakimi, ad regnum destinatum, & in ejus locum sufficiendum, cujus miseram quoque sortem *a*. prædicit, oratione primum figurata, dein propria; qua ratione sermo recte distinguitur. 1. Figurate vers. 24. *Vivo ego, dictum Jehovæ: si foret Chonia filius Jojakimi, regis Judæ, annulus signatorius in manu mea dextra, profecto te inde avellerem.* h. e. si Jechonia, filius Jojakimi, tam arcte mihi esset adligatus, tamque adamatus

a Gr. p. 309. *b* Id. ad Job. XIX: 17. Prov. XXVI: 25.
c Gr. p. 487.

tus, & curatus, quam solet esse annulus signatorius, dextræ adjunctus, qualis non est, licet putet; nec aliter se gereret ac nunc facit, eum cum indignatione avellerem & projicerem. Oratio non in fine tantum per affectuosam apostrophen vertitur ad eum, sed tota censenda est ad eum directa; tantum elegantiæ causa & emphasios *nomen* ipsius exprimitur, & in tertia persona de ipso in principio fit sermo: sicut sæpe alias fit. Comparatio cum *annulo signatorio* in *dextra* pertinet ad dignitatem, conjunctionem cum Deo, & adfectum ac curam Dei exprimendam; nec necessario involvit, talem esse, verum conditionata est oratio, *si esset*; & ad opinionem regis ac populi adcommodata, qua pro tali habebatur: præterea si esset talis, & tamen *avellendus* dicatur, subintelligi debet, nec *aliter* sese haberet ac gereret, seu ita a pristino statu degenerasset, eum avellerem & projicerem: vel etiam, hoc non subintellecto, ei ne sic quidem parcerem, aut regno adeo corrupto propter ipsum; sed communi malo & calamitati eum una involverem. Reliqua ab interpretibus satis illustrata sunt. Tantum observo, nomen Jechoniæ a propheta non sine ratione esse decurtatum, prima syllaba demta, ut eo ipso, regiam dignitatem in domo ejus non esse deinceps *stabiliendam*, significaret. Quod Ligtfotus [a] recte observavit, absque tamen ut, qua in re id situm sit, distincte addiderit. Quod si in nuda decurtatione quæsiverit, uti fecit Cl. Grotius, rem acu non tetigisset. Quæri enim in præf. ', tanquam nota fut. ablati, debet; ita ut nomen, hac nota privatum, indicet, regiam Majestatem in domo ejus non amplius in posterum *firmandam*, sed ab ea auferendam esse. Quo ipsa prophetica denunciatio clare tendit. Cum tamen ex ipsius domo postea oreretur Messias, instar *annuli signatorii* in manu Dei ponendus Hag. 11. fin., qua prærogativa hic orbatur Jechonias, ejusque signum prænuncium foret in ipso Zerubbabele, mox post exilium, ut ib. innuitur, nomen truncatum Choniæ in annales non est translatum, sed *Jechonia*; sicut mox

[a] Harmon. Euangel. p. 275.

c. xxiv. & in *lib.* 2. Chron. adpellatur. 2. Subjungitur mox figuratæ orationis explicatio, & proprio magis sermone declaratur, tradendum eum cum matre hostibus, & in exilium deportandum, unde reversurus non sit; vers. 25--27. *Et tradam te in manum quærentium animam tuam, & in manum eorum, a quorum facie divertis* præ metu, *&*, nempe, *in manum Nebucadnezaris, regis Babelis, & in manum Chaldæorum. Et te, matremque tuam, quæ te peperit, elongabo in terram alienam, in qua non estis nati, & ibi moriemini. Nec, quam terram anhelant, ut in eam redeant, in eam revertentur.* In quibus nihil est impediti. Tantum not., versum *27mum*, ad confirmandum superius dictum de morte ejus in terra peregrina, adjungi, & in tertia propterea persona occurrere, seseque simul ad omnes eos extendere, qui cum ipso in exsilium irent, quippe non redituros, quantopere etiam desideraverint, & se spe illa lactaverint: quod phrasis, *adtollere animam*, pro anhelante spiritu adpetere, indicat a. Præterea verbo observo, me phrasin יגור מפניהם vers. 25 reddidisse *a quorum facie divertes*, ad magis propriam verbi גור potestatem, in *divertendo*, vel *deflectendo* a via, sitam, respiciens; unde inter alia *formidandi* notio fluxit, cum metus indicium præbeat, qui ab alicujus conspectu divertit, & iter reflectit. Quemadmodum Lat. oculi *inflexi* metum, & *infixi* audaciam exprimunt.

§. CCCCVI. β Prædictionem superiorem confirmat & exaggerat per modum colloquii inter terram, ad superiorem prophetiam adstupentem, & eam pro incredibili habentem, & Deum, confirmantem excidium Jechoniæ, ac ad posteritatem ejus extendentem. Qui verus videtur conspectus & scopus pericopæ vers. 28--30. in qua terra introducitur admirationem ac stuporem significans, & Deus miseram Jechoniæ sortem confirmans. Patet enim ex sermone Dei ad *terram* converso vers. 29. ejus verba fuisse modo recitata vers. 28., uti nonnulli recte observarunt. Terra, pro terræ Cananææ, seu

a Vid. ad Ps. xxiv: 4. & Schultens ad Prov. xix: 18.

ſeu Judææ, incolis ſumta, quod facile adparet, introducitur in hæc verba loquens, verſ. 28. *An nervus ſpretus, eliſus, vir ille Chonia? an vas*, vel *ſicut mihi, in ipſo nulla delectatio? quare elongati ſunt, ipſe & ſemen ejus? & projecti ſunt in terram, quam non noverunt?* h. e. Cum Jechonias ſit robur & firmamentum meum, nihil minus quam mihi non delectabile; talene quid pro ſpreto & excuſſo haberetur, & tractaretur? quam illud indignum & mihi ſtupendum occurrit; quare igitur, & qui fieri poſſet, ut ipſe cum ſemine in longinquas terras ablegaretur, & projiceretur? Verba ſunt terræ, ut dixi, admirantis, & ad ſuperiorem prophetiam adſtupentis, eamque refutantis, ſeu in dubium vocantis; acſi fieri non poſſit, utique non debeat, ut tantus, tamque deſiderabilis vir, cujus tanta erat utilitas & neceſſitas ad remp. ſartam tectam faciendam, tam indigne tractetur, & a rep. avelleretur. Relegamus, ſecundum hanc hypotheſin, verba, & illuſtremus: *an nervus*, dicit terra, *ſpretus & eliſus vir iſte Chonia?* (h. e. an vir iſte, vere *nervus* meus, firmamentum & columen regni mei, an iſte foret quid ſpretum & excuſſum? an iſto privarer? non rogat, ſitne talis ſpretus nervus Jechonias? ſed num *nervus iſte* ſperneretur & eliderетur? Vocula הזה vir *iſte* emphaſin habet, non, ut alias, in contemtum, ſed ad præſtantiam augendam; uti 1 Reg. VI: 10. Pſ. XXIV: 6. 8 Jer. XXV. 4. & alibi. Vox עצב recte *nervus* vertitur, & pro principe, remp. firmante, ſumitur; ut docuit Cl. Schultens *. Nervus *ſpretus*, proprie *tractus* per terram, & pedibus conculcatus, ita contumelioſe tractatus, (radices נז, נוז, & נה, apud Arab. obviæ, in *trahendo* ſedem habent) *eliſus* vel excuſſus, aut proprie diffractus cum *diſſultu partium*, quæ vis eſt verbi נפץ ex *ſono* orta. Senſus ergo eſt, iſtone vir, nervus meus, foret *ſpretus & excuſſus*, omni vigore deſtitutus, & abſciſſus? quam hoc incredibile, quam intolerabile!) *an vas, in quo nulla acquieſcentia?* (eodem ſenſu, an tractaretur ut tale vas, nemini acceptum, publice rejectum? ſed

* Defect. §. 161.

כלי quoque verti poteſt, an *ſicut mihi non delectatio in eo*, h. e. eſt ne ille vir talis, ut nomen mereatur, לא חפץ בו, vel אין; nonne contrarium חפץ בו; ſicut 2 Reg. XXI: 1. mater Manaſſis adpellatur, & Eccleſia quoque a Deo Jeſ. XLII. 4. Senſus ergo foret, nullo modo hunc virum talem eſſe, ut hoc nomen tam triſte & contumelioſum in ipſum quadret, ſed contra mihi ſumme delectabilis eſt; non itaque tam indigne tractandus.) Sequitur, *quare elongati ſunt ipſe & ſemen ejus* &c. (h. e. quæ itaque ratio eſſe poſſit, quare de ipſo aliquando dici debeat & poſſit, *elongati & projecti ſunt* &c. nulla dari poterit, nec fieri poteſt, ut talis elongatio ipſi eveniat. Huc enim tendit tandem admirabunda interrogatio terræ, ut verba interminatoria prophetæ de Jechonia tanquam incredibilia rejiciantur. Verba, *elongati* & *projecti* ſunt, non idem dicunt, nec fruſtra conjuncta; prius enim ad *longinquam* terram, in quam tranſportarentur; poſterius ad *totalem* abjectionem, ſine ſpe reſtitutionis, reſpicit. Radix enim טול Arab. eſt, *longus* fuit & *longinquus*, inde in Hiph. *elongavit*, in longinquum projecit. Altera vero radix שלך, proprie *laxavit*, inter alia denotat, *laxato* freno ſibi permittere aliquem: uti Job. XXI: 11. & alibi, & ſic *rejicere* a facie ſua.

§. CCCCVII. Reſponſum prophetæ ad hanc terræ objectionem, quo ſuperior prophetia de Jechonia confirmatur, & exaggeratur, ita habet verſ. 29, 30. *Terra, terra, terra audi verbum Jehovæ* (terræ incolæ, qui, quod dixi, credere non poteſtis, audite verbum Jehovæ, ut de interminatione mea magis convincamini. Trina *terræ* repetitio etſi cenſeri queat ad emphaſim orationis augendam facta, uti a nonnullis recte obſervatum eſt; nihil tamen impedit, quominus ad triplicem terræ periodum, ante & poſt exilium Babylonicum, & ſub Maccabæis, referatur, ſicut ſimile myſterium Ez. XXVII: 27. & ſupra c. VII: 2. recte admittitur. Extendit utique ſeſe interminatio prophetica ad omnia ea tempora, quibus nemo de ſtirpe Davidica thronum Davidis inſideret:) *ſic dixit Jehova; ſcribite virum hunc nudatiſſimum, virum,*

qui non prosperabitur in diebus suis; quin imo, nemo ex semine ejus prospere aget sedens in throno Davidis, & dominans in Juda h. e. Quam incredibile etiam vobis accidat, quod dixi, o incolæ terræ! fiet tamen, imo plus, cum ipse non tantum suo tempore non prospere acturus sit; sed nec aliquis e posteritate ejus: adeo ut Jechoniam ex sententia Dei, in ipsum lata, scribere debeant, & in tabulis genealogicis inserere, omni salute & prosperitate esse orbum, ac malis expositum, eo etiam usque, ut posterorum ejus nemo sit thronum Davidis possessurus. Nihil hic nobis fere relictum est observandum: quare paucis defungar. 1. *Scriptura* imperatur, ut indicetur, sententiam Dei esse latam, & posteritati commendandam, adeoque ut perpetua hujus prædictionis superesset memoria. Sic Arab. *scribere* de sententia judiciali frequenter occurrit; etiam alibi in Script. S. *a* 2. Vox ערירי signat *nudatissimum*, omni auxilio & prosperitate ac gloria orbum, & quibusvis malis expositum: vid. ad cap. XVII. 6. est a rad. ערר per duplicationem litteræ ר: ad emphasin augendam. Ex quo itaque colligi non potest, ipsum omni caruisse posteritate; quod ipsi huic loco, ubi *seminis* ejus fit mentio, foret contrarium, & ex tabulis genealogicis 1 Chron. 3: 17. refutaretur. Nec scio, vocem ערירי usquam ad *sterilitatem* restringi, ut omnem prolem excludat; utique Gen. XV. 2 non *sterilem* denotat, sed ejusmodi filio, qui in bona & promissa Abrahami succedere possit, orbum: nec Lev. XX: 20. 21. *sterilitatem*, sed imputationem in semen hæreditarium designat, uti post Abarbanelem jam adfirmavit Cl. Michaelis; *b* ut sensus sit, quem Schol. Vat. recte expressit, *semen ipsis non esse imputandum in liberos*. 3 גבר verterim *virum*, & ad Jechoniam ipsum retulerim; ut in versione expressi, ac אשר subintellexerim ante יצלח. Sensus est: scribite hunc virum *heroem*, qui *non prosperabit* in *diebus suis*; quantus etiam *vir* sit, tamen non aget prospere: 4. Vocula כי hic, ut alibi, vim ex-

a Job. XIII. 26. Jes. LXV. 6.
b de Legibus conjugal. Mos. c. VI. §. 83.

exaggerandi habet, ut sit, *quin imo*. Ceterum, quod ad inplementum adtinet respectu *posteritatis* Jechoniæ, observandum est, *a.* agi hic tantum de prosperitate posterorum Jechoniæ, non de posteritate, qua tali; non enim negatur, ipsum posteros habiturum, sed prospere agentes. *b.* nec qualemcunque *prosperitatem* intelligi, sed relate ad regiam Majestatem; adeo ut posteros ejus simpliciter negetur in solio regni Davidis sessuros; uti verba ipsa docent. *c.* Num semper, an ad certum tempus tantum, hac dignitate privandum sit semen Jechoniæ, hinc pro certo colligi nequit, sed in incerto relinquitur. Potest tamen in perpetuum extendi, si ad regiam Majestatem, vel supremam & liberam potestatem, referatur, ut debet. Phrases enim, insidere thronoDavidis & dominatorem esse in Juda, vel regiam, vel supremam dignitatem, & potestatem in libera rep. denotant. Zerubbabel quidem *dux* fuit, sed non *dominator*, nedum rex, quippe *Persarum* regibus, etiam satrapis, obnoxius. Accedit, post eum neminem e domo Davidis ea vestitum fuisse eminentia, nec ipsum diu præfuisse. Adeo ut, eo non obstante, Jechonias æque dici potuerit regia, vel illustri, sobole orbus, ac Jojakim pater ejus, c. XXXVI: 30. licet filium habuerit Jechoniam successorem ad brevissimum tempus, quem non habuit Zerubbabel, aut aliquis posterorum Davidis post exsilium. Quæ si observentur, nihil hic residebit difficultatis.

§. CCCCVIII. Habemus itaque hic luculentamprophetiam de externa dignitate regia domus Davidis in perpetuum e medio tollenda; cui aliæ concinunt prophetiæ, quæ hanc ipsam domum, qua talem, depingunt, tanquam *zonam* Dei corruptam & abjectam, ubi supra c. XIII habuimus, præterea *truncum* excisum Jes. XI: 1. *summum ramum cedri*, Jechoniam, ultimam & genuinam Stirpem Davidicam regiam, *decerptum*, & *traditum* in potestatem ac ditionem alterius per Nebucadnezarem, Ez. XVII: 3, 4. & 22. ubi *tradere* est dedere; *coronam eversam, eversam, eversam* ib. XXI: 27 *tentorium Davidis prolapsum* Am. IX: 11. Ex quo

Ma-

facile colligitur, Messiam non posse externum & terrestrem esse regem. Nec tamen hinc cogendum est, hanc domum ita esse a Deo abjectam, ut alio conspectu non sit restituenda. Contrarium eædem docent prophetiæ. Ex trunco enim exciso *virga emicaret*, *& ex radicibus ejus surculus refloresceret*, Jes. XI. de summitate stolonum cedri, a Deo traditæ, & projectæ, *tener excerperetur*, primum *plantaretur in monte* tantum convexo, sine ulteriore successu, humilis & tener mansurus, qui est Zerubbabel, dein in montis *vertice altissimo*, & cum prosperrimo successu, quo ramos protulit, fructus fecit, & magnificus per totum orbem evasit; qui est Messias, Ez. XVII. 22, 24. corona *contemta* maneret, *donec venerit*, *cujus est judicium*, *cui danda* est, Ez. XXI: 27. *tugurium* Davidis prolapsum erigeret, & instauraret Deus, Am. IX. 11. imo, quod hic de Jechonia, tanquam *annulo signatorio in manu* avellendo & abjiciendo traditur, illud alio conspectu esse in Zerubbabele, nepote ejus, instaurandum, ita ut *ponendus sit*, *tanquam annulus signatorius*, in Messia, ex ipso nascituro, expresse promittitur, Hag. III: 23. Denique, ne plura congeram, *germen justum Davidi* esse in Messia suscitandum, mox cap. seq. XXIII: 5. videbimus.

CAP. XXIII.

1 *Væ pastoribus perdentibus & disjicientibus oves pascui mei! inspiratum Jehovae.*

2. *Propterea sic dixit Jehova, Deus Israelis, de pastoribus, & contra eos, qui pascunt populum meum: vos disjecistis oves meas, & profligastis eas, nec visitastis eas, ecce me visitantem super vobis malitiam facinorum vestrorum! inspiratum Jehovæ.*

3 *Et*, vel *at*, *ego reliquias pecudum mearum colligam*

gium ex omnibus terris, in quas expuleram eas, & redire eas faciam ad caulas suas, & fructificabunt; & multiplicabuntur.

4. *Et præficiam ipsis pastores, &,* vel *qui, pascent eas, nec timebunt amplius, nec conterentur, nec desiderabuntur. Inspiratum Jehovæ!*

5. *Ecce! dies veniunt, inspiratum Jehovæ! &,* vel *quibus, suscitabo Davidi germen justum, & regnabit rex, & prosperabitur, & faciet judicium & justitiam.*

6. *Temporibus ejus salvabitur Juda, & Israel secure habitabit; & hoc nomen ejus, quo vocabit ipsum, Jehova justitia nostra.*

7. *Propterea,* vel *profecto, ecce dies veniunt; inspiratum Jehovæ! &,* vel *quibus, non dicent amplius; vivit Jehova, qui eduxit filios Israelis e terra Ægypti.*

8. *Sed, profecto vivit Jehova, qui eduxit, & qui adduxit semen domus Israelis e terra septentrionis, omnibusque terris, in quas eos propulero, &,* vel *ut, terram suam inhabitent.*

9. *Ad Prophetas. Contractum est cor meum in medio mei, emollita sunt ossa mea omnia! sum ut vir ebrius,* vel *amens, & sicut heros, quem transiit,* vel mundavit, *vinum, præ facie Jehovæ, & propter verba sanctitatis ejus.*

10. *Quia plena est terra adulteris, quamvis præ maledictione emarcuerit terra, exaruerint pascua deserti, & concussio eorum sit conquassata, eorumque insolens fortitudo nihil minus quam firmi quid.*

11. *Quia etiam propheta, etiam sacerdos, loripedes agunt, in domo quoque mea inveni malitiam eorum.*

12. *Prop-*

12. *Propterea erit ipsis via ipsorum sicut lubricitates in densa caligine, inpellentur & cadent in ea, quia in eos adducam malum anno visitationis eorum: inspiratum Jehovæ.*
13. *Et in prophetis Samariæ vidi fatuitatem, vaticinati sunt in* nomine *Baalis, & populum meum Israelem oberrare fecerunt.*
14. *Et in prophetis Hierosolymæ vidi rem horrendam, adulterare & mendaciter ambulare, & confirmant manus maleficorum, ne revertatur quisque a malitia sua,* & ut *sint mihi omnes sicut Sodoma, & incolæ ejus sicut Gomorrha.*
15. *Propterea sic dixit Jehova exercituum de prophetis: ecce me cibantem eos absinthio, & potabo eos cicuta, quia a prophetis Hierosolymæ emicavit vacillatio in totam terram.*
16. *Sic dixit Jehova exercituum: ne audite verba prophetarum, vobis vaticinantium; illi vos turgore multo inflant, visum cordis sui loquuntur, nihil ex ore Jehovæ*
17. *dicentes. Dicunt contumacibus meis rebellibus; locutus est Jehova, pax erit vobis, & omnibus, in umbilicatione,* vel *impetu, cordis sui ambulantibus, dicunt, non superveniet vobis malum.*
18. *Quia qui stetit in secreto Jehovæ,* is *videbit etiam, & audiet verbum ejus, qui aure purgata attenderit verbum ejus, is audiet.*
19. *Ecce! ventus urens Jehovæ, ira exæstuans, emicat, & turbo parturiens super caput improborum versabitur,*
20. *non recedet,* aut *remittet, donec perfecerit, & donec cogitationes cogitatissimas, & destinationes cor-*

 dis

dis sui stabiliverit: ultimo tempore inspicietis in illud intelligentia.
21. Non misi prophetas illos, & illi cucurrerunt, nec locutus sum ad illos, & illi prophetarunt.
22. Etenim si in secreto meo stetissent, & audire fecissent populum meum verba mea, &, vel ut, reverti eos faciant a mala ipsorum via, & a pravitate operum ipsorum.
23. An Deus e propinquo ego sum? inspiratum Jehovæ, & non Deus e longinquo?
24. An obvelabitur quisquam in latebris, nec ego ipsum videbo? inspiratum Jehovæ, nonne cœlum & terram ego impleo?
25. Audivi, quid dixerunt prophetæ isti, qui in nomine meo falsum vaticinantur, dicendo, somniavi, somniavi,
26. Quousque audiam? solidum est, vel est ne solidi? in corde prophetarum illorum falsum vaticinantium: & quousque audiam vates fraudis cordis sui?
27. Qui machinantur populum meum adducere ad oblivionem nominis mei somniis suis, quæ quisque proximo suo narrat, sicut patres obliti sunt nominis mei in Baale.
28. Propheta, cui erit somnium, narrabit illud, & cui erit verbum meum, loquetur verbum meum ex vero. Quid est paleæ cum tritico? inspiratum Jehovæ.
29. Nonne adustio verbum meum, vel vis verbi mei sicut ignis? inspiratum Jehovæ; & sicut malleus, rupem diffringet
30. Propterea ecce me contra prophetas illos, inspiratum Jehovæ, qui furantur verba mea, quisque a proximo suo.

31 Ecce

31. *Ecce me contra prophetas falsorum somniorum, inspiratum Jehovæ, quæ narrant, & populum meum oberrare faciunt mendaciis suis, & falsa sua gloriatione, nec ego misi eos, nec præcepi ipsis, nec illi arcem scandere hunc populum faciunt. Inspiratum Jehovæ.*

33. *Et cum rogaverint te, populus iste, aut propheta, aut sacerdos, quænam gravis ista sententia Jehovæ? iis dices, quod onus?* vel *vos estis onus, & abjiciam vos, inspiratum Jehovæ,*

34. *Et propheta, & sacerdos, & populus iste, qui dixerit, onus,* vel *sententia onerosa, Jehovæ, visitabo virum hunc & domum ejus.*

35. *Sic dicetis, quisque proximo aut fratri suo, quid respondit Jehova, & quid dixit Jehova?*

36. *Nec onus Jehovæ amplius memorabitis, quia cuique verbum suum erit oneri, & verba Dei vivi, Jehovæ exercituum Dei nostri, pervertistis.*

37. *Sic dices prophetæ, quid respondit tibi Jehova? & quid dixit Jehova?*

38. *Et si onus Jehovæ dixeritis, propterea sic dixit Jehova, quia dixistis verbum hoc, onus Jehovæ, & misi ad vos, dicendo, non dicetis onus Jehovæ.*

39. *Propterea ecce me, & portavi vos portando & efferendo & abjicio vos, & urbem hanc, quam vobis & majoribus vestris dedi, a facie mea.*

40. *Et impono vobis opprobrium sempiternum, & ignominiam aeternam, quae oblivioni non dabitur.*

§. CCCCIX.

Altera & *posterior* pars concionis, hoc cap. comprehensa, directa est ad, & contra, rectores politicos in genere, dein prophetas & sacerdotes, doctores & rectores Ecclesiasticos, quibus imputatur interitus reip. & Ecclesiæ, ac severum Dei judicium denunciatur, intermixtis consolatoriis prædictionibus liberationis populi ab exilio, instaurationis, & salutis in Messia. Sunt itaque, pro ratione objectorum sermonis, duæ ejus *partes* generales, quod omnes observarunt, & res clara est. 1. *Prior* de pastoribus agit vers. 1.-8. 11 *posterior* de prophetis & sacerdotibus vers. 9-40. 1. In *priore* parte *α* pastores reprehenduntur tanquam autores excidii reip. & Ecclesiæ, iisque judicium Dei denunciatur, vers. 1. 2. ita ut generale væ pastoribus malis præmittatur, quod mox ad pastores Judæ adplicatur. *a. Prius* his verbis vers. 1. *væ pastoribus perdentibus & disjicientibus oves pascui mei, inspiratum Jehovæ*. h. e. qualescunque & quandocunque fuerint mali gubernatores & rectores populi Dei, qui cives & subditos partim opprimunt, partim directione & exemplo pravo in causa sunt, ut bonis, hæreditate, libertate & terra sua priventur, aut etiam vita, maledictioni Divinæ obnoxii sunt, & male peribunt. In verbis, post hanc paraphrasin, nihil superest observandum. *β. Posterius*, quo dictum generale adplicatur ad præsentes, & mox futuros, rectores populi Judæi, ita habet vers. 2. *propterea, sic dixit Jehova, Deus Israelis, de pastoribus (& contra eos) pascentibus populum meum; vos disjecistis oves meas*, & *profligastis eas*, *nec visitastis eas*; *ecce me visitantem super vobis malitiam facinorum vestrorum, inspiratum Jehovæ* h. e. Cum væ a Jehova in omnes pastores improbos denunciatum sit, ut modo dixi, propterea vos, mali pastores, qui oves Jehovæ, seu populum ejus, in perniciem præcipitatis, manum Dei vindicem mox experiemini. In oculis habet propheta rectores politicos Judæorum

rum in primis, qui post Jechoniam abductum forent. 1. Ejusmodi rectores hic intelligi, secus ac alii volunt, sacerdotes & prophetas iis addentes, patet *a.* ex c. XXII: 22. ut ibi vidimus. *b.* ex eo, quod mox sese ad prophetas & sacerdotes vertat oratio, vers. 9. *c.* quod iis opponantur boni rectores, & eorum princeps Messias, qua rex, vers. 4, 5. *d.* Addo, quod haud leve adfert pondus, & adverti meretur, *pastoris* titulum in Scriptis ante exsilium Babylonicum passim pro summis rectoribus, aut ducibus bellicis, sumi, sacerdotibus & prophetis quoque subinde expresse exclusis. Sic Ps. LXXVIII: 71 & 2 Sam. V: 2 de Davide, Jes. XLIV. 28 de Cyro, Jer. VI & XII de ducibus hostilibus, c. X: 21 de supremis praefectis Judaeorum, XXV: 34 ubi *pastores* & *illustriores* gregis sunt reges & principes. Nomina *pastoris* & נשיא *principis* ac ducis permiscentur quoque apud Ezech. XXXIV: 23, 24. apud quem נשיא est regiae dignitatis proprius titulus, uti c. XXI: 25, XXII: 25. distinguuntur denique a pastoribus *sacerdotes* & *prophetae* Jer. II: 8 & nostro cap. ac alibi. Cum vero nomen *pastoris* latius sumitur, *praefecti* solent una comprehendi, tanquam supremi pastoris ministri, sive Dei & Christi, ut c. III: 15 & h. l. vers. 4, sive regum, ut nostro loco & alibi. Supremi vero rectores titulo *pastorum* insigniuntur, quod civitatis non tantum, sed Ecclesiae quoque & religionis, essent sub Deo, summo pastore, tutatores, defensores, & gubernatores: quorum etiam erat curare, ut vera religio, *pabulum* populi spirituale, recte & rite exerceretur, & sacerdotes, quibus religionis exercitium tantum erat demandatum, in officio continerentur, & ad id adigerentur. Ceterum reges antiquitus quoque a gentilibus fuisse *pastores* adpellatos, & cum iis comparatos, ex Homero, qui ποιμένα λαῶν *pastorem populorum* Agamemnonem saepe adpellat, & Xenophonte *a*, non est ignotum. Quid? quod primi Israelitarum reges de *pastoribus* fuerint a Deo electi, Saulus & David, sicut Aethyopum quoque fuit, teste Diod. Sic. *b*, institutum:

que

a Instit. Cyr. l. VIII. p. 210. & Memorab. l. III. p. 763.
b Biblioth. l. III. p. 180.

quo maxime industriis pecorum curatoribus, tanquam ad subditorum curam gerendam aptissimis, curam regni tradiderunt. Sed 2. licet rectores præsentes, tempore Jojakimi & Jechoniæ, non sint excludendi, eorum tamen præcipua habenda est ratio, qui tempore Zedekiæ forent; *cum* quod series concionis id videatur requirere; egerat enim supra de regibus illis & rectoribus sub illis, nunc itaque sequentis temporis pastores oportet feriat, *tum* quod non tam *regem*, quam *rectores* memoret, argumento, de eo tempore agi, quo summa rerum minus penes regem, quam principes esset; adeo ut illis, magis quam regi, esset pernicies reip. imputanda; quod, ut Cl. Altingius recte vidit, in Zedekiæ tempus apte quadrat; vid. c. XXXVIII. & alibi. Imputat his rectoribus, quod cives & subditos, *oves* Dei adpellatos, quorum saluti invigilare deberent tanquam pastores, tantum abest, ut *visitaverint*, seu recte curaverint & iis prospexerint, ut eos *disjecerint*, & *profligaverint*. Hac enim ratione cohæret, & intelligenda est, oratio, *dispersistis profligastis*, & non *visitastis*. h. e. nihil minus quam *visitastis*, tantum ab eo abest, ut contra feceritis, *dispergendo* & *profligando*, partim eos in Idololatriam & vitia compellendo, partim contra salutaria Dei per prophetam monita obfirmando, partim denique Chaldæis ansam invadendi & destruendi. remp. præbendo; uti notum est. Tantum observetur emphasis verbi נדח, cujus proprietas est in *flictu*, seu ictu, qui repercutit sonum; unde inter alia transiit ad graviorem adlisionem, profligationem in fugam vel interitum, etiam depulsionem a via veritatis, qua quis profligatur quasi ad impietatem & idololatriam, quo conspectu Arab. venit *in ovibus exterminatis*. h. e. cum flictu depulsis. Quod huc recte quadrat. Denique denunciatur iis judicium *visitationis* Dei in poenam neglectæ *visitationis* ovium, verbo *visitandi* eleganter in bonum & malum sumto in eodem orationis tenore: cujus alia exempla jam supra c. 1: 17. & alibi, habuimus.

CCCCX. 2. Se-

§. CCCCX. 3. Sequitur luculenta prophetia consolatoria de ovium reliquiis colligendis, & instaurandis, ac beandis, opposite ad hanc malorum pastorum administrationem, indeque ortam gregis dissipationem, vers. 3--8. In qua pericopa, *α.* instauratio reip. & Ecclesiæ plenissima, per gradus perficienda, promittitur, vers. 3, 4. *β.* ejus fundamentum & consequens in Messia manifestando, vers. 5, 6. *γ.* promissionis de instauratione confirmatio, vers. 7, 8. *α.* Instauratio his verbis, vers. 3, 4., repræsentatur, *&*, vel *at, ego colligam reliquias pecudum mearum ex omnibus terris, in quas expuleram eas, & redire eas faciam ad caulas suas, & fructificabunt & multiplicabuntur; & præficiam ipsis pastores, &*, vel *qui, pascent ipsas, nec timebunt amplius, nec conterentur, nec desiderabuntur, inspiratum Jehovæ!* Quibus verbis non spiritualem, sub Messia, dispersorum recollectionem, & Ecclesiæ Christianæ fundationem ac multiplicationem repræsentari, quod pluribus visum est, sed Judæorum, post exilium Babylonicum, recollectionem & instaurationem plenissimam, gradibus variis perficiendam sub Maccabæis, multa demonstrant 1. Quod, cum modo de populi dispersione per Chaldæos fuerit actum, alia nequeat recollectio, ac dispersioni memoratæ opposita, intelligi, nisi claræ rationes obstent: quæ nullæ sunt, ut mox patebit. 2. Collatio cum vers. 7 & 8., ubi de liberatione ab exilio Babyl. sine controversia agitur, illud requirit. 3. Quia de Messia prædictio subjungitur recollectioni & instaurationi populi, tanquam ea posterior, vers. 5, 6. 4. Denique verba & phrases corporalem illam recollectionem postulant; ut facile patet: reductio ad caulas & multiplicatio &c. sponte nos ad Cananææ recuperationem, & populi in ea fertilitatem ac copiam, ducunt. 5. Accedit harmonia verbi prophetici, de reducibus Judæis & Israelitis eodem modo loquentis, & signa temporum ad Messiam usque in iis rebus ponentis; ut Deut. xxx. & alibi, de quo dixi ad Jer. III: 14. &c., & dicam ad c. XXXIII: 12. Occurrunt vero varii gra-

dus instaurationis, quod probe notandum est, uti supra c. III: 14. & seq., ordine recensiti. Quorum *a.* primus est reductio reliquiarum in terram Cananæam ex omnibus locis dispersionis, quotquot nimirum voluerint redire: quod omnino subintelligendum est; ne quis autumet, omnium omnino restitutionem actu factam requiri ad prophetiæ implementum. *β. Secundus* est *fructificatio* & *multiplicatio*; de quo dixi ad Jer. III:16. *γ. Tertius* est bonorum pastorum, seu *rectorum*, suscitatio: quod sicut in principio reditus locum habuit, ita variis vicibus repetitum est, sed sub Maccabæis, ad quos imprimis respicitur, maxime: de quo ad c. III: quoque egi. *Pastores* itaque non sunt Doctores euangelici, qui eo titulo non solent in V. T. libris insigniri, nec iis usus vocis pro rectoribus, autoritate imperandi, & vi cogendi, præditis, qui tunc obtinuit, convenit sub N. T., quo, omni dominatu in Ecclesia eliminato, *pastores*, ejus oeconomiæ naturæ convenienter, adpellantur *doctores*, quatenus doctrina & vita sua credentibus pastum spiritualem præbent, & iis præeunt, seu viam monstrant: quare *pastores & doctores* permiscentur Eph. IV: II. *Pastores* itaque hic sunt rectores & defensores populi, qui ipsi *securitatem*, ut hic habetur, præstant contra hostes, in specie Maccabæi illo titulo ornati Mich. VII: 4. ubi *pastores* sunt Maccabæi, & *duces hominis* rectores gentiles, seu Romani, qui *Assuris*, seu Syrorum, dominatum & tyrannidem fregerunt; ut ibid. habetur. Accedit, seriem prophetiæ requirere, ut Messiæ ortum præcesserint hi *pastores*. Quando etiam *δ. quartus* gradus securitatis & prosperitatis maxime obtinuit, & implementum quoque nactus est, quod verbo, *non desiderabuntur*, expressum est; cujus sensus non est, neminem in exsilio amplius futurum, aut quoque periturum, sed populum non amplius esse abducendum, & dissipandum; ut a patria exul abesse debeat. Verbum enim פקד *visitari* denotat quoque *desiderari*, desiderio tangi rei absentis, quam præsentem esse velles; unde latius invaluit pro *abesse*, ut apud Lat. quoque

de-

desiderari a. Sensus ergo est, populum non rursus in exilium abducendum, & ità *afuturum* esse. Quo verbum [illegible] *contererentur*, proprie *confriabuntur*, in pulverem quasi redacti, de quo supra b dixi, etiam hic tendit; non enim tam *consternatio*, quippe jam memorata, quam *destructio* totalis, quam sequitur *abductio* in exilium, hic in censum venit. [illegible]

§. CCCCXL β. Subjungit instaurationis, ad finem per gradus adductæ, ut vidimus, fundamentum & consequens, scopum finem ac complementum ejus, Messiam filium Davidis, a Deo suscitandum, & in throno collocandum, qui rex factus prospere aget, & jus ac justitiam dicet ac faciet; sub cujus regno Juda & Israel, & proprie & mystice dictus, totus itaque populus, quotquot ex eo ipsum adsumserint, ac gentes, in societatem Ecclesiæ Dei adoptandæ, *salute* fruentur ac pace; confessi, eum esse *Jehovam*, *justitiam suam*. Hic scopus & sensus est vers. 5, 6. *Ecce* (rem certam & mirabilem, omni adtentione dignissimam:) *dies veniunt*, *inspiratum Jehovæ* (sc. post modo dicta impleta, quæ eo respiciunt, & in eo consummabuntur; qua ratione sermo recte cohæret) *&*, vel *quibus*, *suscitabo Davidi germen justum* (Messiam filium ejus, ipsi promissum, nasci faciam ex lumbis ejus, & in publicum producam, *justitia & virtute* illustrem, simul *genuinam* ejus stirpem, filium *verum*, eo nomine dignum, cui soli jus in illud regnum c est; denique germen *firmum*, inflexile & insuperabile, promissorum, ipsi factorum, complementum. Quæ omnia vox צמח, cujus proprietas est in *recto rigido*, usu suo complectitur. De quo alibi disserui copiosius. d *Germen* Davidis vero ejus esse *filium*, sicut *germen Jehovæ* filium Dei e, satis constat, quo utroque titulo venit Messias.) *& regnabit rex* (non vicarius, sed *rex* ipse, proprio nomine & jure) *& prosperabitur* (omnia ipsi bene & feliciter succedent, quæ facturus est, conf. Jes. LIII. 10, non sine adlusione ad Davidem, de quo illud frequenter occurrit, sicut & mox respicitur,

a Vid. Schultens ad Prov. XIX: 24. b ad c. II: 17 c Ez. XXI: 27 d ad Mal. III: 20 e Vid. Cl. Vitringa ad Jes. IV: 2

tur, cum ipse 2 Sam VIII: 15 legatur *judicium & justitiam fecisse toti populo*) *& faciet judicium* & *justitiam* (secundum justas leges judicabit ac æquas, & præmia distribuet ac pœnas *a*) *temporibus ejus*, (quam diu regnum administraverit; ut faciet ad finem seculorum) *servabitur Juda* (scilicet vere & summa emphasi, adeoque salute spirituali & æterna *b*) & *Israel secure habitabit* (Juda & Israel non divisi, sed uniti, & quotquot in nominis ejus communionem per totum orbem venient, *salute* omnigena & *pace* gaudebunt, ac secure degent,) & *hoc nomen ejus, quo vocabit ipsum* (sc. Juda & Israel *germen*; & *regem*, illum in fide adpellabunt, ac confitebuntur & gloriabuntur; qua ratione verba recte accipiuntur) *Jehova justitia nostra* (rex iste est verus Deus, & causa justitiæ nostræ meritoria & pignus, *juris* nempe ad communionem Dei in gratia & gloria, simul causa efficiens & exemplar omnis sanctitatis, pietatis, & virtutis. Plura non addo, cum Interpretes in versibus hisce illustrandis copiosi sint, & Cl. Moyne quoque integro libro, qui hic consulendi sunt. De Messia vero agi, non secundo tantum, quod voluit Grotius, primo sensu ad Zerubbabelem referens; sed primo & directo, abunde etiam demonstratum est, nec difficile; adeo ut ipse Clericus Grotium deseruerit, se mirari dicens, Grotium ita instituere. Defendit quidem Grotium Jungmannus ad Dan. *x*; sed infeliciter: ut facile demonstrari posset, si opus foret. Nihil enim hic occurrit, aut in serie orationis, aut epithetis hujus personæ, aut in bonis ab hoc rege adducendis, quod Zerubbabeli proprium est, nihil, quod Messiæ non ducat characterem. 1. Series fatorum, modo memoratorum, sese ad tempus nostri Messiæ, ut ex dictis liquet, porrigit. 2. Titulus *germinis*, maxime *justi*, nemini nisi Messiæ datur; is vero eo insigniri solet; Jes. IV: 2. Zach. III: 8: VI: 12. 3. Regia dignitas & Majestas, hic omnino phrasi, *regnabit rex*, comprehensa, a Zerubbabele aliena est, & toti

a) Vid. Jes. XII 4 & ibi Cl. Commentator. *b*) Vid. Illud Jes. XL: 10 ... ic: lib. II sect. III c. 19.

toti posteritati Jechoniæ abjudicatur, c. XXII: 30, soli Messiæ ex semine Davidis competit. 4. Nemo præter ipsum gerit in Script. titulum *Jehova justitia nostra*, aut ejus vim præstare potest. 5. Denique, ne plura in re clara proferam, *facere judicium in terra*, & populo *securam ac prosperam præbere conditionem*, sicut a Zerubbabele ejusque tempore abhorret, ita Messiæ regnum definit, modo in vera sua natura & virtute consideretur, & illa periodus adtendatur, qua omnem suam vim exseret. Quo oculo illud Prophetæ intueri solent. De quo in diss.[a] ad Dan. visa fusius disserui.

§. CCCCXII. γ. Sequitur tandem confirmatio instaurationis populi, vers. 3 & 4 promissæ, his verbis vers. 7, 8. *Propterea*, vel *profecto*, *ecce dies veniunt*, *dictum Jehova*, *&*, vel *quibus*, non *dicent amplius*, *vivit Jehova*, qui *eduxit filios Israel ex terra Aegypti* &c. Pertinent verba ad superiorem instaurationem, ut facile adparet, licet Interpretes multi ea ad œconomiam euangelicam & Ecclesiam Christi contorte admodum referant, quod vix dignum refutatione; nec habent aliquid difficultatis: exposita etiam sunt ad c. XVI 14 ubi eadem occurrunt: tantum verbo explicandum est, quid particula לכן *propterea* sibi velit, & quo tendat repetitio promissi liberationis ab exilio Babylonico? Particula si reddatur *propterea*; statuendum erit, hæc verba proxime præcedenti promisso de Messia fuisse subjuncta, & ideo repetita, ut indicaretur, liberationem ab exsilio ideo concedendam esse populo, quod Messias suo tempore manifestandus sit in ejus medio in Cananæa. Hoc enim de Messia promissum consideratur in verbo Prophetico, tanquam fundamentum, & scopus ac finis, instaurationis populi, ut alibi in Diss. ad Dan. demonstravi. Confirmabo nunc tantum notabili loco Mich. V: 2, ubi prædictioni de Messia, Bethlehemi orituro, hæc verba immediate subjunguntur, *propterea dabit ipsos*, vel *ipsis*, *donec paritura pepererit*, &c. quorum sensum & nexum hac paraphrasi obiter in lucem proferam.

[a] Diss. VIII.

Propterea quod Messias suo tempore ex hoc populo orietur, & in hac terra tanquam servatorem populi se manifestum faciet, *propterea*, inquam, eos *tolerabit* Deus, & superesse faciet, reliquaque promissa ipsis dabit (quod utrumque verbo יתן *dare*, hic omnino in bonum sumendo, comprehensum est) donec tempus illud advenerit, quo, vel ea, quæ paritura est, *virgo* nimirum Jes. VII: 14 memorata, quo digitus censeri potest intendi [a], *peperit filium*, vers. 1. memoratum, vel Ecclesia patriarchalis sterilis, fide, promissis nixa, in medium produxerit Messiam, Bethlehemi ex Juda & Davide oriturum; quod initium erit fœcunditatis Ecclesiæ, quæ, durante Oeconomia legali, sterilis fuerat, sed nunc copiosissimam pareret sobolem, juxta Jes. LIV: 1, 2 quo & hic respicitur. Phrasis נתנם verti potest *dabit eos*, vel *dabit ipsis: priore* ratione *dabit eos* dicet, eos esse faciet, convenienter scilicet statui & relationibus eorum; *posteriore* vero *dabit ipsis* divite sensu erit, *dabit ipsis danda*, quæque promisit. Plura nunc non addo. Sed particula לכן quoque recte vertitur, *profecto*, & pro *adseverante* habetur: quo sensu significabitur, Deum hæc verba ad majorem superiorum confirmationem addidisse.

§. CCCCXIII. II. *Altera* pars concionis in pravos *prophetas* & doctores populi præcipue directa est; sicut ex materia patet, & inscriptio quoque docet: vox enim לנביאים, quæ præmittitur, per se stat, & tituli q. vicem habet, ut LXX & Vulg. quoque accepisse videntur, vertenda, *ad prophetas* sc. vel sermo meus sese vertit, vel quod adtinet. Præmittit propheta tristissimam perturbati sui animi adfectionem, ex contemplatione duræ prophetiæ vulgandæ ortam, cum ut, quam alienus sit a desiderio ruinæ reip., adpareat, tum prophetis falsis exemplum præbeat imitandum, ne ad perniciem populi procurandam concurrant, sed ei medendæ vel præveniendæ manus potius secum præbeant. Huc tendunt verba, vers. 9. *confractum est cor meum in medio mei*;

[a] Vid. Vitringa ad Jes. VII: 14.

mei; *emollita sunt omnia ossa mea*; *sum ut vir ebrius*, vel *amens*, *& sicut heros*, *quem transiit*, seu inundavit, *vinum*; *præ facie Jehovæ*, *& propter verba sanctitatis ejus*. h. e. Totus corde horreo, ac intremisco, nec non desperabundus jaceo, ossibus quoque, & viribus corporis, debilitatis ac liquefactis, præ verbis sanctitatis ac Majestatis Jehovæ vindicis, mihi revelatis, & publicandis in peccatores & corruptum populum, ejusque doctores pravos. Hunc enim sensum fundunt verba: quæ nihil impediti habent. *Verba sanctitatis Jehovæ* sunt, quibus declaravit, se Majestatem ac sanctitatem suam demonstraturum, ac vindicaturum esse, certo certius *implenda*; sicut *sanctitas & veracitas* ejus requirit: nec emphasi caret phrasis, מפני *præ facie* Jehovæ; verendam enim & iratam majestatem adfert; uti supra *a* observavi. Cui hic apte datur locus. Insuper not. 1. רחף proprie habere *molliendi* ac *emolliendi* significatum, ac *ossibus* tributum *mollitudinem* eorum liquefactam, omni succo & vigore exhausto, denotare, opposite ad *duritiem* & firmitatem, עצמה, quæ alias inest עצמות ossibus *b*. 2. Similitudo *ebrii* repræsentat tantam animi consternationem, quæ mentem non sinit sui esse compotem, tantam ossium debilitationem, quæ corpus non permittit stare aut ambulare: ad ebrietatis summum gradum pingendum censeri possunt verba addita, sicut *fortem*, *quem transiit vinum*, instar fluvii intumidi & exundantis, quæ est potestas verbi עבר, ut alibi sæpe observatum est, *mersum* itaque vino, & se eo ingurgitantem, summo gradu ebrium. Sed vox שכור, *ebrium* alias denotans, quæ præmissa est, posset pro *amentia*, qua sensus quasi obstipantur & obstruuntur, sumi; uti apud Arabes, a primaria rad. potestate in *premendo*, *comprimendo*, usque ad elisionem, sita, unde ad oculos præstrictos, mentem obstructam & ebrietatem transiit, *c* Qua ratione eleganter subjungitur figurata ebrie-

a ad c. I: 19. *b* Vid. Schultens ad Job. IV: 14 & Hackman præcid. s. ad Gen. 1. *c* Vid erudita præstantiss. juvenis Scheidii diss. Academ ad V. T. loca sub auspiciis Cl. Schroederi p. 10.

ebrietatis descriptio, voce שכור quoque involuta. Quam cum LXX reddiderunt συντετριμμένον confractum, non necesse est, quod voluit Cappellus, ut, eos שבור legisse, statuatur, cum ad *ebrium* respexisse potuerunt, tanquam, ut poetæ verbis utar,

- - - *percussum tempora Baccho.*

vel, ut Apulejus, *saucia mente fluctuantem:* qui etiam *contusus* a vino dicitur Jes. XXVIII: 1 Prov. XXIII: 15. ut ibi exposuit Cl. Schultens.

§. CCCCXIV. Recenset mox Propheta hæc verba sanctitatis Jehovæ per varios articulos. א. *Primus* complectitur severum Dei judicium in totum populum, cunctis in membris suis, prophetis quoque ac sacerdotibus, plane & obstinate ac incorrigibiliter corruptum, vers. 10--12. Tota enim hæc pericopa cohæret, ita ut *a* depravatio pervicax vers. 10, 11. *β* judicium Dei vers. 12 proponatur, ut ex voculis כי *quia* & לכן *propterea* clare constat, licet Interpretes passim vers. 10 *mum* cum præcedente connectant; male, ut dixi. *a* Corruptio populi *a.* in genere exhibetur vers. 10. *b.* in specie adgravatur respectu prophetarum & sacerdotum, vers. 11. *a:* In genere his verbis, vers. 10. *Quia adulteris plena est terra, quamvis præ maledictione languida emarcuerit terra, exaruerint pascua deserti, & concussio eorum sit conquassata, ac insolens eorum fortitudo nihil minus quam firmi quid.* h. e. Non obstante, quod terra gravissimas jam sentiat plagas per sterilitatem & ariditatem, potentium quoque concussorum dominium sit fractum, & nihil minus quam firmum, in adulterio perseverant, & corporali & spirituali, quo tota terra est, & manet, repleta: *quia* vero talis & tam obstinata est populi corruptio, *ideo* Deus severe vindicabit, ut vers. 12. habetur: huc enim particula כי *quia* in initio versus collineat; posterior vero כי *quia*, quod Gatakero quoque placuisse vidi, hic vertenda est *quamvis*, ut sæpe alias, dicitque, non obstan-

ſtante calamitate, qua terra & populus premitur, manet terra plena adulteris; in ſignum obſtinationis & incorrigibilitatis: qua ratione cuncta apte cohærent. Comprehendunt itaque verba, quæ cum *quamvis* incipiunt, deſcriptionem plagarum, quæ terræ & populo jam tunc incumbebant præ maledictione Dei, quam vox אלה hic omnino denotat; ut facile intelligitur, & ex Jeſ. XXIV: 6. confirmatur: ſecus ac aliis viſum, qui maledicta & perjuria Judæorum intelligunt. Plagæ autem illæ, expreſſe memoratæ ſpeciminis ergo, ſunt 1. ariditas & ſterilitas terræ, indeque orta fames. Ad elegantiam ſermonis notari meretur, prophetam per *terram* expreſſiſſe loca frugifera, & per *paſcua deſerti* campos non ſatos, ſed pecoribus paſcendis aptos, qui nomine מדבר inſigniri ſolent: vox enim ea tunc non proprie ſic dictum *deſertum*, ſed campum patentem & paſcui aptum, ubi pecora *agi* posſunt, quod rad. דבר quoque proprie involutum eſt, denotat. De uſu vocis מדבר, cum res ſatis ſit nota, nihil addo. Præterea obſervari velim, verbum אבל hic non tam lugere, quam *flaccidum*, marcidum eſſe, quæ magis propria eſt ejus poteſtas, ſignificare, cui recte adjungitur יבש, proprie *ſtrepuit* præ *ſiccitate*, areſactus eſt ſummo gradu. 2. potentiæ populi ac Magnatum, populum opprimentium & inſolenter dominantium, confractio, quam hæc verba continent: *& ſit concuſſio eorum quaſſa*, ac *inſolens eorum dominium non firmum*, adeoque manifeſte ad totalem ruinam vergat, & ab ea prope abſit; ſicut cum ex regum & principum nonnullorum abductione, tum ex terræ invaſione & vaſtatione, per hoſtes jam facta, clare eluceſcebat. Hunc ſenſum fundunt verba, paſſim minus intellecta, quamvis ſit *concuſſio eorum quaſſa*, & *fortitudo ipſorum non ſic*, ſeu *non firma*: in voce מרוצתם reſpicitur ad *concuſſionis* facinora, a potentibus patrata; ut habuimus c. XXII: 17. רעה vero hic propriam ſuam quaſſandi vim exſerit, adeoque dicit, *fractam* fuiſſe concuſſionem eorum, ſeu potentiam conquaſſantem: *dominium* enim potentum & imperantium adpellat *concuſſionem*, quia ad popu-

lum opprimendum & quassandum abutebantur, ut c. XXII: 17. vidimus: sed hanc potentiam dicit jam fuisse & ipsam *quassam*; quia vim & robur per judicia Dei perdiderat, & mox perderet penitus. Vox רעה hic non dicit malum morale, ut sumi solet, cum hoc sensu plane superflua foret, nec sensum fundat aptum, aut cum seq. membro conveniat, sed propriam *quassationis* potestatem retinet, sicut & Ps. x: 15. Prov. XIII: 20. Jes. III: 10. & alibi [a]. Additur, quod ex dictis faciles habet intellectus, & *robur eorum insolens non sic*, sc. non tale amplius, non robur, vel *non firmum*, seu nihil minus quam tale; quem usum subinde habet, uti notum, vox כן. [b]. *In* voce vero גבורתם simul adtenditur peculiaris ejus usus pro insolentia, & superbia: sicut apud Arab. [c], & supra habuimus c. IX: 2.

§. CCCCXV. Pergit propheta in *adulteris*, quorum plenam dixerat terram, & proceres modo nominaverat inter eos, recensendis, & *prophetas* ac *sacerdotes* iis accenset, viam sic sternens ad prophetiam, contra prophetas & doctores in specie directam; quam mox profert. Verba ita sonant, vers. 11. *Quia etiam propheta etiam sacerdos loripedes agunt*, *etiam in domo mea inveni malitiam*, seu pravitatem, *ipsorum*, *inspiratum Jehova*. h. e. Quod de adulteris dixi terram replentibus, illud in specie ad ipsos illos quoque pertinet, qui idololatriæ & corruptioni morum obicem ponere deberent, *prophetas* puta & *sacerdotes*, qui tantum abest ut id fecerint, ut viam populo in ea depravatione præeant, & eum confirment, quippe & ipsi *loripedes*, in religione & moribus contorto pede incedentes, & terram idololatria ac inpuritatibus replentes, in ipso etiam templo meo tales; sed simul proni cum populo ad lapsum & ruinam; sicut modo de potentibus & magnatibus dixi, quorum concussio quassa est. Comprehendit hanc sensus amplitudinem verbum חנף, proprie *loripedem* esse, contortis pedum digitis, inde cum hypocritam in re-

a. Vid. ad Ps. x: 15. b. Vid. Jes. XVI. 6 Jer. XLVIII: 30 Ps. I: 4. c Vid. Schultens ad Job. XXXVI: 9.

religione & vita, tum ad lapsum pronum esse, & ad perniciem vergere: ut alibi *a* observavi: quæ duplex notio hic, ut dixi, & alibi conjungitur, ut Ps. CVII: 38. Jes: XXIV: 5. & alibi *b*. Vocula vero כי *quia* respondet eidem in principio vers. 10. & *rationis* continuationem denotat; vel diversas ejusdem rei rationes: ut sæpe alias observavi, vid. ad Jer. IX: 18. XX: 8.

§. CCCCXVI. β Sequitur sententia Dei judicialis, cujus rationes præmiserat, vers. 12. *Propterea erit via eorum ipsis, sicut lubricitates* in *densa caligine*; *impellentur* & *cadent in ea, quia adducam in eos malum anno visitationis ipsorum*; *inspiratum Jehovæ*. Nihil hic difficile: adluditur ad *loripedes* eos, & periculum, in quo versabuntur, qua tales, accuratius describitur; cum *via ipsorum*, seu institutum, quod tenebant ad remp. firmandam, declaretur ipsa esse multiplex *lubricitas* & summa, in densa præterea *caligine*, in qua stare, aut ambulare, nemo possit, sed certo certius labi debeat. *Lubricitates* in plur. & duplicatio litterarum in חלקלקות, intendunt significationem, ut facile constat. Additur, eos *impellendos* esse per hostilem impressionem & judicium Dei, ac *casuros*, sc. in perniciem ruituros; quo tempore Deus *visitaturus* sit, qua judex, ut mox fieret, *pravitatem eorum* &c. Pertinet hæc denunciatio non ad *prophetas* tantum & sacerdotes, ut putatur, sed totam remp. & Ecclesiam, seu terram, ut ex nexu cum præced. manifestum est: quare plura non addo. Perinde est, sive כי vertatur *quia*, ut confirmetur & explicetur quod modo dictum erat, sive *quando*, ut subinde sumitur. De reliquis vocibus alibi *c* necessaria monui: de *tempore*, opportuno scilicet & definito, *visitationis*, nempe judicialis post accuratam investigationem, satis constat. *d*

§. CCCCXVII. a. *Secundus* articulus directe & proprie tangit pseudo-prophetas Judæorum. Per quos, ut illud in ante-

a ad Dan. XI: 32. *b* Vid. comm. ad Dan. l. c. *c* ad Ps. XXXV: 5, 6. & Dan. XI: 21. 34. *d*. Vid. quoque Vitringa ad Jes. X: 3.

cessum, nequis hic erret, observem, non intelliguntur *ordinarii*, sed extraordinarii *Doctores*, qui inspirationem divinam prætendebant; ut ex ipso nomine & seq. capitis partibus manifestum est, adeoque non sequentium temporum, sub finem reip., & post tempora Maccab., sed qui nunc vigebant; cum quod extraordinarii, & divinitus adflati intelliguntur, ut modo dixi, tum quod in præced. tales omnino indigitentur, tum quod nulla ratio sit statuendi, prophetam, tanto commisso saltu, sermonem de Pharisæis, Scribis & Zadducæis instituisse; ut expositio docebit. Nec locus succurrit, quo scribæ & Pharisæi *prophetarum* titulum directe gerunt, indirecte quidem & sensu secundo, uti Jes. XXVIII: 7 XXIX: 10 & Zach. XIII: 3 qui locus notabilior est, quod prophetarum titulum a se removeant: tantum, quia doctrinas suas tanquam oracula divina accipi voluerunt, sensu mystico, non proprio, adpellantur prophetæ. Accusat autem hac in pericopa prophetas sui temporis, tanquam pejores Israelitarum prophetis Baaliticis, cum sub specie missionis, & inspirationis, Jehovæ Dei Israelis, populum ad idololatriam & scelera trahant, & contra conscientiam se tales inspiratos jactent: interminatur dein & denunciat iis gravissimum Dei judicium, *prius* vers. 13, 14. *posterius* vers. 15. Cohærent enim hi versus, eo quo dixi, modo, ut ex particulis כי *quia &* לכן *propterea* clare patescit. *a* Accusatio pseudo-prophetarum inter Judæos his verbis proponitur, vers. 13, 14. *Et in prophetis Samariæ vidi fatuitatem, vaticinati sunt in Baale, & oberrare fecerunt populum meum, Israelem: & in Prophetis Hierosolymæ vidi rem horrendam, adulterare*, & *mendaciter ambulare, & confirmant manus maleficorum, ne revertatur quisque* a *malitia sua, & ut sint mihi omnes sicut Sodoma*, & *incolæ ejus sicut Gomorrha*. h. e. similes non tantum in oculis Dei prophetis Samariæ inter Israelitas sunt prophetæ Judæorum Hierosolymæ, utrique populum a recta via in religione & vita abstrahentes, sed Hierosolymitani Samaritanis longe pejores, & detestabiliores, *cum* quod Sama-

maritani in nomine Baalis palam agant, Hierosolymitani nomen *Jehovæ* prætendant, *tum* quod *illi* spiritu fanatico decepti, *hi* consulto & deliberato falsa adnuncient, *tum* quod *illi* populum secum ad cultum Baaliticum traxerint simpliciter, *hi* præterea nomine Dei quævis fausta promiserint peccatoribus & idololatris, & totam civitatem sceleratis repleverint ac hypocritis. Comparantur itaque Hierosolymitani prophetæ cum Samaritanis, sed ita, ut illi his longe sceleratiores depingantur: quo pertinet littera ו repetita in initio, vers. 13 & 14. *Et in prophetis Samariæ vidi*, &c. *& in prophetis Hierosolymæ* &c. h. e. sicut in illis, ita in his, sed in illis fatuitatem, in his horrendam rem vidi: de quo præf. ו usu alibi [a] dixi. Relegamus nunc verba, &, ubi opus fuerit, illustremus. *In prophetis Samariæ vidi fatuitatem*; (proprie *salivationem*, indeque dictum, factum, futile, insulsum, ut hominis mente capti & insani, qui imaginatione delusus nihil sanæ mentis profert; quam vim habet vox תִּפְלָה [b]. Indicatur itaque, eos fuisse ipsos *delusos*, & rationis usu q. privatos;) *vaticinati sunt in Baale* (h. e. in nomine idoli, tanquam arreptitii; palam ei adhærentes, & cultum ejus, misso Jehova, profitentes; non nomine Jehovæ abutentes, & inspirationem ejus fingentes, sed idololatrico spiritu fascinati) *& oberrare fecerunt populum meum Israelem*, (populum meum in eandem secum traxerunt fatuitatem, qua, sicut ebrii & temulenti, oberrarunt, imaginationibus & inani spe prosperitatis, inde exspectandæ, decepti; eaque ratione in me, verum Deum & dominum suum, protervi. Hanc enim vim exserit verbum תעה, cujus peculiaris usus est in *cerebro errante e vino*; unde transfertur ad eum, qui dulci fortuna ebrius insanit, & in Deum protervus est. Conf. Jes. XXVIII: 7. XXXII: 6. Hos. IV: 12. Job. XV: 31. & alibi).

§. CCCCXVIII. Sequitur prophetarum Hierosolymitanorum pejor longe conditio, his verbis: *& in Prophetis Hiero-*

 ro-

[a] ad Mal. I: 14. & III: 3. & supra ad c. XI: 10. [b] Vid. Schultens ad Job. I: 22. & de Ambig. §. 47.

rosolymæ vidi horrendum illud (quod longe gravius & enormius est facinus, stuporem injicere aptum & horrorem: id quod est שערורה: de quo supra [a] diximus.) Quod in quo consistat, sequentia declarant, *adulterare* (idololatriam & a lege Dei, Domini & mariti sui, defectionem, & ipsi committunt, licet rectius instructi, & Hierosolymam ac Templum, loca Jehovæ dicata, possidentes; simul cum cultu Jehovæ conjungentes, ut *adulter* & *adultera* faciunt:) *&* *ambulare in mendacio*, (simul falso & mendaciter prætendunt revelationem Divinam contra conscientiam, & populum falsa doctrina ac spe pascunt: quod postea explicatius traditur,) *&* *confirmant manus malorum* (non in bonum ad populi emendationem & salutem *piis* scilicet! fraudibus utuntur, sed, quod pejus adhuc est, in malum, ad scelestos in peccatis obfirmandos, & exemplis præeundo, & dictis excitando, & ab omni metu judiciorum divinorum liberando, dum *pacem* promittant, licet in peccatis maneant) *ne revertantur quisque a malitia sua* (qui scopus eorum est & effectus) *fint mihi omnes illi sicut Sodom*, *&* *habitatores ejus sicut Gomorra*, (eo collineant pseudo-prophetarum illorum instituta, ut non tantum impediant peccatorum resipiscentiam, sed magis magisque corrumpantur Hierosolymitani, omnesque incolæ tandem Sodomæ & Gomorræ similes evadant, etiam in *judicio* divino iis inflicto; quod una potest comprehendi, & stylo script. S. convenit, uti Jes. 1: 9. & alibi. Verbum enim היו non verti debet *fuerunt*, nec de prophetis illis intelligi, ut ex phrasi, *incola ejus* sc. Hierosolymæ, clare patescit, sed *fint*, & ad cives urbis adplicari, adeoque cum simili, sed contraria, particula, ac est בלתי, ut ו *&*, *ut*, subintellecta, construi, quæ respondet Lat. *ut:* sicut in versione seu paraphrasi institui: ו *&* eo facilius hic deficit, quod præcedens vox רעתו in eadem littera desinat. Quod haud infrequentur contingit. Quo sensu omnia recte fluunt, quare plura non addo; nisi quod, si reddatur in præt., verti possit, *facti sunt*, ac de eventu & consequente instituti pro-

[a] cap. v: 30.

prophetarum capi: ut sit, *facti* itaque hac ratione sunt omnes cives sicut Sodoma & Gomorra; licet enim *voces* elegantiæ causa divisæ sint, debent tamen conjunctæ intelligi, acsi uno tenore legeretur, *facti sunt omnes incolæ ejus sicut Sodoma & Gomorra:* quo loquendi modo nihil est usitatius; uti sæpe a nobis est observatum.)

§. CCCCXIX. β Interminatio & judicii divini denunciatio, repetita ratione ejus, his verbis subjungitur vers. 15. *Propterea sic dixit Jehova exercituum de prophetis: ecce me cibantem eos absinthio, & potabo eos cicuta, quia a prophetis Hierosolymæ emicavit vacillatio in totam terram* h. e. quia instar herbæ amaræ ac venenatæ totam terram Judæorum infecerunt & labascere fecerunt: edendum & bibendum ipsis præbebo amarissimum & perniciocissimum cibum & potum, seu diros inter cruciatus cum infamia eos perire faciam, ita ut fructus operum suorum ipsi carpant. Ad eorum comparationem cum herba venenata, terram inficiente, ducit nos verbum יצא, quod proprie est *emicuit*, & de *germinibus* emicantibus, & læte ac diffuse crescentibus, seseque spargentibus, usurpatur. Solent autem homines pravi, eorumque instituta, cum *herba* ac *radice amara* comparari Heb. XII: 15. *absinthio etiam & cicuta*, Deut. XXIX: 10. *vite quoque Sodomæ & Gomorræ* Deut. XXXIII: 32. quo hic respici potuit. Gravissimas vero plagas, dirissimasque, & exitiales, per *absinthium* & *cicutam* expingi, tralatitium, & facile intellectu, est. Vid. ad c. IX: 14.: de voce חנפה proprie *loripedatione*, inde *vacillatione*, dixi supra. a

§. CCCCXX. 2. *Tertius* articulus complectitur deductionem & confirmationem proxime præcedentis pericopæ de falsis prophetis, qua α. illi accuratius describuntur, prostituuntur & refutantur, vers. 16-29. β judicium Dei iis denunciatur, vers. 30-32. Tota enim hæc pericopa cohæret, & eodem modo, quo superior, concinnata est, ut ex vocula לכן vers. 30. quoque elucescit. α. In priore parte *a.* admonitio ad populum occurrit de non audiendis prophetis, ratio-

a ad cap. III: 1.

tione a falsitate revelationis divinæ, quam prætendebant, munita, vers. 16. *Sic dixit Jehova exercituum: ne audite verba prophetarum, vobis vaticinantium; illi vos turgore multo inflant, visum cordis sui eloquuntur; nihil ex ore Jehovæ dicentes:* verbum enim primum vers. sequentis לאמר *dicentes*, a nostro male avulsum, connectendum esse censeo, cum quod vers. seq. superfluum sit, ut mox patebit, tum quod nostro versu deficiat; voces enim, *non ex ore Jehovæ*, cum præcedentibus minus cohærent, *visum enim cordis* proferre *non ex ore Jehovæ* non recte concinnatur, cum *visum cordis* per se excludat verbum oris Jehovæ, & nemo visum cordis dici queat ex ore Jehovæ proferre. Respici vero in ratione dehortatoria videtur ad triplicem modum prophetandi, per somnia, visiones, & interna Dei ad animum magis sedata ac composita alloquia, quo uti solebant falsi quoque prophetæ, *somnia*, *visiones*, & *adloquia* Dei fingentes: quo etiam vers. 30-32. respicitur. Verba ita sonant, *ne audite verba prophetarum*, *vobis vaticinantium* (h. e. ne ita audite, ut iis credatis ac fidatis. Quo singularis constructio verbi שמע cum על *super*, & non cum ב, ל, vel אל, ut alias solet, mihi tendere videtur. *Audire super verbis* est audiendo & auscultando incumbere, ac inniti, iis, sensu prægnante; sicut שמע אל est animo inclinato *ad* aliquem vel aliquid audire, adeoque obedire) *turgore multo vos inflant*, (vana sua somnia vobis narrando vento vos pascunt, & in superbiam ac vesaniam vos impellunt, ut meras vanitates & mente habeatis, & anheletis, inani spe excitati: quam omnem emphasin habet verbum הבל, ut pluribus docuit Cl. Schultens a) *visum cordis sui loquentur* (h. e. si illos audiveritis, nihil, nisi visum, quod ipsi finxerunt, audietis. Fut. *loquentur* denotat consuetudinem, & quid locuti fuerint, & locuturi sint in posterum: *visum cordis* non est, quod ex corrupta imaginatione cordis oritur, ipsique homini imponit, sed ab ipso fingitur,) *nihil ex ore Jehovæ dicentes* (eam enim vim, qua *nihil* denotat, hic, ut

a ad Ham. p. 383. & ep. 1. ad Mencken. p. 68.

ut alibi sæpe, habet לא *non*, & sensus est, nihil eorum, quæ ipsi, tanquam a Deo ad ipsos dictum, proferunt, a Deo esse profectum, sed totum ab ipsis fictum; ut vers. 31. habetur.)

§. CCCCXXI. *b*. Instruitur populus in specie verborum, quæ pro falsis prophetiis haberi debeant, notitia, ut sibi ab iis caveant, vers. 17. *Dicunt contumacibus meis rebellibus; locutus est Jehova; pax erit vobis*, & *omnibus in umbilicatione cordis sui ambulantibus dicunt*, *non superveniet vobis malum.* Parum hic observandum habeo. 1. Pro infinit. אמר *dicere* legerim potius, si fas fuerit, אמרו *dicunt:* ut LXX. verterunt, & mox occurrit, licet infinit. ferri possit eodem sensu. 2. Verbum נאץ non denotat, *spernere*, *irritare*, sed contumacem contra voluntatem Dei rebellionem, qua Deo repugnatur, & magno nisu vinculum obedientiæ ejus rumpitur. De quo vid. Schroeder. *a* 3. Nec emphasi caret verbum דבר, cum ejus usus subinde sit in *blando adloquio*, & verbis solantibus; uti sæpe alias observavi; quo seq. manifeste tendunt. 4. Leve & tritum est, in וכל subintelligi ל, ut sit ולכל; uti modo למנאצי. Reliqua facilia sunt. De voce שרירות supra sæpe exposui.

CCCCXXII. *c*. Subjungitur convictio & refutatio falsitatis prophetarum eorum, qui, se veros jactantes prophetas, peccatoribus talibus pacem nomine Dei adnunciabant; argumento inde petito, quod, qui verbum Dei audiverit, longe aliud quid denunciare debuerit, non pacem, sed pœnam & iram Dei: quod prophetæ illi quoque fecissent, si veri essent. Quod argumentum *α*. proponitur vers. 18--24. *β*. ad ipsos adplicatur vers. 21, 22. hæc enim pericopa cohæret, & eo, quo dixi, modo, ut ex orationis structura elucescit. *α*. Argumentum, quo falsi prophetæ convincuntur, ita habet vers. 18--20. *Quia qui stetit in secreto Jehovæ*, is *videbit etiam & audiet verbum ejus; qui aure purgata adtenderit verbum ejus*, is *audiat: ecce ventus urens Jehovæ ira exæstuans emicat*, & *turbo parturiens* super *caput improborum versabitur:* non

a ad Pf. x: p. 70.

non recedet, aut remittet, *nasus Jehovæ, donec perfecerit, & donec stabiliverit* cogitatissimas cogitationes ac *destinationes cordis sui: ultimo tempore inspicietis in illud intelligentia.* h. e. Falsos esse vates, qui peccatoribus inpœnitentibus pacem & salutem promittunt, inde facile patet, & dignoscitur, quod, quicunque verus propheta est, hoc verbum Dei vel videre, vel audire, qui verbum Dei aure purgata ex populo adtendit, hoc ipsum quoque verbum audire debet: *hoc* nimirum, quod sequitur: *ecce* ventus urens ira Jehovæ emicat, & turbo parturiens commorabitur super improbis; nec residebit nasus Dei æstuans, nisi omnibus cogitatis & decretis suis præstitis. Id quod a posteriore, sequente tempore, clare & distincte intelligetis, cum ea omnia, quæ dixi, videbitis impleta. Vocula כי *quia* indicat, falsos prophetas convinci & refutari producto verorum prophetarum charactere; quem seq. exponunt verba: quæ relegam & illustrabo. *Qui stetit, vel stat in secreto Jehovæ & videbit & audiet verbum ejus* (omnis qui, vel quicunque, ad arcanum Dei cognoscendum admittitur, quod hic est *stare* in arcano Dei consilio, ut illud percipiat, & audiat; & personam prophetæ definit, omnis, inquam, talis *videbit* etiam, seu audiet *verbum ejus*, sc. quod mox sequitur vers. 19. ut ibi videbimus. Interpretes aliter instituunt, sed diversitas temp. in his verbis clare arguit, sensum esse; eum, qui arcanum Dei participat, *visurum* esse, vel *auditurum verbum* Dei. Ceterum, non sine ratione & emphasi, *videre* & *audire* conjunguntur, & *videre* verbum Jehovæ dicitur: respicitur enim ad varios modos, quibus arcana Dei revelabantur, per *visiones* nim. & *somnia*, sive imaginationes, vel *adloquia*; ut supra vidimus. Phrasis vero *stare in secreto* Dei, seu intimo ejus consessu, quo arcana consilia formantur, quod, uti constat est סוד *secretum*, uti Gen. XLIX: 6. Job. XV: 8. & alibi, phrasis ea, inquam, hic grandius illud non involvit, quo *consiliarium intimum* agere denotaret, quod magnus Jobi Commentator[a] putat,

a ad Job. l. c.

tat, quod huc non quadrat, cum de veri prophetæ characte-re hic agatur, sed simpliciter secreto consilio adstare audito-rem & ministrum, cui arcana consilia communicantur; quod Job. l. c. dicitur, *audire* vel *auditorem* esse in *secreto Dei*: sicut & hic mox additur, *& videbit*, & *audiet*, verbum ejus.) Sequitur, *qui purgata aure adtendit verbum ejus*, vel *meum* (est enim diversitas *lectionis*, sed quæ eodem redit: forte an-tiqua & vera lectio est דבריו, unde littera ultima ו per con-currentiam seq. vocis, cum ea incipientis, absorpta, pepe-rit variam lectionem דברו, & דברי) *& audiet* (h. e. quicunque ex populo adtenta mente ad verbum meum adverterit, ejus cognoscendi desiderio vere ductus, is etiam hoc ipsum ver-bum, quod mox proferam, & nullum aliud, *audiet*, ac pro meo admittet. Refero hæc verba ad populum, de verbis prophetarum judicantem, non ad prophetas loquentes; ut tautologia vitetur. Ceterum מי in utroque membro non *interrogat*, ut alias solet, nec per *quis*, ut Interpretes passim instituunt, sed *antecedens* aliquod ponit universale, & per *quicunque*, *omnis qui*, reddi debet: ut alias etiam haud infre-quenter.

§. CCCCXXIII. Ecquod vero illud *verbum*, cujus memi-nerat, est? illud seq. declarant, vers. 19. *ecce turbo Jehovæ* &c: hac ratione si capias, omnia apte cohærent, & hæc verba recte subjunguntur; quorum ceteroquin nulla dari po-test ratio, ut ex Interpretum conatibus facile intelligitur. Opponuntur autem hæc verba superioribus, quæ falsi vates proferebant. Continent vero vividam picturam iræ & judicii Dei in peccatores impoenitentes; emblemate pe-tito a vento turbinoso & urente, qui in unum compac-tus, & plenus, ad irruendum paratus, in caput hominum erumpit, & ibi moratur, donec omnia ediderit effecta sua. Occurrit autem hic 1. emblema, vers. 19. 2. *ejus* de-scriptio seu explicatio, vers. 20. 3. denique confirmatio ib. fin. 1. Emblema est *venti* fortissimi & vehementissimi, sed urentis & æstuantis, qui, collectus & prægnans, in caput im-

piorum erumpit, & ibi manet. Vox סער proprie signat *turbinem*, æstu præditum, ventum urentem, quales in oriente grassari solebant cum pernicie itinerantium, a rad., quæ dicit, *arsit*, *æstuavit*: additur חמה ad intendendam *urendi* vim, denotat enim *fervere*, & de ira *æstuante*, ac *potione venenata* usurpatur: emphasios adhuc gratia, *turbo Jehovæ* adpellatur turbo horrendus gravissimus non tantum, sed extraordinarius, a Jehova immissus; præterea *turbo prægnans*, & *parturiens*, מתחולל a חול *torqueri*, *tormina pati parturientis*, *turbo* itaque prægnans, plenus ad irruendum paratus, q. *dolorem partus ipsemet patiens*, & jam *parere* paratus, quod dudum parturiebat: vid. Schultens *a*: tandem additur, *morabitur*, proprie *versabitur*, & manebit super caput *improborum*: de quo Id. vid. *b*. 2. Emblematis expositio his verbis subjungitur, *non residebit nasus Jehovæ* (sc. æstuans & commotus non cessabit, *ira* Dei non desinet; quod facillimum est *c*,) *donec fecerit* (judicium executus fuerit; quem usum habet aliquando עשה, ut c. XVIII: 23. habuimus) *&* *donec stabiliverit destinationes cordis sui* (decreta & consilia immutabilia. Vox Hebr. adfert cogitationem fixam, quam quis cum animo suo destinavit, & unde avelli nequit, a rad. זמם *alligare*, firmius *revincire*.) 3. Denique confirmationis ergo subjungitur, populum id omne suo tempore cogniturum & distincte animadversurum tempore secuturo, quum omnia fuerint peracta; sicut post exilium Babyl., quo hic respicitur primo & directo sensu, etiam factum est: verba ita habent: *extremo dierum* (proprie sequente tempore, postea; est generalis locutio, ut exposui ad Gen. XLIX: 1, sed nihil vetat, quominus sensu secundario & completo ad omnia reliqua tempora sese porrigat; uti fit c. XXX: 23, 24.) *inspicietis in illud intelligentia*: intuebimini, & observabitis illud, quod dixi, accurate, & distincte: hoc enim est, *in-*

a ad Prov. XXI: 7. *b* ibid. & ad Prov. XXXI: 29.
c Vid. ad c. IV: 8.

intelligentia intueri, ut facile percipitur, הנ vero foem. est pro *neutro*, ut sæpe alias.

§. CCCCXXIV. *β*. Charactere verorum prophetarum proposito, adplicatio instituitur ad vates Judæorum, qui inde convincuntur, & prostituuntur, vers. 21, 22. Ubi Deus 1. declarat, eos in arcano suo non stetisse; cum nec missi sint a se, nec verbum a se acceperint, vers. 21. *Non misi prophetas illos, & ipsi cucurrerunt, nec locutus sum ad illos, & ipsi prophetarunt*, sc. tanquam a me missi, & mea revelatione gavisi; id quod prætendebant, se prophetas, non Baalis, ut Israelitarum, sed *Jehovæ* gerentes; quales non erant, nisi a Deo missi essent, seu prædicare jussi, & *verba* ejus accepissent; quæ *duo* ad prophetam constituendum requirebantur. 2. Demonstrat etiam, non veros, sed falsos vates esse, cum verba Dei, ad peccatorum emendationem spectantia, non fuerint locuti, vers. 22. *Etenim si stetissent in secreto meo* (si veri essent vates, quorum est, *arcana* Dei consilia a Deo percipere, ut supra vidimus: alia enim hic non latet emphasis, licet quærant nonnulli) *& audire fecissent populum meum verba mea, ut reverti eos faciant a mala ipsorum via, & a pravitate operum ipsorum*, h. e. verba mea populo adnunciassent, quibus permoveretur ad peccata mittenda & legem Dei observandam, judicia peccatoribus, & bona Dei timentibus, & legem ejus facientibus, inculcando. Quod cum sit veri prophetæ criterium; & illi longe secus instituerint, peccatoribus pacem in mediis peccatis promittendo; falsos se esse prophetas, clare demonstrarunt. Vid. c. XIII. Nihil hic occurrit observandum, præter illud unum, ו in וישבום rectius, ut feci, per *ut*, quam *&*, verti, ut sæpe alibi *a*; non enim tam quid effecissent, quam quid adtendere, & quid conari, debuissent, exponitur. Quo non animadverso, Chald. & Vulg. in longe alium sensum detorserunt, de Deo, populum tunc conversuro, intelligentes.

§. CCCCXXV. d. Exceptionis, a Dei ignorantia seu

a Vid. ad Mal. IIII 1. §. 128.

inadvertentia petitæ, qua carnales homines & hypocritæ sibi illudere solent, occupatio & refutatio, quæ Deo, notas non tantum, sed & curæ ac cordi esse fraudes falsorum vatum, simul arguit, superiori convictioni apte subnectitur, vers. 23--25. *An Deus e propinquo ego sum, inspiratum Jehovæ, & non Deus e longinquo? an obvelabitur quisquam in latebris, nec ego eum videbo? inspiratum Jehovæ: nonne coelum & terram ego impleo? dictum Jehovæ. Audivi, quid dixerunt prophetæ isti, qui in nomine meo falsum vaticinantur, dicendo; somniavi, somniavi!* h. e. Cum falsi prophetæ impudenter adeo mentiantur, & somnia, a se ficta in tenebris, palam tanquam a me immissa jactitent; eaque ratione, si non opinione, saltem modo agendi, cogitandum præbeant, mihi, tanquam longius remoto, occulta eorum mendacia aut latere, aut minus curæ cordique esse, me longe aliter esse adfectum, & probe perspectas habere eorum fraudes, nec impunitas dimissurum, velim sciant, & ad animum referant, ne sese hac vana cogitatione sua & spe lactent. Cohæret hæc pericopa, & ad falsos prophetas referenda est, ut vel ex eo liquet, quod, cum Deus ignorantiam rerum vel occultissimarum & remotissimarum a se repulisset, mox dicat, dictum ad prophetas illos adplicando, se *audivisse* ficta eorum *somnia*, adeoque nec latere Deum, nec ab ipso susque deque haberi. Perinde autem est, sive prophetæ illi mendaces vere tam vesanam de Deo habuerint opinionem, & per eam sese in fraudibus & mendaciis suis reddiderint securos, sive vita & actionibus suis se ita gesserint, acsi ea opinione fuissent imbuti, sicut illi solent, qui, occulta sua facinora Deo ignota esse, vel non curari ab eo, opinantur. Script. enim sæpe non quid homines statuant, sed quid ex institutis eorum sequatur, & concludi debeat, in lucem profert, & reprehendit. Scopus itaque pericopæ est, prophetis illis eripere vanam eorum in mentiendo securitatem, & ipsis ob oculos ponere, eos non impune id laturos esse, cum ipsis res sit cum Deo omniscio, & ad hominum ac-

tiones adtento. Rejicit itaque Deus, tanquam absurdissimum, se inscio aliquid, vel occultissime, fieri, & declarat, sibi probe nota esse prophetarum istorum ficta somnia, quam secreto etiam facta. Prius vers. 23, 24. *posterius*, vers. 25. In *priore* parte nihil occurrit, quod moras injicit; verba omnia interrogative capienda esse, & partim negare, partim adfirmare, satis est tritum; & ex structura orationis manifestum. Deus dicitur *e propinquo & non* e *longinquo*, qui propiora & manifesta, non remotiora & occulta, perspecta habet; acsi esset *homo*, alicui loco inclusus; cujus respectu alia sunt prope, alia longe; in specie acsi esset *coelo* inclusus, & in *terra* simul non adesset, adeo ut, sicut coelum & terra sint loca longe dissita, ita quoque respectu Dei, qui coelum ita inhabitet, ut a terra longe absit. Quod ex seq. confirmatur; ubi Deus coelum & terram replere dicitur. Loca itaque intelliguntur, vere remotissima a se invicem, sed negatur, respectu Dei talia esse, quippe qui æque in remotissimis ac propinquis, æque in terra ac coelo præsens adest. Coelum itaque locus *propinquus* adpellatur, quia Deus ibi censetur habitare, & inde *terram* quasi despicere. Sic Ps. CXIII: 5, 6. *Quis est sicut Jehova Deus noster, qui sese mihi sublimat ad sedendum, qui sese mihi demittit ad videndum in coelo & in terra*, nec non CXXXVIII: 6. *altifrontem elatum e longinquo cognoscet*. Conf. etiam Ps. CXXXIX. Qua ratione vero *coelum & terram* impleat, per omnipræsentiam suam salva natura ejus spirituali & infinita, satis constat; nec de eo hic est disputandi locus. Tantum quoad structuram vocum not., forte rectius legi אלהים quam אלהי, littera ם absorpta per concurrentiam ejusdem litteræ in vocibus seq.; nulla enim ratio *status constructi* in voce אלהי dari potest, quæ sufficit. In *posteriore* parte omnia quoque plana sunt. Declarat Deus, sibi remota & occulta non esse talia, sed propinqua & manifesta, cum verba illorum mendacia, *somniavi, somniavi*, probe habeat nota, acsi audiverit, & ad animum etiam revocaverit; *somniare* vero somnium divinitus immissum notare, tralaticium est.

§. CCCCXXVII.

§. CCCCXXVI. *e*. Tolerantiam & longanimitatem, qua Deus, falsos prophetas mendacia sua pro veris oraculis venditare, sivit, eo etiam usque, ut veri prophetæ in oblivionem venerint & contemtum, finem suum adtigisse, adeoque tempus venisse, ut falsi prostituantur, & veri prophetæ vindicentur, declarat Deus, vers. 26--29. loco aptissimo, cum mox ipsum judicium Dei in pseudo-vates sequatur, vers. 30. Hic conspectus & scopus est pericopæ, istis versibus comprehensæ: in quibus, *a*. tolerantiam Dei hac parte esse finitam, declaratur per modum interrogationis, *quousque?* quo non amplius ferendum illud esse declaratur: his verbis, vers. 26, 27. *Quousque* audiam, *solidum est in corde prophetarum illorum falsum vaticinantium? & quousque audiam vates fraudis cordis ipsorum, qui machinantur populum meum adducere ad oblivionem nominis mei somniis suis; quæ quisque proximo suo narrat; sicut patres eorum obliti sunt nominis mei in Baale?* h. e. diu jam audivi & tuli falsos vates, eorumque mendacia vaticinia; *quousque* feram & audiam illud multorum & vulgatum de ipsis dictum, mihi tam injuriosum & populo noxium, hoc nimirum: *solidum* est *& verum in corde pseudo-vatum*, veri sunt prophetæ; quousque feram & audiam prophetas fraudis cordis ipsorum, qui mendacia, ab ipsis excogitata, proferunt tanquam oracula vera, & a me profecta: quorum institutum eo tendit & recidit, ut populus tandem mei nominis, & veræ prophetiæ in meo nomine, obliviscatur, somniis falsis, & fictis, unice adhærescendo; sicut antea contigit, cum in nomine Baalis prophetarunt: mei enim tunc per Baaliticos prophetas oblivio eos cepit; quod & nunc per vates, nomine meo falsum prophetantes, continget, nisi judicio meo interveniam; quod itaque ut faciam, necesse est, tolerantiam meam satis diuturnam tandem abrumpendo. Quæ paraphrasis cum sensum & scopum clara in luce collocaverit, paucis, ad eam illustrandam necessariis, defungar. Dividit sese hæc pericopa in duo membra, quæ ambo a part. interrogationis, *usque quo?* dependent

pendent, quorum *prius* expresse eam habet præmissam, sed *posterius* implicite, & elliptice, ex præced. repetendam: a quo observato intellectus versuum dependet. *Prius* membrum habet: *quousque solidum illud in corde prophetarum prophetantium falsum?* h.e. quousque audiam illud vulgare dictum, quod in omnium ore est: *solidum* & verum est in animo vatum falsorum, non fictum & mendacium, ut Jeremias arguebat. Verbum *audire* ex vers. præcedente repetendum est, ut plene sit, *quousque audiam?* quo nihil facilius est: cum enim Deus modo dixisset *audivi dictum* eorum prophetarum, *somniavi* &c. recte subjungitur, *quousque audiam?* 2. Reliqua, quæ sequuntur, continent illud dictum, quod Deus per illam interrogationem declarat non amplius ferendum esse, hoc n m. *solidum est in corde eorum vatum falsorum. Falsi* adpellantur a Deo, quales erant, sed a populo pro veris habebantur, quod indicatur per illud; *solidum est* &c. ita de iis loquebatur populus, vel qui *vatibus* illis patrocinabantur inter sacerdotes & alios; vox itaque יש hic exserit veram suam potestatem, qua quid *solidum, vegetum, verum & duraturum* dicit, ut Ps. cxxxv: 17. *etiam vacuitas soliditatis spiritus in ore ipsorum* h. e. penitissime nullus spiritus, ut recte Cl. Schultens. [a] sic 2 Reg. IX: 15. *si soliditas sit anima vestra* h. e. si sincera sit, & fixo prædita proposito, simul firma. Mich. VI: 10. *an solidum, perenne quid domus improbi?* ubi אש occurrit pro יש; sunt enim אשה & ישה vicinæ radices, a rad. ישה, quæ apud Arab. dicit *consolidationem fracti* [b]: ה vero in הש non interrogat, sed intendit significationem, ut sæpe alias; adeoque verti debet, *solidum illud cum maxime est.* &c. Quod si interrogative quis capere malit, *est ne solidi quid in corde prophetarum?* &c. pro fortissima negatione, qua quid cum indignatione rejicitur, capiendum est, ita ut rationem contineat, quare Deus non possit amplius *audire*, vel ferre, hac ratione; *quousque* audiam, & tolerabo? est ne

Ffff quid

[a] Gr. p. 245. [b] Vid. Schultens ad Har. cons. III. p. 177. & ad Prov. III: 28. VIII: 21. XIX: 18.

quid veri ac solidi in corde eorum? nihil profecto; omnia vana sunt & mendacia, a corde ficta.

CCCCXXVII. *Posterius* membrum incipit cum vocibus in fin. vers. 26. & *prophetas fraudium cordis ipsorum*, quibuscum seq. manifeste cohærent, *qui cogitant* &c. : ut facile cernitur. Particula ו *&*, ante prophetas, nos ad superiora ducit, ac, *quousque* scilicet *audiam?* esse repetendum, indicat, ut plene sit, *quousque audiam* & feram *prophetas fraudis cordis eorum*, *qui cogitant* &c. quando cuncta apte cohærent, & facilem fundunt sensum. In verbis parum est, quod nostras requirit curas. 1. *Prophetæ fraudis cordis sui* sunt, non qui a corde, & imaginatione, decipiuntur ipsi, sed qui fraudes in corde nectunt, & mendacia ad decipiendum alios excogitant, somnia fingunt, & pro divina inspiratione venditant: ut ex toto hoc cap. liquet. 2. *Nominis Dei oblivio*, quam illi vates suis mendaciis si non intendebant, utique producere debebant in populo, quod hic dicitur *cogitare, moliri*; in genere fœderis & legis contemtum per mala facinora, quibus vates illi patrocinabantur, ut supra vers. 17. vidimus, in specie veræ prophetiæ in medio populi *abolitionem* comprehendit, ita ut per falsos prophetas spreti fuerint illi, qui *in nomine* Dei vaticinabantur; quod huc directe quadrat; certo criterio verum a falso vate distinguendi hac ratione plane in obscurum misso; quo respicit; quod criterium illud mox expresse memoretur, ut statim videbimus. 3. Verba, *quæ* (somnia) *narrat quisque proximo suo*, non ad falsos vates, sed populum referenda sunt, & indicium continent *oblivionis nominis Dei* per somnia vatum factæ inter Judæos, quatenus illa, a vatibus acceptæ, secum invicem tanquam vera oracula communicabant: quo phrasis nos clare ducit. 4. Denique, cum majores eorum dicantur *nominis Dei per Baalem obliti*, indicatur, eos per prophetas Baaliticos, in nomine Baalis prophetantes, deceptos eodem sensu *nomen Dei* neglexisse & sprevisse. Quod ad prophetarum Judæorum facinus adgravandum additur; cum hi eodem modo, ac Baalitæ vates, instituant, *nomine Jehovæ* usi & abusi

quod

quod pejus erat, ut verſ. 13, & 14 habuimus: quo hic digitus intenditur. *Patres* itaque eorum adpellantur Israelitæ, per prophetas Baalis decepti, quatenus eorum indolem exprimebant, & veſtigia ſequebantur, ſicut Amorrhæi & Chittæi eô quoque ſenſu Judæorum *pater* & *mater* dicuntur Ez. XVI. Ex quo ſimul pateſcit, quam male hinc argumentum petatur ad demonſtrandum, non de vatibus tempore Jeremiæ hic agi, ſed ſequentium temporum, circa tempus Meſſiæ, *doctoribus falſis*: acſi hoc tempore non potuiſſent diſtingui vates Judæorum a Baaliticis ſuperioris temporis, & iis opponi.

§. CCCCXXVIII. β. Ratio, quare pſeudo-vates ferendi amplius non ſint, nec populus, ſe decipi tam facile paſſus, ut nominis Dei fuerit oblitus, mereatur, ut diutius favore Dei fruatur, ſubjungitur, deſumta cum ab indignitate rei, tum ab intoleranda populi pertinacia, qui, cum tam facile inter veros & falſos prophetas diſtinguere poſſit, ſeſe, illis ſpretis, his dederit ducendos; ferendum itaque non eſſe, ut falſi vates nomen Dei prætendant vanis ſuis & fictis ſomniis, & populus amplius ſe decipi patiatur; cum inter vera & falſa oracula inmane quantum diſcrimen ſit. Huc collineat pericopa verſ. 28, 29. *Propheta, cui erit ſomnium, narrabit illud, & cui erit verbum meum, loquetur verbum meum ex vero: quid eſt palea cum tritico? inſpiratum Jehova! nonne aduſtio verbum meum*, vel *vis verbi mei, ſicut ignis? & ſicut malleus rupem diffringet*? h. e. vanos eſſe & mendaces prophetas illos, populumque, ſe in fraudem impelli paſſum, inexcuſabilem eſſe; adeoque nec illos nec hos amplius tolerandos, facile conſtabit, ſi ad verorum prophetarum criterium, & verbi mei ac humani diſcrimen, adtendatur: quis enim eſt verus propheta? is, qui vera ſomnia & divina narrat, & verba, vere conſolatoria, profert, a me profecta; quodnam vero & quale eſt verbum meum? *frumentum*, non, ut illorum vatum, *palea*, adurendi & *diffringendi*, vel duriſſima quævis, præditum virtute irreſiſtibili. Deus hic *a*. exponit, quid verus agat propheta: ſomnium, quod vere habuit, narrat, & verbum

 Dei

Dei in veritate loquitur, non fingendo, & mentiendo verbum Dei. Interpretes passim prius membrum ad falsos prophetas referunt, & posterius ad veros; ut sensus sit, falsus vates narret *somnium suum*, sed pro divino non venditet, *verus* propheta loquatur verbum meum in veritate: sed obstat, 1. quod propheta in priore membro dicatur *habere somnium*: cum tamen falsi hi prophetæ *finxerint*, ut supra vidimus. 2. quod, quid sibi velit, *narret somnium*, & quare hic memoretur, plane non adpareat. Rectius itaque utrobique veros intelligimus vates, &, *somnia* ac *verbum Dei* distincte memorari, statuimus, ut diversi modi revelationis per *imaginationem* & *vocem*, seu adloquium, exprimerentur; de quo supra diximus ad vers. 16. Sed *verbum Dei* loqui in specie pertinet ad verba *consolatoria*; ut supra etiam observavi: quo comparatio cum *frumento*, quæ mox sequitur, etiam pertinet.

§. CCCXXIX. b. Addit mox Deus, quodnam sit *verbi* sui distinguens criterium, quantumque inter illud & falsorum prophetarum discrimen, ex quo veros inter & falsos vates distingui queat, vers. 28. 29. his verbis: quid *paleæ cum frumento?* (sc. commune est, nihil, immane quantum distat; sic sese res habet cum meo & vatum eorum verbo, in primis consolatorio; quod hic præcipue intenditur, ut ex comparatione cum *frumento* patet: falsorum vatum verba sunt vilia, vana, nulla virtute animum pascendi & fulciendi prædita, digna, quæ discutiantur, & cum autoribus dispereant, instar itaque *paleæ* seu *stipulæ*: Dei verbum, a veris prophetis prolatum, est quid *solidum*, Deo dignum, & conscientiæ sese adprobans, quod animum vere pascit, tranquillat & erigit, stabile & durabile, nullo vento auferendum, sed *manens in æternum*: 1 Pet. 1: 25. instar itaque *frumenti*. Sensus non est, uti multis visum, *paleam* non esse *frumento* admiscendam, fictas revelationes non esse veris addendas; quippe quod falsi vates non faciebant, qui pro vera venditabant falsam, sed paleam inter & frumentum nihil esse commune, ita ut palea ejus locum possit supplere, aut cum

eo

eo confundi, ita ut distingui nequeat. Proverbialis est locutio, ad magnum rerum discrimen exprimendum, & hic eo tendit, ut, vana vatum somnia, & verba fallacia a veris & divinis facile distingui posse, adpareat) *nonne*, sic pergit Deus, *adustio verbum meum sicut ignis?* (sic vocem כה potius verterim a כוה *urere, adurere*, unde & כי eodem sensu, Jes. III: 24. Ps. CXVIII. &c. de quo vid. Cl. Schroeder *a*, unde quoque *particula* כה *sic* orta est, & כ *nota inusta*, dein *similitudinis*. Particula vero כה *sic* sensum turbat, nec emphasin hic habet: rectius itaque *adustio*, cum mox simile *ignis* sequatur; dicitur autem verbum Dei *adustio*, quatenus adurendi vim habet, instar *ignis*. Quod si minus placeat, sicut vere minus apta & elegans est dictio, *adustio sicut* ignis, legerim כח, ut sit, nonne *vis verbi mei sicut ignis*, sicut *mallei, qui confringit petram*: sicut Ps. XXIX. Prope abest Chald., qui vertit, *nonne omnia verba mea* תקיפין *fortia sicut ignis*. Eo aptius vox כח igni adjungitur, quod primaria ejus virtus sit in nisu *penetrante*, unde *roboris* notio orta est.) *& sicut malleus confringet?* vel *qui* confringet, *petram* (sensus est, verbi Dei vim esse magnam & insuperabilem ad peccatores, etiam obstinatos, aut convincendos ac convertendos, aut delendos & inter multos cruciatus exstirpandos. In quibus nihil superest, nostra cura illustrandum.

§. CCCCXXX. β. Descriptione & convictione falsorum vatum facta; apte sequitur judicii Divini in eos denunciatio, ad quam proxime via erat parata; cum Deus declaraverat, eos non amplius ferendos esse: quæ vers. 30–32. his verbis fit. *Propterea* (propter illa prava nec ferenda amplius eorum instituta & facinora, supra in lucem protracta) *ecce me contra prophetas illos, inspiratum Jehova!* (sc. venientem & agentem, instar judicis) *qui furantur verba mea quisque a proximo suo* (h. e., ut recte Grotius, *qui suis mendaciis efficiunt, ne homines legi & veris prophetis fidem adhibeant*. Quod sicut verba directe continent, ita ex vers. 27.

 ex-

a ad Jes. l. c.

extra dubium collocatur, ubi prophetæ dicuntur in eo fuisse, ut *populus verbi Dei oblivisceretur*; quod hic est verba Dei furtim surripere populo, vel efficere, ut cives sibi invicem dicant, *non est hoc verbum Domini*, quod Jeremias & similes vates adnunciant. Alii aliter interpretantur, sed coacte:) *ecce me contra prophetas, inspiratum Jehovæ! qui foecundant linguas suas, & insusurrant dictum* (h. e. qui non a Jehova inspirati loquuntur, sed suas linguas ipsi flore doctrinæ adspergunt, & sibi inspirant *dictum* tanquam divinum. Interpretibus hic aqua hæsit, quod verborum לקח & נאם proprios ignoraverint significatus; Schmidius quoque cum Gatakero ex לקח fecit חלק per litterarum, hic non ferendam, transpositionem, sed omnia sunt clara non tantum, verum etiam eleganter & emphatice expressa, si quis verborum vim perspectam habuerit: לקח proprietatem habet in foecundo & vegeto flore seminis, in specie flore mascularum palmarum, quo foemellæ conspersæ redduntur foecundæ; unde ad foecundam & floridam doctrinam transfertur, & *foecundare* est docere, ut & pass. *foecundari* pro discere, & accipere doctrinam. De quo vid. Schultens a. Sicut Prov. XI: 30. occurrit לקח *foecundans animas solide sapiens*; ita hoc loco *foecundare* dicuntur pseudo-vates ipsi *suas linguas*, cum ex se & propria fictione verba docent, a *lingua proferenda*; supra c. IX: 4. habetur *docere linguam fraudem*: quo nihil est aptius & elegantius; ut facile perspicitur; Additur explicationis & illustrationis ergo, & *inspirant dictum*, sc. ipsi sibi inspirant, non per Dei inspirationem acceperunt. Verbum נאם proprie dicit, *spiravit vocem debiliorem ac lenem*, insusurravit, inspiravit, unde formula *dictum Jehova*, pro inspirato, insusurrato b. *Inspirare dictum* itaque dicuntur falsi prophetæ, quatenus sibi ipsi inspirant, non a Deo accipiunt inspiratum,) additur; *ecce me contra prophetas falsorum somniorum, inspiratum Jehovæ! qui narrant, & po-*

a ad Job. XX: 4. Prov. I: 5. XI: 30. b Schultens clav. p. 190.

populum meum aberrare faciunt mendaciis suis, & falsa sua gloriatione, nec ego misi eos, nec præcepi ipsis, nec illi arcem scandere hunc populum faciunt; inspiratum Jehovæ. Nihil hic difficile, aut nobis relictum, nisi, 1. respectu vocis פחזות; cujus significatio & emphasis non satis percepta est; origo ejus est in *tumore*, & usus in *superbia*, & *falsa gloriatione* a. 2. quoad phrasin, הועיל לא יועילו, non vertendam simpliciter, *utilitatem non præstant*, sed, ut feci, *culmen scandere non faciunt*, vel asylum non præstant. Quod verbi potestati est conjunctius, & magis emphaticum b.

§. CCCCXXXI. ד. *Quartus* articulus concionis in falsos prophetas comprehendit admonitionem, ad populum, prophetas & sacerdotes, directam, ut sibi a verbis Dei, per veros prophetas prolatis, irridendis ac odiosis reddendis, eoque nomine spernendis ac traducendis, solicite caveant, utque se reverentius erga ea & fidelius præstent, nisi gravem Dei vindictam, cum totali abjectione populi conjunctam, subire velint. Qui conspectus est & scopus pericopæ, vers. 33—40, ubi α. propositio occurrit 33, 34. β. ejus deductio & confirmatio, vers. 35—40. α. Propositio continet, *a.* responsum durum a propheta faciendum iis, qui cum contemtu rogaverint, *quænam sit gravis & onerosa Dei sententia*, ipsi revelata, ut prætendebat; his verbis vers. 32. *Et cum te populus iste* (seu quivis de populo, ut ex seq. patet, præterea populus *iste* gravis; quam emphasin voculæ זה in malum sæpe ante habuimus, & observavimus) *aut propheta* (sc. falsus & mendax) *aut sacerdos* (eo non melior, æque ac propheta corruptus) *interrogabit, quodnam est onus Jehovæ? iis dices, quod onus?* vel rectius, *vos estis onus; & abjiciam vos, inspiratum Jehovæ!* h. e. si sarcastice & per contemtum de revelationibus & dictis meis, tanquam gravi onere, & minacibus sententiis, fuerint locuti, & eo animo, voce mea משא abusi, te rogaverint, *ecquod* est *onus Jehovæ?* a te accipiant responsum;

a Id. in anim. Philol. ad Job. XXXVIII: 11. b Id. ad Prov. X: 2.

ſum; eos ipſos hoc nomen eo, quem ipſi intendunt, ſenſu mereri, & ita a Deo tractandos eſſe, cum Deus eos, tanquam onus, non amplius ferendum, abjecturus, & ſibi ipſis relicturus ſit ad perniciem. Quæ paraphraſis ut recte intelligatur, notandum eſt, Judæos hic ſiſti, tanquam verbi Dei, a Jeremia prolati, *depravatores*, ut verſ. 36. diſerte habetur, & contemtores, qui voce משא abuſi de verbis & ſententiis Dei, eoque inſpirante a prophetis veris magna *cum* fiducia & voce clara prolatis, quæ propria eſt vocis משא poteſtas, fecerant *onerosa* & minarum tantum plena verba, ad alios panico terrore percellendos unice deſtinata, & a ſpiritu melancholico ac maligno profecta: quo animo repræſentantur prophetam rogantes, *quodnam eſt onerosum illud & minax*, quod proferendum habes? Vox משא a נשא *tollere*, & per ellipſin, *tollere* ſeu ponderoſam ac gravem ſententiam proferre, idque magna cum fiducia, & voce ſonora, bono & uſitato ſumta ſenſu, ſententias, Deo inſpirante, ea, qua dixi, ratione prolatas, denotat, ſive in bonum, ſive in malum: ſed cum prophetæ conciones eſſent paſſim minaces, & populo valde moleſtæ, eoque nomine, tanquam a ſpiritu malo profectæ, ſpernerentur & traducerentur, vocem illam in malum ſenſum rapuerunt, & pro *dicterio* habuerunt, quo contemtum ſuum exprimebant, dicentes, *onus* eſt hoc verbum, & moleſtum auditu; reſpicientes ad ſignificatum *tollendi* in rad. נשא, & ad *onus*, quod ferentem premit, ſicut משא aliquando ſumitur. Reſponſum, prophetæ injunctum, ad hanc vocis ſignificationem quoque adcommodatum eſt, & habet; *eos ipſos*, qui ita inſtituebant, eſſe *onus* & *ſarcinam Jehovæ*; adeoque ab eo abjiciendos. Textus Maſoreth. quidem habet, *quod onus*? & *abjiciam vos*, Sed LXX. reddiderunt, ὑμεῖς ἐστε *vos eſtis*, pro את־מה־משא legentes, iisdem litteris, ſed aliter conjunctis, אתם המשא, ut recte Cappellus obſervavit, & Meibomius *: quæ quin vera ſit lectio, vix dubitaverim, cum quod ſenſum vix fundat commodum, & conſtructionem faciat impeditiorem,

le-

* Specim nov. in præfat.

lectio recepta, tum, quod verbum seq., *abjiciam vos*, nos ad populum, tanquam onus a Deo abjiciendum, ducat. Sensus ergo est; quid quæritis de *onere* Jehovæ, *quodnam* sit? verbum Jehovæ pervertentes: vultis scire, quodnam vere *onus* sit Jehovæ? *vos ipsi* estis, qui Jehovæ nimis estis molesti, nec ferendi amplius; quare abjiciet vos, omni cura sua vos exsolvet, & promiscui juris faciet ad cædem & lanienam: quam vim & usum habet verbum נטש proprie *solvit*, *exsolvit*, inde inter alia *neglexit*, & *abjecit*: de quo sæpe alias dixi. *b.* Altera pars propositionis continet judicium Jehovæ, iis infligendum, qui voce משא in posterum fuerint ea ratione abusi; vers. 34. *Et propheta & sacerdos & populus iste* (h. e. omnes illi, quicunque fuerint, æque unus ac alter, quem usum hic habet particula ו *&* identidem repetita) *qui dixerit* (sc. in posterum, posteaquam vox ea in eum venerit abusum, & tam perverse in contemtum verbi Dei traducta) *sententia onerosa*, seu *onus Jehovæ*; *visitabo virum hunc & domum ejus* (singulari judicio eum radicitus exstirpabo) In quibus nihil superest difficilis.

§. CCCCXXXII. *β.* In propositionis deductione & confirmatione Deus. *a.* declarat, qua ratione de verbo Dei, & inter se & ad Prophetam, loqui debeant in posterum, qui ulla Dei ducuntur reverentia, vers. 35 -37 *b* Interminatur gravissimam pœnam inobedientibus, vers. 38--50. *a.* Cum vox ista משא in istum abusum venerit, ut verbum Dei risui & sannis exponatur, interdicit Deus ejus usu, *cum* in mutuis sermonibus, *tum* in propheta consulendo: *prius* vers. 35, 36. *posterius* vers. 37. In *priore* parte Deus 1. injungit populo, qua ratione secum de verbo Dei loqui debeant, vers. 35 *Sic dicetis, quisque proximo, aut fratri suo: quid respondit Jehova, & quid dixit Jehova?* h. e. de oraculis Dei quæsituri, dicetis inter vos alter ad alterum, nostisne, quid *Jehova respondit*, *quid dixit?* audivistisne quid a Propheta aliquo, nomine Jehovæ, prolatum est? cum reverentia itaque & submissione, animo ad audiendum & obediendum parato;

quicquid etiam a Deo fuerit prolatum, seu præceptum, seu interdictum, seu promissum, seu interminatum: ad omnia enim sese hæc porrigunt verba, non ad sola *mala*, ut sarcastice traducebant, qui משא adpellabant. Nihil & hic obscuri. *Respondere* & *loqui* Dei distincte memorantur, sive quod duæ simpliciter fuerint formulæ interrogandi, quarum alterutra sit adhibenda, sive *respondere* restringatur ad interrogata, vel tacita vel expressa, sive populi, sive prophetæ. 2. Interdicit alterius vocis, in abusum tractæ, usu, addita *ratione* a malo inde orituro, & *abusu* inde facto, vers. 36. *nec onus Jehovæ amplius memorabitis, quia oneri erit cuique verbum suum, & pervertistis verba Dei vivi Jehovæ exercituum, Dei nostri.* Duplex datur ratio interdicti, *altera* a gravi calamitate, quam sibi accerseret qui violaverit illud, *altera* ab indignitate facti; quæ *rationes* ita cohærent, ut posterior simul sit causa, cur ideo puniretur, qui dixerit *onus Jehovæ*, quod verbis Dei tam perverse abuteretur. Quo observato cuncta plana sunt: non *memorabitis* amplius, dicit Deus, *onus Jehovæ*, quia *hoc* ei, qui fecerit, male cedet, quia ipsi verbum hoc, quo prophetiam dixerit *onus*, vere *erit oneri*, molestiam multiplicem & gravem adlaturum; adeo ut, quod ipse sarcastice de verbo Dei protulit, acsi esset *onus* grave, & molestum, illud vere sit experturus: quæ facillima est verborum interpretatio, nec aliam fert structura vocum. Additur, quare Deus hoc dicto amplius nolit aliquem uti, & simul quare tam graviter puniendum sit, ne quis in ipsa voce משא aliquid mali esse opinetur, his verbis: *& pervertistis verba Dei vivi* &c. hoc sc. dicto, in perversum sensum rapto, verba Dei exposuistis risui & contemtui: quod est *pervertere verba Dei*, proprie *torquere*, torquendo immutare; & in specie *alterare*, & in *malum convertere*. Ceterum ultimæ voces, *Jehovæ exercituum Dei nostri*, non sine emphasi & ratione subjunguntur: eo enim tendunt, ut, ejusmodi *Deum vivum* esse Jehovam Deum Israelis, inculcaretur; acsi haberetur, *Dei vivi*, qualis est Jehova Deus noster, & meus & vester, to-

tie

tius populi Israelis: *Dei vivi* verbis abuti erat grave crimen hic taxatum; horrendum enim est *incidere in manus Dei vivi*; & talis tamen est solus Jehova, inquit propheta. Denique subjungit, eadem ratione instituendum esse, cum adierint *prophetam*, & ipsum interrogarint de *oraculo Dei*, vers. 37. *sic dices prophetæ, quid respondit tibi Jehova, & quid dixit Jehova?* quæ satis clara sunt.

§. CCCCXXXIII. *b.* Interminatio inobedientibus, quæ, ut dixi, altera pars *deductionis* est, complectitur totalem abjectionem populi, cum æterna conjunctam ignominia, vers. 39--40. Præmissa inobedientia, quæ conditionate quidem proponitur, sed certo tamen ex præscientia Dei futura esset, vers. 38 *Et si onus Jehovæ dixeritis, propterea sic dixit Jehova, quia dixistis verbum hoc, onus Jehovæ, & misi ad vos* (postquam vobis per legatum meum prophetam declaravi,) *dicendo, non dicetis onus Jehovæ*; in quibus nihil est obscuri, Deus ita pergit vers. 39. 40. *propterea ecce me* (sc. ad id, quod mox dicam, exsequendum paratum) *& portavi vos portando, & abjicio vos, & urbem hanc, quam vobis & majoribus vestris dedi*, a *facie mea*; *& impono vobis opprobrium sempiternum*, & *ignominiam æternam, quæ oblivioni non dabitur.* Nihil hic impediti, nisi in primo membro; *& portavi vos portando*, & *abjicio vos* &c. uti reddidi: in quo exponendo Interpretes varie instituerunt, nec verum sensum penetrasse videntur: alii reddunt, *obliviscar vestri* & *abjiciam vos*, alii, *ego tollam vos* & *abjiciam* &c: prius ferri nequit, cum non נשה, sed נשא occurrat, nec satis emphaticum sit, *obliviscar*, aut recte sequatur *abjiciam*; *tollere* pro vastare cum seq. verbo minus recte cohæret. Ex nostra sententia Deus hic duo conjungit, & beneficium summum, hucusque in Judæos collatum, & ejus cessationem, ac cum totali abjectione commutationem; sensusque constituendus est; sicut *portavi vos portando*, *ita* nunc abjiciam vos, tanquam onus, mihi nimis molestum; plane ut vers. 33 *vos estis onus illud, & abjiciam vos.* Radix נשא, cujus sororia est נשה, frequen-

 tio-

tioris usus in reliquiis linguæ Biblicæ, proprie significat, *bajulavit, portavit*, vexit, elevavit; unde in Bibliis superest Hiph. השיא sensu *decipiendi*, proprie *imponendi*, ut Lat. loquuntur. Denotat enim *portare facere*, & speciatim clitellas, sarcinam, unde *decipere*, seu inposita sarcina naso circumducere pro arbitratu, seu alio flexu ab *elevatione*, vana opinione elatum ac inflatum graviori lapsui exponere, ut Gen. III *serpens me decepit* h. e. in vanam spem & superbiam extulit, ut graviore lapsu ruerem, Obad. 3. *tumor inflatus cordis tui te decepit*. Sensus *portandi & elevandi* huc unice quadrat, quatenus Deus populum antea quasi humeris suis impositum tutatus sit, & *extulerit*, diuque toleraverit; quod magnum erat beneficium, Deut. I: 32. XXXII: 11. & Jes. XLVI: 3, 4. LXIII: 9. ac alibi celebratum, quo cum sese nimium indignos nunc præstiterint Judæi, in fastum & superbiam elati, beneficio portationis ac *elevationis* Dei abusi, quod, ut modo observavi, verbo נשא etiam comprehensum est, simul Deum, tanquam *onus* premerent, declarat Deus, se eos *abjecturum*, & perpetuæ *ignominiæ* expositurum esse. Alluditur, ut dixi, ad משא *onus*, quocum populus erat comparatus vers. 33. & Deus dicere vult, *portavi vos portando* satis diu, sed nunc non amplius possum, quare *vos abjiciam*. Particula *&* repetita respondet Lat. *sicut* & *ita*; ut sit, *sicut portavi, ita abjiciam*: de quo usu supra dixi: emphasin habet, *portavi portando*, h. e. diu ad *defatigationem usque*.

CONCIO DECIMA.

CAP. XXIV.

1\. *Videre me fecit Jehova, & ecce duos canistros ficuum constitutos coram palatio Jehovæ! postquam*

Ne-

Nebucadnezar rex Babelis deportaverat Jechoniam, filium Jojakimi, regem Judae, & principes Judae, & fabros, & officinatores, Hierosolyma, eosque abduxerat Babelem.

2. *Calathum unum ficuum optimarum, instar praecocium ficuum, & calathum alterum ficuum pessimarum, quae prae acerbitate comedi nequeant.*

3. *Et mihi dixit Jehova, quid tu vides, Jeremia? & dixi, ficus, alias ficus optimas, alias malas,* easque *pessimas, quae prae acerbitate comedi nequeunt.*

4. *Et factum est verbum Jehovae ad me, dicendo.*

5. *Sic dixit Jehova, Deus Israelis; sicut ficus illae bonae* sunt, *ita agnoscam deportatos Judae, quos ex hoc loco misi in terram Chaldaeorum, in bonum.*

6. *Et ponam oculum meum super eos in bonum, & reducam eos in hanc terram, & aedificabo eos, nec diruam, & plantabo eos, nec evellam.*

7. *Et cor ipsis dabo ad cognoscendum me, quod sim Jehova; eruntque mihi in populum, & ego ipsis ero in Deum; quia ad me toto corde suo revertentur.*

8. *Verum sicut ficus malas, quae prae acerbitate comedi nequeant, profecto sic dixit Jehova, ita dedam Tsedekiam regem Judae, & principes ejus, & residuos Hierosolymae, qui in hac terra sunt relicti, ut & habitantes in terra Aegypti.*

9. *Et tradam eos in agitationem, quassationem, omnibus terrae regnis, in opprobrium, & dicterium, in acutum mordax dictum, & maledictionem, in omnibus locis, in quae eos expulero.*

10. *Et in eos mittam gladium, famem & pestem, donec absumti fuerint a super terra, quam ipsis & majoribus eorum dedi.*

§. CCCCXXXIV.

Concio *undecima*, vel *decima* potius, si proxime præcedens pro *parte octava* habeatur, de quo supra dixi, hoc uno brevissimo capite comprehensa, *visum*, prophetæ cum explicatione ejus oblatum, mox post Jechoniam abductum & Tsedekiam suffectum, continet, duorum canistrorum *ficuum*, unius bonarum valde & præcocium ac maturarum, alterius pessimarum, seu durarum & immaturarum, coram Templo positorum, ut solebant in primitiarum oblationibus, Deut. XXVI: 2. quo hic respici videtur, vel, cum Deus Templum censeatur inhabitare, quare *palatium Jehovæ* adpellatur, coram Templo existimari possunt positi tanquam, quæ Calvini est observatio, coram *tribunali* Dei, ut, examine q. instituto, sententiam Dei consequantur. Quarum *illa* repræsentarunt, secundum expositionem Dei, posteros Jechoniæ & Judæorum, cum eo abductorum, a Deo in favore ac gratia respiciendos, in terram restituendos, ac bonis temporalibus & spiritualibus mactandos, quippe ad Deum toto animo sese conversuros; *hæ* vero Tsedekiam, ac Sallumum in Aegyptum transportatum, eorumque socios in terra Cananæa superstites, & in Aegypto degentes, cum posteris; quos Deus partim contemtui & execrationi traderet in terris peregrinis, partim in terra patria quovis judiciorum genere exstirparet. Significarunt itaque *bonæ ficus* Jechoniæ & comitum in exilio *posteros*, nec sparsim, sed uniter secum in uno loco degentes, instar ficuum in *canistro*, *malæ* vero Tsedekiam & superstites in Juda, adhuc Hierosolymæ, tanquam *canistro*, inclusos, quibus tanquam eandem sortem subituri adduntur in explicatione Judæi, in Aegypto cum Sallumo jam degentes, *quorum* illi comparantur cum

op-

optimis ficubus, cum quod ad Deum conversi ipsi futuri sint *grati*, tum quod in felici statu in terra Cananæa sint a Deo collocandi; temporalia bona non tantum, sed & spiritualia sub Messia consecuturi; quo vers. 7. etiam pertinet, ut recte a *Schmidio* quoque observatum est. *Prava* vero ficus exhibent Judæos in Cananæa, & Aegypto, hoc tempore degentes cum Tsedekia & Sallumo, male perituros, vel contemtui exponendos omnes, moribus quoque & vita corruptos, & Deo invisos. Tendit vero *visum*, partim ad captivos, & exsules illos, ad quorum notitiam hoc visum perveniret, ut est c. XXIX. vel pios inter Judæos, eorum respectu, consolandos, partim & inprimis ad vanam Judæorum, qui in terra Cananæa relicti erant, jactantiam, & securitatem carnalem, acsi reliquis meliores essent, & feliciores futuri, retundendam: Vid. c. XXIX. & in primis Ezech XI: 14. & seq. ubi hæc eorum vana jactantia ipsis verbis exhibetur, & simili prophetia refutatur. Summaria propositio, quæ dein fusius deducitur, his verbis, quæ proferam & exponam, quia non recte intelliguntur, fit vers. 14. *Fili hominis! fratres tui, fratres tui, viri vindiciarum tuarum* erunt (h. e. cognati & socii tui in exsilio sortem habebunt in *vindicatione*, & liberatione tua. *Viri* enim *vindicationis* sunt, quibus hoc beneficium contingeret, nomine *vindicationis* & redemtionis insignitum) *&*, vel *at*, *universitas Domus Israelis consummari*, vel consummando consummabitur (tota illa domus improba, in terra residua, in specie Hierosolymitana, ad consummationem usque destruetur: quod hic est כלה) *quibus* (sociis tuis) *dicunt* (sarcastice, illusorie, simul jactanter & superbe) *incolæ Hierosolymæ*: (præcipue illi) *estote longinqui a cum Jehova* [maledicti sitis vos exules, & a communione Jehovæ, quod hic מעל, ut alibi notavi, denotat, longe remoti, qui in exilio remanetis): *nobis hæc* [Hierosolyma] *data est, terra hæc in hæreditariam possessionem*.

CCCCXXXV. Parum, præter dicta, ad concionis intellectum nobis relictum est notandum, cum omnia sint plana, &

partes concionis sponte cuique se offerant; quare nonnullis defungar observatis 1. In principio vers. 1. ellipsis est verbi, *& vidi*, *ecce* &c. ut oratio hac ratione fluat; *monstravit mihi Jehova*, & *vidi*, *ecce duos canistros* &c. ut Zach. VI: 1. quæ eadem ellipsis & alibi occurrit, ut Am. VIII: 1. 2. Vox דוראים litteram א censetur habere superfluam, vel ex usu vocalis, quem olim habuisse putatur, superstitem, ut & alibi contingit, pro דורים: sed nihil impedit, quare a rad. deperdita, דרא ejusdem potestatis ac דור, דרה, דרר, non derivetur. Significat & *ollas*, & *canistros*, a dulcedine fructuum, quos continent, nam rad. proprie dicit *sugere*, sugendo *mulgere*, ac delicias capere, & deliciari aliqua re; [a] unde recte & apte pro *canistro ficuum* hic ponitur. Quo etiam facit, quod ipsa vox דוראים *ficuum indicarum*, quæ Muhammedanis מוז *Maus* adpellantur, fasciculos significet. De quo, præter Ludolfum, [b] Vid. Simon. [c] 3. Cum *fabris*, seu cujuscunque generis artificibus [vox enim חרש, a rad., quæ proprie dicit *tundere*, κόπτειν, & inde tundendo *sulcare*, *arare*, generalis est, & quoscunque fabros usu suo, ut notum est, comprehendit] additur מסגר, uti & 2 Reg. XXIV: 14. Jer. XXIX: 2. ubi a viris militaribus & honoratioribus quoque distinguuntur, qui hoc titulo insigniuntur, alii aptius, & voci convenientius, intelligi, ut opinor, nequeunt, quam ἐργαστηριάρχαι *officinatores* & *institores*, officinarum & tabernarum, quæ *claustra* adpellari commode possunt, quem usum adfert vox Hebr., præfecti. Quos omnes cum fabris ipsis abstulit Chaldæus, ut Hierosolymitani necessariis ad se tuendum mediis & instrumentis privarentur, sicut olim tempore adflictionis Philistæorum contigit 1 Sam. XIII: 19. 4. Ficus טבות & רעות recte opponuntur tanquam succosæ & maturæ, ac cassæ & acerbæ: quæ vocum earum potestas est. טוב enim in origine habet *succositatem* uberem, & pro omni, quod delectat, usurpatur, רע vero a primaria *quassandi* virtute significat id quod

[a] Vid. ad Ps. XLII: 5. [b] comm. hist. Aeth p. 141.
[c] Exercit. Philolog. de vocibus דוראים &c. ad calcem *form. nom.* p. 678.

quod omni virtute & vigore *cassum* est, & quatit ac stringit; adeoque ad ficus immaturas & palatum stringentes ac acerbas recte transfertur, sicut c. XXIX: 17., quo huc alluditur, adpellantur השׁערים *ficus horrentes* & stringentes. Ceterum cum *præcocibus* comparantur non tantum generali sensu, quod præstantiores & dulciores sint, sed &, ni fallor, ut manu quasi duceremur ad patres in deserto Arabiæ, eo epitheto in specie insignitos, Hos. IX: 10. a Deo singulari amore expetitos & tractatos; quibus hi exules hac parte similes forent, Hos. II: 16. Mich. VII: 15. Jes. XLVIII: 20, 21. 5. In explicatione visi vers. 5. *sicut ficus bonæ illæ, sic agnoscam in bonum*; observandum est, sermonem esse ellipticum, & supplendum: *sicut ficus illæ bonæ* sunt, ita *reddam* exsules, *agnoscam eos -- in bonum*; uti ex vers. 8. patet: sequentia itaque exponunt, qua ratione *bonæ ficus* futuri sint exsules illi; non enim nunc tales erant, ut de Jechonia & aliis ex 2 Reg. XXIV. & Jer. XXII: constat, sed fierent in posterum. 6. Verbum נכר, unde hic in Hiph. אכיר, proprie est *στίζειν pungere* a, punctim notare, unde in bonum *cognoscere*, *agnoscere* pro suo, & benevole excipere, quasi *distinguere notis*; in malum alio flexu, *non agnoscere*: *reprobare*, quasi *dispungere*: ob quem dubium usum videtur hic additum לטובה ad bonum; uti, mox, vers. 6. *ponam oculum meum super eos, in bonum.* 7. Ultimæ voces vers. 7. *quia revertentur ad me toto corde suo*, adduntur, ut significaretur, exsules illos, nunc licet indignos, ad quos Deus respiciat, postea ad meliorem frugem redituros, & sic dignos futuros, quos Deus tam benigne tractet; *bonas* itaque ficus, & moraliter & physice, futuros; de quo vid. c. XXIX. & Ezech. XI: 18. 8. Notari meretur, *tria* beneficia in exsules conferenda, quæ se invicem sequerentur, promitti, vers. 6, 7. 1. reductionis in patriam, 2. multiplicationis & prosperitatis, statusque durabilis, absque ut simili ratione, ut nunc, exscinderentur, usque ad V. Oeconomiæ finem, his verbis; *& ædificabo eos, nec diruam, & plantabo eos, nec evellam,*

a Vid. Schultens ad Prov. XXVI: 24.

instar ædificii, bene fundati & altius educti, ac arboris bene radicatæ, & in ramos diffusæ, ad indicandum, ut facile patet, statum firmum, numerosum, & prosperum. Cum vero additur, *non diruam, non evellam*; nova destructio, qualis tunc obtinuit, diserte removetur: uti alibi expresse declaratur, & *in æternum* extenditur. Quod qua ratione exponendum sit, plus semel observavi. Denique 3. tertium promissum est bonorum spiritualium sub Messia & nova Oeconomia, vers. 7. *& dabo ipsis cor ad cognoscendum me, quod ego sim Jehova* (h. e. non simpliciter, *quia sum Jehova*, ut ratio reddatur promissi & ejus implementi, sed & me esse talem, ut argumentum seu materia cognitionis tradatur; uti c. xxxi: 34. & alibi.) *eruntque mihi populus & ego ero ipsis Deus.* Conf. c. xxxi: 33. Ezech. xi: 19. 20. & sæpe alibi.

§. CCCCXXXVI. 9. Cum Judæis, in Cananæa hoc tempore reliquis, adjungantur *qui in Aegypto* versantur, non tam ad eos, qui destructa Hierosolyma eo secederent, ut in seq. hujus libri narratur, quam ad eos respicitur, qui cum *Sallumo* eo migraverant, ut recte Schmidius, de quo vidimus ad c. xxii: 10. licet tacite omnes, eo postea secessuri, quoque comprehendi possint. 10. Cum vers. 9 & 10. mala describantur, quæ in eosdem non quadrent, ut facile percipitur, adtendendus est usus part. ו *&* repetitæ, quo *partitionem* designat, & per *partim* verti debet, ut sit, *partim eos tradam* &c. *partim in eos mittam*: quem significatum & alibi habet, & c. xx: 4. observavimus. 1. Denique phraseos, *dabo eos* לזעוה לרעה *in agitationem in quassationem omnibus regnis terræ*, sensus non est, regna terræ eorum causa esse commovenda, sed eos esse & metu corripiendos, & varie conquassandos ab omnibus regnis, in quibus versati fuerint, ut ex structura orationis, verbis quoque *agitationis* & *quassationis*, ac seq. elucescit. Perinde autem est, sive זעוה legatur, sive זועה, utraque enim forma vocis sana est; זוע enim unde זועה, & זעו apud Arab. unde זעוה, eadem radix est, cujus primaria potestas est in *agitatione & concussione arboris*, adeoque exprimit

metum, & variam agitationem, ut nusquam fere tuto consistere liceat. Altera vox רעת propriam hic suam exerit *quassandi & conquassandi* vim, & hic denotat statum, quo quis fractus est, ac omni potestate orbus; sicut supra jam habuimus. Ceterum respicitur ad propheticam interminationem, Mosis Deut. XXVIII: 65. & seq., quæ hic & eo scopo repetitur, ut dictum prophetæ, quippe Mosi, quem repudiare non poterant, congruum, in animos altius penetraret.

